IHS

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
19 C
6 17

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

49 49
C - C
58 3

METAMORPHOSIS
LATRONIS
IN APOSTOLVM,
APOSTOLIQVE
IN LATRONEM:

VBI SPLENDENT,

GRATIA VICTRIX, ET LIBERTAS
PERIRE VOLENS,

Peſſimæ vitæ, finis optimus,
Optimæ vitæ, finis peſſimus.

Aſceſis gemina, ex Scripturis, & Patrum doctrina, Scholaſticis ſubtilitatibus, probatis hiſtoriis, variíſque Allegoriarum & Tropologiarum amœnitatibus teſſellata,

A R. P. THEOPHILO RAYNAVDO,
Societatis IESV Theologo.

LVGDVNI,
Apud IOANNEM IVILLARD, in vico Tupino, ſub ſigno Tempus.

M. DC. XXXIV.

EMINENTISSIMO
ET REVERENDISSIMO
D. D. ANTONIO,
S. R. E. CARDINALIS
BARBERINO LEGATO
AVENIONENSI, &c.

QVi terras cœleſti poteſtate moderatur; quem inter Diuos VRBANVM & ciuem; quem inter mortales ſanctum, ipſa faſtigij dignitas fecit; illi te nuper delegaret vt Petri clauibus Iani templum clauderes, CARDINALIS EMINENTISSIME. Veniſti, neque priùs in paſtoris lituo authoritas tua patuit, quàm arrecti ad concurſum bellorum angues, tuo ſe caduceo implicarent; & qui ad mutuum excidium ferrentur, ſocialiter conuenirẽt. Quædam bruta murice conſpecto excandeſcunt, cruorémq; in miti ſucco ſuſpicantur. Miles ne belluas imitaretur, tuam ad purpuram, furorẽ & arma poſuit: vt

conſtaret humanum eſſe animum quem gerebat, ſupra humanam eſſe, virtutem quæ in cocco, ſanguinis commotiones ſedaret. Equidem apes Regiæ fatali conſilio in ſua paruula mellificantes, vti ternæ ſunt, tribus orbis Chriſtiani capitibus nuper exacerbatis, ita ſuum mel ſuperfudêre, vt ſuauitatem omnibus, nemini ſpicula ſe gerere confirmarent inermeſque, vt omnium armis teguntur, omnibus arma perperam accepta excutiunt.

TOT ſuauitatis tuæ miraculis adducor vt credam, CARDINALIS EMINENTISSIME, nihil adeò diſſonum tibi exhiberi poſſe, quod non in oculis tuis poſitum conſonet; nihil adeoperè inter ſe diſcrepans, quod in te non conſentiat. Hoc proinde opus, quod mihi quoque concipienti ac parturienti, inteſtino bello negotium fecit, modò vix editum, ſecum ita pugnat, vt verear ne in eminentiſſimis etiam manibus rixas moueat. Digladiatur cum reprobo Apoſtolo, Latro ad gloriam deſtinatus, ab diſſimili exordio diſparem in exitum vterque vocatus, vt ne momento quidem, vitæ in genere conueniant. Diſceſſere à ſe inuicem nati ſpatio ampliſſimo, diuulſi ſunt mortui non finito interuallo: Niſi eo conſenſiſſe putentur, quòd alter in alterius mercedem, alter in alterius ſupplicium,

velut

velut ex condicto inuolarit. Latro de ſuſpendio cogitans, infelici ſub arbore, theſaurum ac fœlicitatem inuenit, tollítque: quam pecuniam Apoſtolus loculos habens, neglectim defoderat, aut abiecerat. Hoc vetuſtum epigramma eſt Græcum. Adeſt concluſio. Latro ex repertis opibus reſtim malè ominata in arbore reliquit, vnde auarus ille & elancularius nummorum conquiſitor pependit, animámque cum marſupio effudit. Tam inuſitatam concertationem; vtriuſque exitus, imò Chriſtus arbiter pridem diremit, & cuique ex meritis repoſuit.

Tibi verò CARDINALIS EMINENTISSIME, dum in hiſce meis monumentis adhuc viuunt, niſi grauius ſit duorum quàm orbis vniuerſi, iurgium componendum relinquitur.

Eminentiæ Vestræ,

Dedititiſſimus,
Theophilvs Raynavdvs,
ex Societate IESV.

Gratianopoli Vocontiorum anno 1634.

AD EMINENTISSIMVM ANTONIVM S. R. E. CARD. BARBERINVM.

ANTONI *Latiæ lux noua purpuræ,*
Auguſtæ*que domus ſidus amabile,*
Vrbani *radiis ſicut honoribus*
Sic & lumine & proximum.
Multum de placido Numine Patrui
Facundo ore refers; plus tamen indole;
Nec magni generis ſurcule degener
Reſpondes malè laudibus.
Sic Ledæ geminos æthereo canit
Ex ouo genitos fabula Caſtoras
Monſtrauiſſe Iouem Sidereo patrem
Vultu & frontibus arduis.
Vix dum patriciis ſederat artubus
Romanæ vmbo togæ: cùm tibi credidit
Pacis *perpetuæ fœdera ponere*
Et belli *arbitrium parens.*
Mentem iam populorum imperio parem,
Pectus conſiliis & ſapientiâ
Cæleſti grauidum, nec minus aurei
Claras eloquij ſtupet.
Mutum vulgus opes: téque domeſticas
Creuiſſe inter apes, *in penetralibus*

Oraclo

Oraclorum adytis *iurat,& Atticos*
Etruſcóſque *labris* fauos
Inſediſſe tuis.Tu temeraria
Longo cum lituis æra ſileutio
Damnas : tu trepidis Alpibus exulent
Longè bella iterum iubes,
Et Mars Hercyniæ ſaltibus vltimis
Inſanum ſtrepitum miſceat impius
Aut vltra patriæ littora Thraciæ
Perſis Biſtonas aſperet.
AEternæ altera ſpes,*nec veteri minor*
Spes Romæ,*Superis ritè fauentibus,*
Sic ſic perge gradum tendere Maximi
Per veſtigia Patrui.
Aſſueſce imperiis,& grauioribus
Iam curis animum peruigil admoue;
Ne,ſi quando caput machina *vaſtior*
Mundi *preſſerit,opprimat.*
Sacrorum Domino,*quò propior ſedes*
Admotus Solio (*ſcandere non piger,*
Si fati iubeat Relligio potens,
Et iuſtus Procerum fauor,)
Hòc maiora animo te iuuat aggredi,
Ne quis,quod merito iure decentiùs
Virtuti *ſolido munere debeas,*
Fortunæ *improbus aſſerat.*

ΘΕΟΦΙΛΩ ΡΕΙΝΑΥΔΩ ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΜΕΤΑ-
μορφώσεων τῆς Ἰούδα τοῦ Ἀποστόλου εἰς λῃστήν,
καὶ τῆς τοῦ λῃστοῦ ἀπόστολον.

Τὰς μεταμορφώσεις ξείνας δύο, τὴν μὲν Ἰούδα,
τὴν δὲ μαχαιροφόρου νυκτιλόχοιο γράφεις.
Θῆρα μὲν ἡ προδότη ἐκ θείου ἀνδρὸς ἔτευξε,
Ἄλλη δ' ἐκ θηρὸς ἄγγελον ἐπλάσατο.
Θαύματος ἀμφοτέρη γένος, οὐ χθονίας ἀπὸ χειρὸς
Ἀμφοτέρη. ἡ μὲν δαίμονος, ἡ δὲ θεοῦ.

AD THEOPHILVM RAYNAVDVM, DE TRANSFORMATIONE Iudæ & Latronis.

THeophile Graiis vatibus diſertior.
(Non dico fabuloſior)
Narras vt olim Latro Latronem exuit,
Apoſtolúmque Apoſtolus.
Manente vultu,mente mutatâ inuicem,
Paríque ſorte diſpares
Vertêre mores,peſſimus hic ex optimo,
Ex peſſimo alter optimus.
Quod credo monſtrum non parùm inſolentius,
Quàm ſi innocenti vellere
Leo atque ouinâ pelle Maſſylas iubas
Mutarit,aut balatibus
Rugitum acutum,quo ſolet famelicus
Terrere debilem gregem
Aut ſi fugacis impigri damæ pedes
Creſcant in vngues tygridis;
Mâlæque inermes ilicet minacibus
Armentur apri dentibus.
Nam quòd ferunt turpi extuliſſe Actæonem
Ramoſa fronte cornua;
Quòd Theſeus volauit,vlulauit lupis
Rapax Lycaon additus;

Quòd ſibilauit Cadmus, & ſerpentibus
Fœdam ſaliuam miſcuit;
Mirum videri iam minùs debet; frequens
Hæc quando transformatio eſt,
Humanitatem belluinis moribus
Quicunque vertêrunt priùs,
Humana mutant ora ſæuis rictibus
Et extrà & intus *belluæ.*

G. Ion. S. I.

APPROBATIONES.

HVnc librum à R.Patre THEOPHILO RAINAVDO, Societatis IESV Theologo, compoſitum, tamquam veræ fidei Orthodoxæ conſentaneum, approbo. Lugduni Kal. April. 1634.

F. I. TRIBILLET Auguſtinianus.

APPROBATIO DOCTORVM.

HVnc librum, *Metamorphoſis Latronis in Apoſtolum, Apoſtolíque in Latronem*, &c. *inſcriptum*; *à R. P. Theophilo Rainaudo Societatis IESV Theologo compoſitum*: Fidei Orthodoxæ & bonis moribus, non modò conſentaneum: ſed etiam doctrina ſingulari ac pietate refertiſſimum, Reipublicæ Chriſtianæ vtiliſſimum; prelo denique digniſſimum iudico. Die 8. Aprilis 1634.

F. IOANNES IAS Auguſtinianus.

EGo infraſcriptus ex Congregatione Fullienſi, Cœnobiíque S. Caroli Lugdunenſis Prior, licèt indignus, fidem facio lectum à me eſſe librum qui inſcribitur, *Metamorphoſis Latronis in Apoſtolum, Apoſtolíque in Latronem: Authore R. P. Theophilo Raynaudo Societatis IESV Theologo:* in eoque ſolidiſſimæ, recõditiſſimæ ac variæ eruditionis cum maxima pietate coniugium ſuſpexiſſe: vereque Authorem illius dici poſſe artificioſam apem, fauos diuini nectaris plenos, pietate & ſcientia manantes conſtruentem. Lugduni 6. Aprilis 1634.

FR. PETRVS A SANCTO IOSEPH.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS Societatis IESV, in Lugdunenſi Prouincia.

EGo IOANNES FILLÆVS Prouincialis Societatis Ieſu, in Prouincia Lugdunenſi, ex vi Priuilegij Regij facio poteſtatem Franciſco la Bottiere & Ioanni Iuillard, Mercatoribus Bibliopolis in Vrbe Lugdunenſi Typis excudendi Librum inſcriptum: *Metamorphoſis Latronis in Apoſtolum, Apoſtolíque in Latronem, Peſsimæ vitæ finis optimus: & alium, Bonæ vitæ finis peſſi*

peſſimus, compoſitos à P. Theophilo Raynaudo, eiuſdem Societatis Theologo, & à tribus aliis Patribus ex eadem Societate recognitos, & quidem in annos ſex proximos, inchoandos ab abſoluto Typographico opere. Camberij 8. Iunij 1633.

IOANNES FILLÆVS.

PERMISSIO.

IOANNES-CLAVDIVS DEVILLE, in ſacra Theologia Magiſter, in Eccleſia ſanctæ Crucis Cuſtos, in hac Lugdunenſi Diœceſi Officialis Vicegerens ac Vicarius Generalis ſubſtitutus: hoc opus, cui inſcriptio eſt, *Metamorphoſis Latronis in Apoſtolum, Apoſtolíque in Latronem, Peſſimæ vitæ finis optimus. Authore R.P. Theophilo Raynaudo* Societatis Ieſu Theologo, præfaturum RR. Patrum & Doctorum approbationibus celebratum; cùm ob eius probatiſſimam omnibus Orthodoxis doctrinam, tum ob Chriſtianæ pietatis publicam inde emerſuram non mediocrem vtilitatem, vel maximè dignum quod prelum ſubeat ſicque in communem lucem prodeat, iudicauimus. Lugduni XII. Cal. Maij, M. DC. XXXIV.

DEVILLE.

INDEX CAPITVM PRIMI HVIVS TOMI.

ADitus ad Metamorphoſim Latronis in Apoſtolum, & ſubitationem inſperatæ ſalutis per gratiam; collatam cum libertatis humanæ corruptela, in abiectione diuinæ gratiæ; & lenta Apoſtoli in Latronem tranformatione. pag. 1.

Peſſimæ vitæ finis optimus: ſiue, de Latrone in Chriſti Apoſtolum commutato. 8.

Anteriora ſancti Latronis tempora, ad carcerem vſque, ex coniecturis veſtigata. Caput I. ibid.

Sancti Latronis deductio ad crucem, verberatio, atque confixio. Cap. II. 23.

Sancti Latronis in ipſa cruce angores. Quid inter eos primùm dixerit, feceritque: Siue, de eius initio, in Chriſtum ſannis, impatientia, atque blaſphemiis. Cap. III. 62.

Subiti ac potentiſſimi gratiæ effectus; in Latronis electi intellectu ac voluntate: Illuſtria quædam impiorum ſubitò reſipiſcentium exempla; ad idem recenſita atque expenſa. Cap. IV. 82.

Enubilantur nõnulla in præmiſſis ſubobſcura. Oſtenditur S. Latronem, & alios, de quibus proximè potentiſſimis Dei afflatibus, quibus ad cõuerſionem exci

excitabantur tum vera libertate adhaſiſſe. Cap. V. 171

Vnde ſubita illa in Latrone mutatio; ſiue quæ cauſæ, blaſphemum, propè momento, ad pendentis ſecum Meſſiæ confeſſionem, ac conuerſionem adduxerint. Cap. VI. 208.

Mutati per gratiam, & ad credendum excitati Latronis, ordo ac modus ſingularis: fidei inde conceptæ partus ad miraculum eximius, educitur. Cap. VII. 268.

Inſignia reliquarum Theologicarum virtutum decora, in conuerſione S. Latronis. Cap. VIII. 307.

Illuſtres actus virtutum moralium infuſarum, conuerſionem ſancti Latronis aſſectati. Cap. IX. 369.

Quid Chriſtus ad Latronis confeſſionem, ac petitionem repoſuerit. Cap. X. 420.

Latronis gratia & ſanctitas ex dictis concluditur; Modus quo parta, aucta, & retenta eſt veſtigatur. Cap. XI. 473

Extrema Latronis ſancti vita, Crurifragium, & mors pretioſa. Cap. XII. 526.

Ingreſſus animæ Latronis in Paradiſum ex Chriſti oraculo: Quid de eiuſdem corpore & cruce factum. Cap. XIII. 560.

Patrum in S. Latronem Elogia, plena & breuia. Cap. XIV. 613.

Exempla Latronũ, & aliorum facinoroſorum, quibus

S.Latro, ad pœnitentiam, ac ſpem concipiendam præiuit.Cap.XV. 645.
Typi allegorici in S.Latr.iuxta PP.Cap.XVI. 687.
Mellificium tropologicum, per Chriſtianas apes, S. Latronis prata carpentes.Cap.XVII. 726
I. Adoranda multa Dei patientia, quæ Latronem per vniuerſam vitam ſuſtinuit. 728.
II. Suſpectio potentiæ Chriſti erga Latronem. 736.
III. Diuitiæ benignitatis, in Latronem reſipiſcentem effuſæ. 744.
IV. Iudicia Dei, in vnius blaſphemi electione, alterius reprobatione. 750.
V. Omnia Electis cooperatur in bonum. 760.
VI. Scandalum Crucis declinandum. 763.
VII. Vno obtrectante, alium innocentiæ præconem prouidet Deus. 767
VIII. Firmum ſolatium verè pœnitentibus conſtitutum. 768.
IX. Nemini deſperandum ob ſcelera ingentia. 780.
X. Nulla pœnitentia, ſera nimis. 792.
XI. Vera pœnitẽtia, longa duratione non eget. 797.
XII. Momentum bonæ voluntatis, licèt extremi operibus deſtitutæ. 801
XIII. De nullius ſalute deſperandum. 810.
XIV. Conuulſio erroris, quòd in fine vitæ conuertemur, vt Latro. 818.
XV. Socius Crucis Chriſti, erit & gloriæ. 827.

ADITVS

ADITVS AD METAMORPHOSIM

LATRONIS IN APOSTOLVM & ſubitationem inſperatæ ſalutis per gratiam;

COLLATAM

Cum libertatis humanæ corruptela, in abiectione Diuinæ gratiæ, & lenta Apoſtoli in latronem transformatione.

1. *Ontentio Latronis & Apoſtoli ad quam aggredimur, inſigniũ fructuũ ferax eſt, magniſque fœta Sacramentis, nec apud Patres inſolens. Non rarò enim latronem Sanctum ac Iudam ab eis compoſitos legimus; & pulcherrimè præter*

cæteros à SS. Gregorio[a]*, Maximo*[b]*, Ambroſio*[c]*, Hieronymo*[d]*, Athanaſio*[e]*, Chryſoſtomo*[f]*, Anaſtaſio Sinaita*[g]*. Haud ſanè deprehendo, an duæ perſonæ in vniuerſa ſæculorum anteriorum textura, apertiùs diuinum in reprobos electóſque iudicium gratiæ vires, & libertatis infirmitatem prodiderint, & ſpem ac timorem; quibus cardinibus humana ſanctitas vniuerſa volui debet, firmiùs infixerint. Alterius erectio beatum progreſſum reuenientium ad cor, & prædeſtinationis ac iuſtificationis ſeriem luculenter pandit: deiectio alterius, receſſum peccatoris à Deo, & iuſta in reprobos iudicia, apertè exhibet: quæ omnia, eſſe quàm connexa nemo non videt. Accedit quod vterque Chriſti diſcipulus; nam latro non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Chriſti magiſterium didicit, eiúſque diſcipulus à Chryſoſtomo*[h]*, aliiſque dicitur, vterque fur & latro s*

a *Mor. c. 5. & 29. c. 9. & l. 25. c. 9.*
b *Hom. 1. & 2. de latrone.*
c *In Pſal. 39.*
d *Epiſt. 4. initio & Epiſt. 13.*
e *Serm. in paraſc.*
f *Hom in paraſc. & l. ad ſcād. paſſos c. 14*
g *Orat de Synaxi in fine.*
h *Hom. 68. in Matth.*

latro; vterque eadem in vrbe, ac ſub idem tempus innotuit; & alter magnæ & multæ diuinæ artis opus, alter nequitiæ exquiſitiſſimæ ſpecimen edidit; vnus diſpendium alterius penſauit, & pereunti ſubrogatus imminuti peculij Chriſti damnū ſarſit; vnus quod Gabriel[a] piè meditatur, Chriſto dolorem iniecit longè maximum, exitium ſibi æternum creans; alter, quod in ſe fuit ſolatium Chriſto publica & inſigni celebratione conciliauit. Sub idem, inquam, tempus Iudas informis lethi nodos trabe ab alta nexuit; latro autem in patibulo Chriſtum confeſſus, diabolo (vt ſcitè dixit ſuprà Athanaſius) eam ipſam proditionem impegit, quam Iudas in Chriſtum molitus fuerat. Aptè ergo, qui tempore, aliíſque adiunctis adeò propinqui ſunt, tractatione quoque nectuntur.

a Tract. de Paſſio. Dñ. parte 4 ar. 2.

In ea ſeruire pietati potiùs, quàm Scholaſtico minutiloquio, ſuadet tempo-

ris conditio, & vita pendens ante oculos[a]. Teterrima namque lue graſſante, & latè ſæuiente; tempus quod Sacramentorum adminiſtrationi aliiſque pijs erga afflictiſſimam vrbem officiis reliquũ eſt, in partũ tractationis ante aliquot annos conceptæ, inſumere conſilium fuit, vt ſi communis calamitatis portio aliqua ad me quoque peruadat, quod video proximo ardente Vcalegonte quàm ſit probabile; at argumenti ſaltem pij, & cum Chriſti Paſſione conſerti, conſiderationi intentum occupet. Itaque Scholaſticas ſalebras, vt pietatis potiores eſſent partes, quantum licuit viſum defugere; quamuis interdum vel renitentem materiæ neceſſitas in eas compulerit, ad firmandam vel illuſtrandam rei de qua agitur veritatem: quod ea tamen temperatione à me factum, vt ſpe ducar prudentem lectorem nec omnino ea in parte ieiunitatem cùm res fert,

a *Scribebat hæc Autor Lugduni* ann. 1628.

fert, nec profuſionem damnaturum.

2. Porrò ordo naturæ, ac etiam temporis, præmittendam Iudæ apoſtaſiam ferre videbatur: Typum enim ruentis peccatoris exhibet Iudas, reſipiſcentis autem latro. At prius eſt collabi peccatorem, quàm erigi; Item ante filium dexteræ latronem, Chriſto in cruce genitum, proditor à reſte lenimen lancinantis conſcientiæ petijt, vt ex infrà tractandis fiet veriſimilius. Tamen quòd hæc ſit veluti generatio vnius & corruptio alterius, & corruptionem naturali anteceſſione ac dignitate præcedat generatio; quod item rerum ſancti latronis tractatio, longè ſapidiſſima & amœniſſima; Iudæ autem exitium, & fœda ad illud progreſſio, horroris ac inſuauitatis plena obuerſaretur, inualuit ſancti latronis præmittendi conſilium. Præterquam quod Iudæ cataſtrophen, ſancti latronis conuerſioni præiuiſſe, (vt pro-

babilius ſit,) non eſt tamen planè certum. Imò S. Athanaſius [a] *teſtatur inaudiſſe Iudam de latronis conuerſione; eámque nefario proditori grauiorem ipſo laqueo viſam pronuntiat.*

a Orat in paraſc.

Habet Lector ſcopum noſtrum, ac ordinis rationem. Quod verò in his duobus Christi diſcipulis proditus ſub idem tempus ſit PESSIMÆ VITÆ FINIS OPTIMVS, *itémque* OPTIMAE VITAE FINIS PESSIMVS, *illum mihi ex hac tractatione fructum ſanè maximum præ cæteris poſtea colligendis, ſpondere poſſe videor, quem S. Auguſtinus* [b] *his verbis expreſſit.* [*Quis homo iudicat de homine? Temerarijs iudicijs plena ſunt omnia. De quo deſperauimus, ſubitò cõuertitur, & fit optimus: de quo multùm præſumpſimus, ſubitò deficit & fit peſſimus. Nec timor noſter certus eſt, nec amor noſter, certus eſt. Quid ſit hodie*

b Lib. de paſtor. c. 12

quiſque

quiſque homo, vix nouit ipſe homo; Tamen vtcunque ipſe, quid hodie: Quid autem cras, nec ipſe.] Hanc mobilitatis noſtræ veluti ſaburram, ſi ex hoc labore detur eruere, næ illum optimè collocatum, & extitiſſe iuſto auctiorem fructum, par fuerit exiſtimare, cum ſalutis noſtræ cardo planè verti videatur in rectè penetrata exitus ex hac vita noſtri incertitudine, quæ in duobus hiſce Chriſti diſcipulis mirè elucet.

PESSIMÆ VITÆ FINIS OPTIMVS.

Siue de Latrone in Chriſti Apoſtolum commutato.

Anteriora Sancti Latronis tempora, ad carcerem vſque, ex coniecturis veſtigata.

CAPVT I.

1. QVod circa Cyprianũ, ex mago ſanctiſſimũ martyrem, Nazianzenus;[a] Item quod circa S. Anaſtaſiũ, ex mago monachum & martyrem, Petrus Damianus [b]; ac circa S. Bonifacium, ex adultero & ebrioſo omnibúſque flagitiis cooperto, inuictum Chriſti

a Orat. 18.

b Serm. 3.

ſti pugilem, idem Damianus[a]; quod etiam circa paſtorem ex lupo, & ex blaſphemo Apoſtolū, Paulum inquam ex Saulo, faciendū ſibi cenſuit ſanctus Chryſoſtomus[b], vt ſcilicet eius primò ſcelera, & vitam anteriorem in vanitate ſenſus ſui, imo in nequitia & Eccleſiæ perſecutione tranſactam exponeret; mox ad eius decora & ſubſecutum tempus progreſſionem facturus; hoc mihi circa Latronem, in quo magnalia Dei ſuſpicere conſilium eſt, prope neceſſariò præſtandū video. Mirum enim quantum ea vtriuſque ſtatus contentio, conferre queat ad perſpiciendas inæſtimabiles diuitias diuinæ benignitatis, quas in hoc gratiæ c[illegible]o, & verè miraculo veſtigare, ac pro viribus perſpicere propoſitum habeo. Et hac ratione, non in orbe tantùm, iuxta Sapientis obſeruationem, ſed in hac quoque tractatione, contra malum bonum erit, & contra mortem vita, & contra virum iuſtum peccator; eóque conſilio quod obſeruat ſupra Nazianzenus, ſua probra Matthæus, ſua item flagitia Paulus, non diſſimularunt; vt propterea con-

a *Serm. 20.*

b *Hom. in illud* Saulus adhuc ſpirans *to. 5. Græcol.*

cludat Theologus, ignaui admodum atque abiecti animi ſibi videri, eos qui viris ſanctis ad meliora mutatis contumeliam inferri exiſtimant commemoratione anteriorum factorum, quæ ad commendandam Dei in ipſos beneficentiam tanti ſunt.

2. Ferè tamen omnem nobis in hac parte progreſſum intercludit, ieiunitas vel potiùs altum ſilentium rerum, quæ ad Sancti huius Latronis anteriorem vitam ſpectant apud probatos ſcriptores. Diuina ſanè hiſtoria, extremam eius vitæ periodum attigiſſe contenta, reliqua quæ anteceſſerunt omnia, preſſit ſilentio; Tantum profligatam fuiſſe ac infamem viuendi rationem non diſſimulauit, vocans Latronem, quæ eſt viarum obſeſſoris, ac perditi omnino graſſatoris, recepta appellatio. Per hoc enim latro à fure ſecernitur, vt notauit Gregorius Nyſſenus [a], quod latro ad furtum adiungat homicidium ſi ſit opus, ſitque ad occidendum paratus, & armis inſtructus, non item fur; propter eáque latro, apta cædibus patrandis loca occupat, & ſocios aſſumit, vt ibi notat

a *In epiſt. Cano. ad Latoium Epiſc. Mityl.*

notat Balſamon; hæc eſt igitur notio latronis; vt vt primùm ea vox ſonuerit, cum apud exteros, Varronem [a] & Feſtum [b], ac Seruium [b], tum in ſacris libris vt 2. Regum 4. Quod enim Briſſonius [c], admonuit, de earum numero eſt vox latronis, quæ ab honeſta origine, poſtea in inuidiam ſunt vocatæ. Quamuis autem interdum, & vulgari vſurpatione, & ſcripturarum quoque vſu, quilibet immaniter, & veluti extra ordinem peccans, aut non minuta ſed grandia admittens, latronis nomine inſignitur, vt infra teſtatum dabo; Tamen hunc de quo agimus, ſecundùm vſum vocis qui increbuit, dictum à ſcriptura latronem, non pauci arbitrantur. Tametſi ex Scriptura tantùm habetur fuiſſe impium inſignẽ; quandò diſertè ſanctus Marcus [e] appellat eum, nequam: & eodem interprete, immo ipſo Chriſto apud Lucam, Iſaïas [f] iniquum eum & ſceleratum, hoc eſt atrocibus vitiis coopertum nominat. Et huiuſmodi ſunt quidem vulgares latrones, non tamen ſoli; quæ ipſa vna fuit de cauſis ſilentio obuolutæ à ſcriptore ſacro anterioris vitæ

a *L. 6. de ling. Lat.*
b *L. 10. & 17.*
c *Ad 12. Aeneid.*
d *De verb. ſignif.*
e *Cap. 15. v 28.*
f *Cap. 53.*

vitæ latronis: nam præterquam quod non multũ intererat ſcopi ſacro ſcriptori propoſiti diſtinctè appẽdere latronis flagitia; apud Deum eiúſque ſcribas, ea tantùm tẽpora numerantur quæ vtiliter cõſumpta ſunt; iis tacitis quæ in ſceleribus ſunt perdita, vt S. Gregorius [a] ſcitè aduertit, tractans illud. *Filius anni vnius erat Saul cùm regnare cæpiſſet; duobus autem annis regnauit in Hieruſalem*; quod ex eo quem propoſui Scripturæ more dictum conſtat, cũ alioqui Saülem ętate florentem regnum iniuiſſe, illúdque per annos plures moderatum eſſe, ſit extra dubium. Quamuis autem Scriptores ſacri adeò parcè anteriora S. Latronis attigerint, tamen nonnulla de iiſdem apud aliquos habentur, quæ hîc attexuiſſe non erit inutile.

a *Lib.* 1. *in* 1. *Reg. cap.* 3. initio.

3. Nomen ei fuiſſe Dimæ, non pauci produnt, & diſertè Gaufridus Vindocinẽſis [b]. Quin etiã Cardinalis Baronius [c] teſtatur eo ipſo nomine dicata S. Latroni ſacella nonnulla, erectáſque memorias reperiri. Antiqua tamen Martyrologia, vt Malonius [d] aduertit, non Dimam ſed Diſmam appellant; Quanquam

b *Serm.* 10. in fine.
c *Ad Rom. Martyr* 25 *Mart.* *literæ q*
d *Ad cap.* 21. *Palæo. de ſacra ſinodo.*

quam quæ ea ſint Martyrologia non prodit Malonius, & me latere fateor. Nam vetus Romanum Martyrologiũ, à Roſuedio nuper erutum, item Bedæ, Adonis, Vſuardi, & Vvandelberti metricum quod eſt apud Bedam, de Latrone omnino ſilent: vulgatum denique Romanum, quod eius meminit 25. Martij, ſuppreſſo nomine eum refert. Itaque quæ ſint ea antiqua Martyrologia, à Malonio memorata, me planè latet. Ea tamen quæ retuli Latronum nomina, legere eſt apud obſcuros quoſdam auctores non admodùm antiquos, à Malonio adductos; ac etiam in damnationis edicto per Pilatum conſcripto, quod refert Adricomius,[a] vbi malè Latroni, Ciſmæ nomen fuiſſe dicitur: Giſman alij nominant, librariorum vt videtur errore ob literarũ ſimilitudinem, Cui etiam tribuendum quod apud S. Antoninum habetur, dictum fuiſſe Geſmã, vel vt habet Leonardus de Vtino[b], Ieſmam, aut Geſtam, vt habet Petrus Exquilinus[c]. Lõgè aliter apud Bedam[d] inſulſus auctor, cuius ſunt collectanea & flores, abſurdè omnino inſcripti Bedæ, ad

a *Numero* 115.

b *Concio. de paſſio.*

c *Lib.* 3. *c.* 128.

d *Tom.* 3.

ad quæſtionem eo loco propoſitam, quæ ſint Latronum cum Chriſto crucifixorum nomina; reſpondet; nomen bono Latroni fuiſſe Matha, reprobo autem Ioca; quæ otioſè conficta ſunt, vt alia non pauca in eam farraginem congeſta, à vero & veri ſimilitudine alieniſſima. Quare tametſi non ſit vſquequaque exploratum, quo ex fonte manarit Diſmæ nomen, quo Sanctum Latronem appellari retulimus, nec ad decus nominis in cælo conſcripti, intereſſe magni videatur, illud certò euulgari in terris, tamen quod receptam apud pleroſque, ipſiſque ſacellis ac templis conſtabilitam Diſmæ appellationem, nihil ſit quod conuellat, maneat ſanè; & quam nihil validè improbat, ſufficienter probata habeatur.

4. Non plura de S. Latronis nomine. Iam genere ac gente cuias fuerit, æquè obſcurum eſt. Non Iudæum ſed Ethnicum fuiſſe, ſignificat S. Chryſoſtomus [a], cùm in Latronis ſancti laudibus ponit, quod in Chriſtum crediderit, homo propheticarum vocum & lectionum ſacrarum rudis, quíque eas non inſpexiſſet

a *Serm. 7. addititio in Geneſ. tom. 2. Græcol.*

xiſſet modò, ſed ne inaudiſſet quidem. Aſtipulati videntur, qui eum Ægyptium faciunt, Latronũ principis filium, ipsúmque etiam Latronem, qui de Hebræis in Ægyptum abeuntibus prædas ageret; vnde factum dicunt vt Chriſtum, cùm Sanctiſſimæ parentis vlnis deferretur in Ægyptum, interceperit, quæ ei tandem ſalutis occaſio extiterit, vt infra recitabo. Laudat in eam ſententiam Exquilinus Epiſcopus, [a] compilationem Damaſceni, quæ quodnam ſit opus, ignorare me fateor. Eadem ex parte refert, nec reprobat, auctor libri de vita Eremitica ad ſororẽ [b], qui extat inter D. Auguſtini opera, éſtque reuera S. Anſelmus cui liber ille ſub nomine libri tripartiti de diuinis beneficiis ad ſororem in manuſcripto codice quem nuper vulgauimus, diſertè adſcribitur. Suſpicio denique ducitur à quibuſdam, ex confixione in cruce, quod ſupplicij genus ex Deuteron. 21. Iudæis circa gentiles ſuos interdictum pronuntiant; ac proinde cum clauis confixum eſſe Latronem, ſit extra controuerſiã, innui volunt externum fuiſſe, non Iudæum.

a *Lib.* 3. *c.* 228.

b *Cap.* 48.

Cœte

Cœterum quàm hæc omnia labent, nihil eſt neceſſe monſtrare, quod enim S. Chryſoſtomus neget Latroni audita Prophetarum oracula, indéque fidem eius extollat, qui illis non perceptis, fidem Chriſto per prophetias adumbrato nón abrogarit, facilè referri poteſt ad profligatam vitam Latronis, tametſi Iudæi. An enim Latrones, admodùm ſolliciti eſſe ſolent de rebus ſacris earúmve peritia & indagatione celebrari? Vt autem Ægyptius gente fuiſſet, nihil obſtaret quo minus religione ſacríſque inſtitutis, Iudæus diceretur, cuiuſmodi per ea tempora etiam Philo, aliíque. Sed Latronem Sanctum fuiſſe Ægyptum nihil planè eſt quod ſuadeat. Narrationem autem cui ea Latronis ex Ægypto deriuatio incumbit, nẽpe intercepti Chriſti infantis cũ Ægyptum adiret Herodis rabiem declinans, nullius locupletis, vel etiã idonei auctoris teſtimonio ſubnixã, fabulis accẽſeo. Commentitium denique eſt, quod interdictum Iudæis ſuorum reorũ crucifixione, affirmatur; Et vt Iudæis interdictum ea fuiſſet, Romano vſu, latronibus

infligi ſolitam eam pœnam docent Coarruuias;[a] & Faber.[b] at Romani in re noſtra, ſupplicij irrogatores & auctores fuerunt. Itaque cùm nihil ſit quod vel probabiliter doceat hominem in Iudæa ſupplicio affectum, fuiſſe externū, haud grauatè admitto, Latronem genere ac inſtitutis fuiſſe Iudæum, tametſi non ex Iudaicis ſcitis ac legibus vitam exigeret, ſed immanibus ſceleribus, gēti ſuæ, cōculcatis patriis iuribus infeſtus eſſet. In quam partem conceſſiſſe video Euthymium[c] & Maldonatum,[d] qui boni Latronis confeſſionem ad id expendit. Nam Chriſtum, tanquam Meſſiam, & regni quod Iudæi expectabant, dominum profeſſus eſt; ex ſenſu vtique gentis ſuæ, quem ab infantia combiberat. D. Auguſtinus, an priuſquàm caperetur, aut priuſquàm ſceleribus ſuis mortem eſſet cōmeritus, in Chriſti ouile cooptatus fuerit, & Chriſtiano baptiſmo lotus, diſputans tantùm nihílque affirmans propoſuit; nihil tamen eſt, quod eam ſuſpicionem firmare vllatenus poſſit; & difficultas quæ D. Auguſtinum[e] ad id proponendum adegit,

a *Lib.* 4 *var. cap* 5. *num* 3

b *Lib* 2. *Semeſt. c* 8.

c *Suo cap.* 67. *in Matth.*

d *Matth.* 27. *num.* 44.

e *Lib.* 3. *de Orig. animæ c.* 8.

quòd nimirum alioqui periclitabitur Baptiſmi neceſſitas, ſi latro abſque eo ſuſcepto ſaluus aſſeratur, facillimè ſuo loco expedietur, etiamſi latronem Chriſti fidem ante carcerem & crucem non eſſe profeſſum, cum receptiſſima ſententia concedamus, eúmque Chriſtiano Baptiſmo reipſa lotum, non affirmemus, ſed in peccatis ſuis omníno immanibus captum dicamus, & ad crucem abductum, priùs quàm Chriſtiana fide imbueretur.

5. Sceleribus pariter nō vulgaribus ſed immanibus, diſtentum dixi Latronem. S. Eulogius [a], fratricīdij Latronem ſanctum accuſat, quod vnde hauſerit neſcio: S. Chryſoſtomus [b] multis homicidiis inquinatum dicit. Coſmas Hieroſolymitanus [c] vocat eum νυκτίλοχον quia noctu poſitis inſidiis prædabatur, vt ibi exponit Theodorus. Quominus autem Latronis appellationem premā, & ex vocis cortice inferam graſſationibus, & itinerum inſeſſioni aut nocturnis populationibus vacaſſe Latronem noſtrum, obſtat quòd Barrabas quem propudioſa prælectione Iudæi expetierunt

a In Apologetico.

b Homil. 55. in Geneſ.

c In canone de exal. S. Crucis Oda 7.

tierunt, latro dicitur à Ioanne [a], neque tamen certũ eſt illum latrociniis preſsè acceptis, & viarum publicarum inſeſſione ſordúiſſe; ſed disertè Lucas [b] & Marcus, [c] ſeditionis, & homicidij in ſeditione patrati illum inſimulant. Itaque Latronem λῃστὴν Ioannes vocauit, hoc eſt facinoroſum, non qualemcumque, ſed eximiũ ac nobilem, Matthæus *inſignem vinctum* nominauit. Quare ij quoque patibularij quos Chriſto ad infamiam adiungi placuit, potuerunt non graſſatores eſſe, ſed eximij facinoroſi alterius generis. Immanes certè peccatores, ac præſertim qui in alios nihil non audent per vim apertam, vulgus Gallicum latrones & graſſatores, *larron, brigand* denominat, ob affinitatem cum propriè dictis latronibus qui itinera infeſtant, & nullis iniuriis ac facinoribus temperant. Noſtros S. Lucas primum vocauerat *duos nequam*, Marcus *iniquos*, aítque in eos cadere ſcripturam quæ Chriſtum cum iniquis reputãdum pronuntiarat, alludens ſcilicet ad locum Iſaiæ quo dicitur Chriſtum cum ſceleratis reputandum. Iniquos igitur ac ſce-

a Cap. 18. extremo.
b Cap. 23.
c Cap. 15.

leratos, homines nequam, non vulgari ſed eximia nequitia, Latrones dici potuerũt, quamuis aliis ſorderent ſceleribus, quàm quæ vocis cortex profert. Idque fortaſſis exiſtimauit Innocẽtius III.[a] qui inter alia pœnitentis benè animati exempla, Latronem ſanctum cruci ſuffixum, & à Chriſto miſericordiam conſecutũ repræſentãs, ait eum propter homicidiũ ac ſeditionem, miſſũ in carcerem, cruci tandem addictũ eſſe, & idem habet Idiota;[b] qua in parte quãuis falſos memoria hos auctores, quæ de Barrabba ſunt prodita ad Sanctum Latronem tranſtuliſſe dici queat, tamen potuerunt quoque nõ aliud in iſto latrocinij genus agnoſcere quàm quod in Barrabba deſcribunt Euangeliſtæ duo; immanium ſcilicet ſcelerum, cuiuſmodi ſunt, popularis ſeditio, & homicidium. Similiterq; Ennodius in vita S. Antonij Lerinenſis, quemdam zelotypum, qui ſuſpiciones ſuas ſanguine eluerat eius, quẽ fœdati genialis thori inſimulabat, ait à S. Antonio agnitum, quamuis craſſo indumento Latronèm tegeret, & monachum ementiretur: Vbi hominem

a *Serm. 1. de conuerſ. S. Pauli.*

b *Contẽpl. de conflic. carnis & animæ c. 4 num. 2.*

ex zelo quo laborabat ; cæde pollutum, vocat latronem.

Fœdo illi ac barbaro vitæ generi, quãdiu inſtiterit latro de quo agimus, diuinare non licet. Fabulones quidem illi, qui infanti Ieſu vix nato, occurriſſe volunt iam Latronem, ad annos circiter quadraginta latrocinationes eius diffundunt ; neque enim tarda eſſe ſolent latronum ſupplicia, vt etiam Imperatores Honorius & Theodoſius,[a] à latronum tormentis, non Quadrageſimam, non ipſum ſacrum Paſchæ diem, exceptum voluerint, profitentes, [facillimè & in hoc ſummi numinis ſperari veniam, per quod multorum ſalus, & incolumitas procuratur.] Itaque non ita multò antè quàm ad crucem cum Chriſto raperetur, comprehẽſum oportuit ; hoc eſt annis 34. ab eo tempore quo cum incurriſſe in Chriſtum ſcribunt. Eum verò incurſum, fuiſſe primam Latronis graſſationem, vel maleficij tyrocinium, nemo niſi diuinans affirmarit. Reſtat igitur iuxta illam de Latrone in Chriſtum infantem incurrente narrationem, vt eum annos cir-

[a] *L. Prouinciarum c. de feriis.*

citer 40. latrocinatum, longo & ſecuro nequitiæ vſu, quantus obtingit latronibus, profiteantur. Sed ea narratio quanti apud me ſit, iam indicaui, eámque infra pleniùs referam & excutiam. Quare per quantum tempus, diuina patientia latronem dira omnia atque maligna patrantem ſuſtinuerit, non habeo quod dicam.

Tantùm, quod ex Scriptura liquet, hoc confirmo, pœnam quæ antecedentem ſceleſtũ non deſerit, Latronem digna factis recepturum apprehendiſſe, ac contruſum in neruum, mox inferendis cruciatibus obnoxium factum, ſub illud tempus quo auctor vitę noxij ſpecie comprehendi voluit, vt genus noſtrum captiuitate ſua aſſereret in libertatem, & morte reuocaret ad vitam. S. Chryſoſtomus [a] aut quiuis alius auctor homiliæ de cœco à natiuitate, ait Latronem Sanctum, mox à comprehenſione, tormentis de more ſubiectum, nihil eſſe profeſſum. Sed hoc oratoriè à Chryſoſtomo dictum apparet, vel ex [illegible] num con[illegible] [illegible]

neq[illegible]

a Tob. Græcoi.

pondio anteriorum ſcelerũ menſuram cumulant, quod legitimè rogati elingues ſunt ad prodenda quæ geſſerunt. Inde verò S. Chryſoſtomus commendat Latronis iam Sancti pœnitentiam, quem non puduerit publicè ex cruce euulgare quæ fecerat, & profiteri ſe digna factis recipere. Et quamuis improbabile non ſit, priuſquàm diuino afflatu in cruce reſipiſceret eam ſinceritatem defugiſſe, S. tamen Ambroſius[a], Latronem inter confeſſi ſceleris ſupplicia cõſtitutum, emeruiſſe ait præmia innocentis, exuentem Latronis merita; in quibus verbis apertè agnoſcit Latronem priuſquàm de cœlo lumen hauriret, ſcelera ſua ob quæ in crucem actus eſt, faſſum eſſe.

[a] *Lib. 5. de fide c. 5.*

Sancti Latronis deductio ad crucem, verberatio, atque confixio.

CAPVT II.

COmp[illegible] in c[illegible]m *latro-* ag[illegible] ſc[illegible]

lapides in lacrymas emollire poſſe, ſi-
non mens læua præpediat, verè admo-
[a] Hom. 88. in Matth. dum dixit Chryſoſtomus, [a]. quantum
enim eſt, medium in Sancta Triade,
paulò ante, medium inter Moyſem &
Eliam in decore ſuo conſpicuum, & in
medio Synagogæ Deorum, omnium
inquam Sanctorum & Angelorum &
hominum, de vniuerſo terrarum orbe
ſententiam laturum, indigniſſima ſocie-
tate, medium inter Latrones, ad ſuppli-
cium rapi; En verè Dauid in cathedra
inter tres ſapientiſſimus, ſicut tenerri-
mus ligni vermiculus. Sed deſino factũ
per ſe fœdiſſimum & omni execratione
ac deteſtatione perſpicuè dignum,
exaggerare dicendo.

Cauſas eius venantur nonnulli, &
[b] Cap. 15. v. 28. vnâm primò proferunt à S. Marco [b].
[c] Cap. 53. v. 12. prolâtam, vt Iſaiæ [c] Prophetia implere-
tur, quæ dixerat, *& cum iniquis reputatus
eſt* Marcus tamen non hanc profert
cauſam, aſcitorum in Chriſti crucis
ſocietatem latronum, ſed euentum
dumtaxat exponit; ſic enim ſcribit.
*Et crucifixerunt eũ, & cum eo crucifigunt duos
Latrones, vnum à dextris, & alium à ſiniſtris
eius*,

eius, & impleta eſt ſcriptura quæ dicit, & cum iniquis reputatus eſt. Per ſe liquet, quã non quęrat eo loco Euãgeliſta, rationẽ adiuncti Chriſtó Latronis, proferre impletionẽ prophetiæ. Immo tametſi pro crebro ſcripturæ alibi more, adhibita fuiſſet particula *vt*, dixiſſétque Euangeliſta, crucifixos eſſe cum Chriſto Latrones, vt impleretur ſcriptura, quæ eam latronum conſociationem prænuntiarat, non eſſet idcircò affirmandum, reddi à ſacro Scriptore cauſam conſociationis illius, quandoquidem [particula *vt* non ſemper cauſalis eſt, ſed etiam nonnunquam rerum euentum ſignificat] verba ſunt S. Chryſoſtomi, pluribus exemplis id illuſtrantis, circa illum Apoſtoli locum, *Oportet hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt manifeſti fiant in vobis.* Id quod etiam annotat Baſilius [a] Seleuc. expendens illud, *ſed vt glorificetur filius Dei per eam.* Cùm igitur hoc loco, ne ea quidem cauſæ finalis vmbra appareat, quã adhibita particula *vt* aliquando infert, quorſum comminiſcamur prolatam verbis allegatis cauſam à Marco, adiunctorum Chriſto latronum, quam (quod ijdem faciunt qui

[a] *Orat.* 40.

referunt) refellere cogamus tanquam ineptam, quippe qui Deum duntaxat, non item Pilatum de prophetijs implendis nihil cogitantem, mouerit ? Immo verò impletionem prophetiarum ne cauſam quidē fuiſſe reſpectu Dei, nec eum mouiſſe ad permittendam facinoroſorum cum Chriſto addictionem ad ſupplicium, ex eo apertè demonſtratur, quod & Chryſoſtomus proximè laudatus egregiè perpendit, non propterea fiunt aut à Deo præuidentur quæ prædicta ſunt, vt prædictio non ſit caſſa; ſed ex eo quod poſitum ſit prænuntiationis obiectum, cōſequitur impleri prænuntiationem, & oſtendi non irritam, itaut ſcopus ac finis ponendæ rei prænuntiatæ nequaquam ſit prophetiæ expletio, ſed prophetiæ præmittendæ finis ſit anterior rei demonſtratio, rei verò poſitæ effectus ſit expletio prophetiæ.

Germanam igitur cauſam ſociatorum Chriſto ad pœnam latronum, reddere poſſumus duplicem, pro duplice coniunctionis illius origine quam excogitare licet; nimirum ex parte Iudæorum vnam, alteram verò ex parte iudicis Pilati

Pilati. Nam Iudæi, ait Theodorétus [a] [Mediũ quoque inter duos facinoroſos affixerunt Chriſtum, mala nimirum ſuſpicione illum apud populum grauare cupientes.] Itaque pro ea rabie qua in Chriſtum agebantur, ad expiandam æſtuoſiſſimam ſitim qua flagrabant cumulãdæ Chriſto modis omnibus cũ dolore ignominiæ, Latrones illi ſupplicij ſocios adiungendos vel expetiernnt, vel gratiſſimũ habuerunt, tanquã latronnm particeps, imo dux & caput habendus eſſet, qui & cum ijs in crucem actus, & medioloco, tanquã illuſtriore, & magis notando penderet, vt S. Bonauentura [b] Rupertus [c] ac Chryſoſtomus [d] annotarunt: Spe profectò falſi, quod Theophylactus [e] animaduertit, [nam & in ipſa cruce Latronem ſaluauit, quod nullo miraculo minus eſt.] Et pulchrè S. Athanaſius. [f] [Iudæ alias mortis ſpecies prætereuntes, ad crucem feſtinarunt, punitionis ſimul atque ignominiæ id inſtrumẽtum exiſtimãtes legiſque maledictum morti quæ fiebat in ligno accommodant: mortis grauitatem hac ratione magis adhuc onerare

a *Orat 10. de prouid. ſub med.*

b *L. de perfect. vita ad Soror. c. 6.*

c *lib 13. in Ioan.*

d *Hom 88. in Matth.*

e *In c. 19. Ioan.*

f *Orat. in paraſc. to. 2. Gretſ.*

re ſe arbitrantur. Ignorarunt autem, quòd crucem, victoriæ glorioſiſſimæ ſymbolum adornarent: quin ne his quidem contenti, participes atque cõſortes mortis ipſius, etiam Latrones eſſe voluerũt, vt mortis huius comitatio finẽ efficeret turpiorem. Cœterum fugit eos, quod cùm Latronem vnâ cum Chriſto crucifigebant, proprijs ſuis ſuffragjis præconem regni crucifixi pronunciarent: *Domine* inquit, *memento mei, cùm veneris in regnum tuum.*

Quàm item malè Iudæorum incentori Satanæ id ceſſerit, egregiè ſic tradit Chryſoſtomus [a]. [Voluit dæmon rem ipſam obtegere, non tamen valuit. Crucifixi ſunt tres, claruit vnus Ieſus: vt intelligas eius virtute omnia prouenisse, atque tribus crucifixis miracula patuerunt; nemo tamen vllum, alteri latronum atribuit, ſed ſoli Ieſu. Ita Diaboli inſidiæ irritæ factæ ſunt, & in eius caput omni modo irruerunt. Nam ex duobus vnus ſaluus factus eſt. Nòn ſolùm igitur Crucifixi gloriam non offendit, ſed non parum auxit. Neque enim minus fuit in Cruce Latronen conuerti

a *Hom 85. in Ioan.*

conuerti & paradiſum intrare, quàm petras collidi.]

Pilati verò cõſilium, erit qui cenſeat, fuiſſe, apertæ iniquitati, in quam humanæ gratiæ captatione præceps iuerat, velamentum aliquod obtendere. Quod enim nemo dubitaturus eſſet iure damnatos latrones, affricandam innoxio ſceleris fuliginem apud vulgus pœnæ ſocietate, minuendámque ſi quæ foret, protritæ innocentiæ inuidiam exiſtimauit. Hæc de Pilati mente in eo facto, nõ aliter approbarim, quàm ſi ipſe ſponte ſua in illud conſilium venit, nemine impellente. Quamuis longè veriſimilius videatur, arte Iudæorum, & inſaturabili in Chriſtum odio, eam ignominiæ acceſſionem agno innocentiſſimo factã. Iudæorum verò nequitiæ velificatum, hominem, Philone [a] auctore, omnibus flagitijs coopertum, iudicémque corruptiſſimum Pilatum, populari auræ captandæ, in vilis, vt rebatur, tametſi innocui capitis, indigniſſima tractatione atque ludibrijs: Deus verò hoc ipſum traxit ad cumulum ſatisfactionis Chriſti, ea acceſſione probri

cumu

[a] *Lib. de legat. ad Caium.*

leratos, homines nequam, non vulgari ſed eximia nequitia, Latrones dici potuerũt, quamuis aliis ſorderent ſceleribus, quàm quæ vocis cortex profert. Idque fortaſſis exiſtimauit Innocẽtius III.[a] qui inter alia pœnitentîs benè animati exempla, Latronem ſanctum cruci ſuffixum, & à Chriſto miſericordiam conſecutũ repræſentãs, ait eum propter homicidiũ ac ſeditionem, miſſũ in carcerem, cruci tandem addictũ eſſe, & idem habet Idiota;[b] qua in parte quãuis falſos memoria hos auctores, quæ de Barrabba ſunt prodita ad Sanctum Latronem tranſtuliſſe dici queat, tamen potuerunt quoque nõ aliud in iſto latrocinij genus agnoſcere quàm quod in Barrabba deſcribunt Euangeliſtæ duo; immanium ſcilicet ſcelerum, cuiuſmodi ſunt, popularis ſeditio, & homicidium. Similitérq; Ennodius in vita S. Antonij Lerinenſis, quemdam zelotypum, qui ſuſpiciones ſuas ſanguine eluerat eius, quẽ fœdati genialis thori inſimulabat, ait à S. Antonio agnitum, quamuis craſſo indumento Latronẽm tegeret, & monachum ementiretur: Vbi hominem

a *Serm. 1. de conuerſ. S. Pauli.*

b *Contẽpl. de conflic. carnis & animæ c. 4 num. 2.*

ex zelo quo laborabat ; cæde pollutum, vocat latronem.

Fœdo illi ac barbaro vitæ generi, quãdiu inſtiterit latro de quo agimus, diuinare non licet. Fabulones quidem illi, qui infanti Ieſu vix nato, occurriſſe volunt iam Latronem, ad annos circiter quadraginta latrocinationes eius diffundunt ; neque enim tarda eſſe ſolent latronum ſupplicia, vt etiam Imperatores Honorius & Theodoſius, [a] à latronum tormentis, non Quadrageſimam, non ipſum ſacrum Paſchæ diem, exceptum voluerint, profitentes, [facillimè & in hoc ſummi numinis ſperari veniam, per quod multorum ſalus, & incolumitas procuratur.] Itaque non ita multò antè quàm ad crucem cum Chriſto raperetur, comprehẽſum oportuit ; hoc eſt annis 34. ab eo tempore quo eum incurriſſe in Chriſtum ſcribunt. Eum verò incurſum, fuiſſe primam Latronis graſſationem, vel maleficij tyrocinium, nemo niſi diuinans affirmarit. Reſtat igitur iuxta illam de Latrone in Chriſtum infantem incurrente narrationem, vt eum annos cir-

[a] *L. Prouinciarum c. de feriis.*

citer 40. latrocinatum, longo & ſecuro nequitiæ vſu, quantus obtingit latronibus, profiteantur. Sed ea narratio quanti apud me ſit, iam indicaui, eámque infra pleniùs referam & excutiam. Quare per quantum tempus, diuina patientia latronem dira omnia atque maligna patrantem ſuſtinuerit, non habeo quod dicam.

Tantùm, quod ex Scriptura liquet, hoc confirmo, pœnam quæ antecedentem ſceleſtũ non deſerit, Latronem digna factis recepturum apprehendiſſe, ac contruſum in neruum, mox inferendis cruciatibus obnoxium factum, ſub illud tempus quo auctor vitę noxij ſpecie comprehendi voluit, vt genus noſtrum captiuitate ſua aſſereret in libertatem, & morte reuocaret ad vitam. S. Chryſoſtomus [a] aut quiuis alius auctor homiliæ de cœco à natiuitate, ait Latronem Sanctum, mox à comprehenſione, tormentis de more ſubiectum, nihil eſſe profeſſum. Sed hoc oratoriè à Chryſoſtomo dictum apparet, vel ex latronum conſuetudine, qui obfirmati in nequitia, hoc quoque criminis ſuperpondio

a *Tob. Græcol.*

pondio anteriorum ſcelerũ menſuram cumulant, quod legitimè rogati elingues ſunt ad prodenda quæ geſſerunt. Inde verò S. Chryſoſtomus commendat Latronis iam Sancti pœnitentiam, quem non puduerit publicè ex cruce euulgare quæ fecerat, & profiteri ſe digna factis recipere. Et quamuis improbabile non ſit, priuſquàm diuino afflatu in cruce reſipiſceret eam ſinceritatem defugiſſe, S. tamen Ambroſius[a], Latronem inter confeſſi ſceleris ſupplicia cõſtitutum, emeruiſſe ait præmia innocentis, exuentem Latronis merita; in quibus verbis apertè agnoſcit Latronem priuſquàm de cœlo lumen hauriret, ſcelera ſua ob quæ in crucem actus eſt, faſſum eſſe.

a Lib. 5. de fide c. 5.

Sancti Latronis deductio ad crucem, verberatio, atque confixio.

CAPVT. II.

Compactus in carcerem latro, agno Dei innocentiſſimo, cum ſocio item Latrone, ſupplicij comes adiunctus eſt. Hoc verò vel ipſos

lapides in lacrymas emollire poſſe, ſinon mens læua præpediat, verè admodum dixit Chryſoſtomus, [a]. quantum enim eſt, medium in Sancta Triade, paulò ante, medium inter Moyſem & Eliam in decore ſuo conſpicuum, & in medio Synagogæ Deorum, omnium inquam Sanctorum & Angelorum & hominum, de vniuerſo terrarum orbe ſententiam laturum, indigniſſima ſocietate, medium inter Latrones, ad ſupplicium rapi; En verè Dauid in cathedra inter tres ſapientiſſimus, ſicut tenerrimus ligni vermiculus. Sed deſino factũ per ſe fœdiſſimum & omni execratione ac deteſtatione perſpicuè dignum, exaggerare dicendo.

a Hom. 88. in Matth.

Cauſas eius venantur nonnulli, & vnam primò proferunt à S. Marco [b]. prolatam, vt Iſaiæ [c] Prophetia impleretur, quæ dixerat, *& cum iniquis reputatus eſt* Marcus tamen non hanc profert cauſam, aſcitorum in Chriſti crucis ſocietatem latronum, ſed euentum dumtaxat exponit; ſic enim ſcribit. *Et crucifixerunt eũ, & cum eo crucifigunt duos Latrones, vnum à dextris, & alium à ſiniſtris eius,*

b Cap. 15. v. 28.

c Cap. 53. v. 12.

eius, & impleta eſt ſcriptura quæ dicit, & cum iniquis reputatus eſt. Per ſe liquet, quã non quęrat eo loco Euãgeliſta, rationẽ adiuncti Chriſtò Latronis, proferre impletionẽ prophetiæ. Immo tametſi pro crebro ſcripturæ alibi more, adhibita fuiſſet particula *vt*, dixiſſétque Euangeliſta, crucifixos eſſe cum Chriſto Latrones, vt impleretur ſcriptura, quæ eam latronum conſociationem prænuntiarat, non eſſet idcircò affirmandum, reddi à ſacro Scriptore cauſam conſociationis illius, quandoquidem [particula *vt* non ſemper cauſalis eſt, ſed etiam nonnunquam rerum euentum ſignificat] verba ſunt S. Chryſoſtomi, pluribus exemplis id illuſtrantis, circa illum Apoſtoli locum, *Oportet hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt manifeſti fiant in vobis.* Id quod etiam annotat Baſilius [a] Seleuc. expendens illud, *ſed vt glorificetur filius Dei per eam.* Cùm igitur hoc loco, ne ea quidem cauſæ finalis vmbra appareat, quã adhibita particula *vt* aliquando infert, quorſum comminiſcamur prolatam verbis allegatis cauſam à Marco, adiunctorum Christo latronum, quam (quod ijdem faciunt qui

[a] *Orat.* 40.

referunt) refellere cogamus tanquam ineptam, quippe qui Deum duntaxat, non item Pilatum de prophetijs implendis nihil cogitantem, mouerit? Immo verò impletionem prophetiarum ne cauſam quidē fuiſſe reſpectu Dei, nec eum mouiſſe ad permittendam facinoroſorum cum Chriſto addictionem ad ſupplitium, ex eo apertè demonſtratur, quod & Chryſoſtomus proximè laudatus egregiè perpendit, non propterea fiunt aut à Deo præuidentur quæ prædicta ſunt, vt prædictio non ſit caſſa; ſed ex eo quod poſitum ſit prænuntiationis obiectum, cōſequitur impleri prænuntiationem, & oſtendi non irritam, itaut ſcopus ac finis ponendæ rei prænuntiatæ nequaquam ſit prophetiæ expletio, ſed prophetiæ præmittendæ finis ſit anterior rei demonſtratio, rei verò poſitæ effectus ſit expletio prophetiæ. „

Germanam igitur cauſam ſociatorum Chriſto ad pœnam latronum, reddere poſſumus duplicem, pro duplice coniunctionis illius origine quam excogitare licet; nimirum ex parte Iudæorum vnam, alteram verò ex parte iudicis Pilati

Pilati. Nam Iudæi, ait Theodorétus [a] [Mediũ quoque inter duos facinoroſos affixerunt Chriſtum, mala nimirum ſuſpicione illum apud populum grauare cupientes.] Itaque pro ea rabie qua in Chriſtum agebantur, ad expiandam æſtuoſiſſimam ſitim qua flagrabant cumulādæ Chriſto modis omnibus cũ dolore ignominiæ, Latrones illi ſupplicij ſocios adiungendos vel expetiernnt, vel gratiſſimũ habuerunt, tanquã latronnm particeps, imo dux & caput habendus eſſet, qui &, cum ijs in crucem actus, & medioloco, tanquã illuſtriore, & magis notando penderet, vt S. Bonauentura [b] Rupertus [c] ac Chryſoſtomus [d] annotarunt: Spe profectò falſi, quod Theophylactus [e] animaduertit, [nam & in ipſa cruce Latronem ſaluauit, quod nullo miraculo minus eſt.] Et pulchrè S. Athanaſius. [f] [Iudæ alias mortis ſpecies prætereuntes, ad crucem feſtinarunt, punitionis ſimul atque ignominiæ id inſtrumẽtum exiſtimãtes legìſque maledictum morti quæ fiebat in ligno accommodant: mortis grauitatem hac ratione magis adhuc onera-

re

a *Orat* 10. *de prouid. ſub med.*

b *L. de perfect. vita ad Soror c.* 6.

c *Lib* 13. *in Ioan.*

d *Hom* 88. *in Matth.*

e *In c.* 19. *Ioan.*

f *Orat. in paraſc. to.* 2. *Gretſ.*

re ſe arbitrantur. Ignorarunt autem, qùod crucem, victoriæ glorioſiſſimæ ſymbolum adornarent: quin ne his quidem contenti, participes atque cõſortes mortis ipſius, etiam Latrones eſſe voluerũt, vt mortis huius comitatio finẽ efficeret turpiorem. Cœterum fugit eos, quod cùm Latronem vnâ cum Chriſto crucifigebant, proprijs ſuis ſuffragjis præconem regni crucifixi pronunciarent: *Domine* inquit, *memento mei, cùm veneris in regnum tuum.*

Quàm item malè Iudæorum incentori Satanæ id ceſſerit, egregiè ſic tradit Chryſoſtomus [a]. [Voluit dæmon rem ipſam obtegere, non tamen valuit. Crucifixi ſunt tres, claruit vnus Ieſus: vt intelligas eius virtute omnia prouenîſſe, atque tribus crucifixis miracula patuerunt; nemo tamen vllum, alteri latronum atribuit, ſed ſoli Ieſu. Ita Diaboli inſidiæ irritæ factæ ſunt, & in eius caput omni modo irruerunt. Nam ex duobus vnus ſaluus factus eſt. Nòn ſolùm igitur Crucifixi gloriam non offendit, ſed non parum auxit. Neque enim minus fuit in Cruce Latronen conuerti

a Hom 85. in Ioan.

conuerti & paradiſum intrare, quàm petras collidi.]

Pilati verò cõſilium, erit qui cenſeat, fuiſſe, apertæ iniquitati, in quam humanæ gratiæ captatione præceps iuerat, velamentum aliquod obtendere. Quod enim nemo dubitaturus eſſet iure damnatos latrones, affricandam innoxio ſceleris fuliginem apud vulgus pœnæ ſocietate, minuendámque ſi quæ foret, protritæ innocentiæ inuidiam exiſtimauit. Hæc de Pilati mente in eo facto, nõ aliter approbarim, quàm ſi ipſe ſponte ſua in illud conſilium venit, nemine impellente. Quamuis longè veriſimilius videatur, arte Iudæorum, & inſaturabili in Chriſtum odio, eam ignominiæ acceſſionem agno innocentiſſimo factã. Iudæorum verò nequitiæ velificatum, hominem, Philone [a] auctore, omnibus flagitijs coopertum, iudicémque corruptiſſimum Pilatum, populari auræ captandæ, in vilis, vt rebatur, tametſi innocui capitis, indigniſſima tractatione atque ludibrijs: Deus verò hoc ipſum traxit ad cumulum ſatisfactionis Chriſti, ea acceſſione probri

cumu

[a] *Lib. de legat. ad Caium.*

cumulatum, eiúſque manifeſtationem: quod enim acutè attigit Bernardus,[a] ſi qui adiungendi Chriſto ſocij fuerunt, prauos eſſe ſatius fuit, [vt nulla prorſus ſuſpicio poſſet haberi, tanquam ex eis minus efficax ſacrificium ſuppleretur.]

[a] *Serm. 3. de ramis palm.*

Ex his Latronis cum Chriſto ad ſupplicium deducti, manifeſta ratio liquet. Deductum cum Chriſto dixi, quia ita apertè Lucas.[b] *Ducebantur* (inquit) *& alij duo nequam cum eo, vt interficerentur.* Cuiuſmodi autem fuerit hæc deductio, an videlicet Chriſtum proximè antecederent Latrones, an proximè ſubſequerentur, an cingerent eius latera, incertum eſt. Nec dubium quin pro more quem in ipſo Chriſto vſurpatū conſtat, geſtauerint etiam ipſi, cruciatus ſui inſtrumentum. Vt enim in Chriſto ſingulare aliquid ac nouū ea in parte tentarint Iudæi, vel Præſidis adminiſtri, & ipſum quidē cruce oneratum abduxerint, latronibus autem valentibus ac vegetis qui vnà ducebantur, remiſſionem fecerint laboris in geſtanda cruce ſubeundi; veriſimilè certè non eſt, vigente præſertim contrario vſu, quem diſertè

[b] *Cap. 23.*

diſertè verbis illis conſignauit Plutarchus[a],[Corpore quidem quiſque maleficorum ſuam effert crucem.] Concinúntque illa Artemidori[b], [qui in cruce figendus,prius eam portat.] Cuiuſmodi verò ea crux fuerit, fruſtra quærerem. Certum quippe videtur,idque Iudæorũ ſcopus, & ſceleris prætenſa communitas planè fert, ac etiam narratio de S. Crucis inuentione confirmat, eiuſdem omnino formæ ac rationis fuiſſe latronum crucem, cuius ipſa Chriſti crux, de qua tam multæ ſumma diligentia & accuratione conſcriptæ grauiſſimorum recentiorũ,Iuſti Lipſij, Iacobi Gretſeri, Boſij, aliorúmque tractationes omnium manibus teruntur, vt otiosè omnino ac cum lectoris faſtidio cramben toties recoctam viderer appoſiturus. Non melius quæſitum,aut dubitatum à nonnullis, an cruces Latronum quatuor veluti brachijs ſicut crux Chriſti, conſtarent. Sed eam dubitationẽ rectè reijcit qui eam refert Lucas Tudenſis [c]; cum ex hiſtoria crucis inuentæ,quę perhibet, triplicis crucis ſimilitudinem, S. Helenam aliquandiu habuiſſe ancipitem; tum

a *Lib. de ſera numinis vindic.*

b *Lib. 2. oniro. cap. 41.*

c *Lib. 2. contra Alb. c. 19.*

tum ex S. Latronis cruce ad Nicoſiam Cypri ſeruata, in qua teſtatur Tudenſis, quatuor illa brachia animaduerti.

5 Tantùm difficultas eſt nonnulla, quoad titulũ; quẽ cruci Chriſti à Pilato appoſitum, Euangelia teſtantur tacitis latronum titulis, ideóque latronum cruces titulis non fuiſſe pænotatas, ſentiunt plerique. Immo S. Chryſoſt.[a] eumque de more aſſectati [b] Theophylactus & Euthymius. [c] ad diuinam prouidentiam referunt, quòd ſola Chriſti crux titulo prænotata fuerit, vt defoſſa poſſet eo indicio agnoſci, quod & factum produnt, ſuffragante S. Ambroſio; [d] ſed refragantibus alijs grauiſſimis Patribus, qui Crucis Dominicæ agnitionem miraculo adſcribunt, non titulo vel fixuræ ex clauo, quo titulus cruci Dominicæ commiſſus fuiſſet. Præſertim quia veriſimile non eſt, ad eam tituli affixionem clauum grandiorem fuiſſe adhibitum, ſed minutum, eoque crucem modicè foratam, nec adeò altè quin claui veſtigia facilè obliterari poſſent, diſiecto mox clauo ac titulo, vt Ruffinus [e] prodidit. Alij tamen appoſi-

a *Hom. 84. in Ioan.*
b *In c. 19. Ioan.*
c *In c. 27. Matth.*
d *Orat. de obitu Theodoſ.*
e *Lib. 1. hiſt c. 7.*

tos fuiſſe Latronum crucibus titulos, indubiè ſtatuunt, quos ſequitur Palacius[a]. Res eſt vtrinque probabilis, ideóque potior pars recentiorum, aut pro neutra parte pronuntiat, aut ægrè in alterutram inclinat. Videſis Suarem,[b] Malonium,[c] & Gretſerum[d]. Vt ipſe quoque nihil definiam, facit, quod ambiguum ſit ecquis hac in parte vſus in cruciariorum ſupplicio paſſim vigeret. Nam quamuis exploratum ſit, titulos ferè non affixos, ſed cùm noxij educerentur prælatos fuiſſe, vt eſt apud Euſebium[e] cum de Attali ſupplicio, & Suetonium in Caio; [f] Itémque tametſi conſtat non rarò poſt deſcriptam in tabella damnationis ſententiam Romana lingua; vt habent acta S. Pionij, & Tertullianus[g] ſola præconis voce denuntiatam fuiſſe ſupplicij cauſam: (ex Horatij Epodo 6. Exemplum ſuggerit Lampridius in Alexandro Seuero;) Interdum tamen & adhibitum, & cruci appoſitum titulum, dubitare non ſinit quod factum in Chriſto nouimus. Itaque quamuis cruci dominicę, ob Chriſti celebritatem, & ad infigendam ſceleris

a *In c. 10. Ioan. enarrat. 1.*

b *To. 2. 3. p. d. 37 ſ. 2.*

c *Ad cap. 6. Paleoti de ſacra ſindone.*

d *L. 1. de cruce c. 29.*

e *Lib. 5. hiſto. c. 3.*

f *Cap. 32.*

g *Cap 2.*

famam, & eleuandam iniuſtæ necis inuidiam appoſitum titulum voluerint, tamen de latronibus, quòd nihil ea in parte certo ac firmo vſu receptum eſſet, ambiguum eſt síntne eorum cruces titulis prænotatæ. Silentium verò Euangeliſtarum, de titulo Latronum crucibus appoſito, neutri parti præiudicat, cùm id non agerent Scriptores ſacri, vt Latronum hiſtoriam accuratè texerent. Chriſti verò titulum commemorant, & quia Chriſti erat, & quia bilem Iudæis conciuit, & ſingularia myſteria ſignabat, de quibus alij diligenter.

6. Flagellatos tamen hos Latrones, de more cruciariorum reliquorũ priuſquam agerentur in crucem; (eum enim viguiſſe morem, Gallonius latè confirmat [a],) extra controuerſiam eſſe videtur. Nam quamuis in Chriſto domino, quia iuſſu Pilati rabidam plebem delinire ſatagentis, proximè præceſſerat emendatoria flagellatio, (παίδευσιν Græci nominabant, *admonitionem fuſtium* Calliſtratus [b], quæ erat lenior caſtigatio citra necem, inflicta minus nocentibus:) non eſt rurſus adhibita alia flagellatio,

a *Cap. 4. de cruciat. marty.*

b L. veluti *ff. de pœnis.*

gellatio, quidquid minus ſolidè recentiores quidam autumarint. Tamen in latronibus non videtur dubitandum, quin ſeruatus ſit vigens tunc vſus, quem Philo [a] à Flacco in Iudæos cruce ſuffigendos, vſurpatum docet, & à Romanis item in Iudæos in Hieroſolymitana Ioſephus.[b] Idem de ſeruorum cõiuratoru. ſupplicio agens Liuius [c] tradiderat; & ſeruatũ etiam ab Alexandro, cum eos qui Petram obfirmatè defenderant crucibus affigi placuiſſet, ſcribit Curtius [d]. Memorat porrò Philo [e] obſcuriſſimos quoſque qui maximorum ſuppliciorum pœnas exciperent, (cuiuſmodi perſpicuè latrones,) aliter & ab aliis cæſos Alexandriæ, vbi Præſidem agebat Flaccus, quàm honoratas cæteroqui perſonas ſi quando ſupplicium commeritæ reperirentur; quæ liberalium ſiue ciuilium, (vt idem nominat) ac ignobilium flagrorum differentia, an apud Iudæos in Iudæa vigeret, locúmque circa Latrones Chriſto adiunctos habuerit, non affirmo. Tantùm fixum eſto, flagellatos eſſe pro omnium cruciarioum more Latrones, vt à ciuili

a *Lib in Flaccum.*
b *Lib.* 4. *aliàs* 5. *de bello,*
c *Lib* 34.
d *Lib* 8.
e *Ibid.*

ſocietate veluti diuellerentur; Is enim flagellationis illius inferendæ, finis fuit. Latronibus autem Chriſti ſociis irrogatam flagellationem cenſuerim, vel in deductione ad crucem, quod ſolenne olim iis qui ſub furca traducebantur, vt docet celebre exẽplum Autronis apud Lactantium [a], vel ſub ipſam crucifixionem, ínque eius perficiendæ puncto ac loco. Nam ſubitò popularis quaſi turbinis furore abducto ad furcam Chriſto, abrepti ſunt pariter latrones, qui ei eſſent ad ſupplicium comites. Nec principum malignitas, verita in plebe ad facinus inflammata remiſſionem nequitiæ, inducias conceſſiſſe videtur miniſtris, ad flagella latronibus priùs irroganda, quàm abducerentur. Itaque cæſos ſub ipſum extremum ſuppliciũ, vt apud Curtium Petræos, alibíque alios, veriſimile eſt.

a *Lib 2. inſtit. cap. 8.*

7. Et quia ād flagellationem nudati ſunt, ambigi præterea poteſt an veſtes reſumpſerint, priuſquàm crucibus affigerentur, ne nudi penderent. Veſtitos enim pependiſſe Latrones ſignificare vidētur verba quædã S. Chryſoſtomi [b], ſi

b *Hom. 88. in Matth.*

ſi tamen ea verba Latinæ interpretationis antiquioris, cum Græco codice exigamus, longè alita mens Chryſoſtomi apparebit [Poſtquam (inquit) deludentes ſaturati ſunt, duxerunt ipſum vt crucifigerent & denudato ipſo, veſtes eius ceperunt, & ſedentes obſeruabant quandò expiraret & veſtes eius inter ſe partiuntur quod in condemnatis vilibus & abjectis fieri ſolet ac omnino deſtitutis. Partiuntur ea veſtimenta per quæ miracula facta ſunt. Sed tunc nihil efficiebant, Chriſto ineffabilem illorum virtutem cohibēte. Ideo autem magis hic fuit contemptus, quia in abjectum quaſi atque omniū viliſſimū agebatur, vt in latrones nihil tale geſtum fuerit.] Itaque vult tantùm S. Chryſoſtomus, milites lectionem veſtium Chriſti, nō Latronum, commiſiſſe ſortibus, ſiue quòd ad earum cōtactum, vt ante, non ſemel curandos ægros ſperarent, ſiue quòd licet ſimplices, tamen mundæ & puræ eſſent. Quare nihil ille locus facit contra receptam cruciariorum nuditatem quam diſertè ferunt ineptiæ illæ Artemidori [a] Crucifigi bonum eſt pau- [a] *Lib. 2. c. 58.*

peri quia ſublimis eſt crucifixus; noxiũ verò diuiti, quia nudi crucifiguntur. Et ex eo more S. Pionius vt in eius actis refertur, ſuſpectans cœlum vltrò ipſe veſtimentis ſe exuit, iamiam cruci ſuffigendus. An verò tanta fuerit ea nuditas, vt extremum quoque induſium excluſerit, & contra honeſtatem, partes quoque illæ paterent, quas naturalis pudor occuli mandat, obſcurum eſt, & circa Chriſtum ipſum diſſidentibus ſententiis agitatum. Romana namque conſuetudo nudos in crucem agendi, facilè poteſt accipi de nuditate populariter dicta, qua paſſim nudi dicuntur aliqui poſt abiectas extimas veſtes, etiamſi interula aliqua, & exili operimento tegantur, præſertímque ſi dumtaxat abditas habeant partes illas quas pudor patere prohibet. Qua item ratione facilè quis exponat quæ de nudis in crucem actorum. corporibus adducuntur ex Platonis legibus [a] ac Ioſepho [b] & Luciani Prometheo. Video tamen grauiſſimos Patres diſertè Chriſti nuditatem omnimodam aſtruere, & inſignem Chriſti ea in nudatione ignominiam agnoſce

a *Lib.* 11.
b *ib.* 9. *antiq.* c. 3

agnoſcere, eiúſque faciem iuxta Pſaltem cõfuſione tunc oppletã aſſerere:ſic enim S. Ambroſius [a].[Aſcenſurus crucem regalia veſtimenta depoſuit, vt ſcias quaſi hominem paſſum eſſe, non quaſi Deũ regem.]Eſt enim humanitas veſtimentum diuinitatis, iuxta illud. *Et habitu inuentus vt homo.* Et mox. [Refert conſiderare qualis aſcendat. Nudum video. Talis ergo aſcendat qui ſeculum vincere parat, vt ſeculi adiumenta nõ quærat. Victus eſt Adam qui veſtimenta quæſiuit, vicit ille qui tegumenta depoſuit,& talis aſcendit quales nos authore Deo natura formauit. Talis in paradiſo Homo primus habitauerat, talis in paradiſum homo ſecundus intrauit.]

a *Lib.10. in Lucam*

Idem habet Athanaſius [b] aſſerens decuiſſe Chriſtũ eo in opere per quod nos reducebat vnde culpa Adami excideramus,exuere tunicas pelliceas quibus nos Adami peccantis lapſus obtexerat. Apollinaris [c] quoque *nudum tri-clauı repoſitum ligno* Chriſtum proponit. Item S. Auguſtinus [d] Chriſtum cruci affixum cum Noë in domo ſua nudato

b *Serm. de paſſ. & cruce L.8.*

c *In Tragœdia Chriſtus patiens.*

d *Lib.16. Ciuit. c.2. & l. 12. cõtra Fau. cap.23.*

ſcitè confert. Prætereа Heſychius [a] ait, Chriſtum pependiſſe nudum qualis fuerat homo in ſtatu innocentiæ. Concinunt plerique aſcetici, & nominatim Bonauẽtura [b], atque Ludolphus [c]: item Paleotus [d], Gretſerus [e], Suares [f], Franciſcus Lucas [g]. Nec quæ è contra Abulenſis [h], Chriſti ſuffixi femoralia aſtruẽs, adducit; & quæ Malonius [i] & Salmeron [k] opponunt, vt probent partes quas pudor obtegi voluit fuiſſe in Chriſto obductas velamento; necnon quæ Malonius [l] pro Chriſti in cruce veſtiti figura diſputat; tanti reuera ſunt, vt renitentes abducant. Quare cum non fuerit Latronum quàm Chriſti potior conditio, eos quoqué prorſus nudos pependiſſe, æquè ac Chriſtum, eſt veriſimilius.

8. Sic affecti Latrones, in crucibus fixi ſunt, ſuffixo iam Chriſto. Ita enim apertè innuit Mattheus c. 27. vbi poſt deſcriptam Chriſti crucifixionem, veſtimentorum eius partitionem ac ſortitionem per milites, ac tituli trilinguis appoſitionem ad dominicam crucem, ſubdit. *Tunc crucifixi ſunt cum eo duo Latrones*, quod temporis

a *Hom. de S. Andrea.*
b *Medit. vitæ Chriſti cap. 78.*
c *Parte 2. c. 63.*
d *Cap 6. de ſacra ſindone.*
e *Lib. 1. de cruce c. 22.*
f *Tom. 2 3. p. d 36. ſect 4.*
g *Matth 27. ad v. 35.*
h *Parad 5. c. 42.*
i *Ad ca 6. Palao. nu. 10.*
k *Tom 10. tra l 35.*
l *Lib. 4. de imag. c. 4.*

temporis determinati aduerbiũ, apertè fert, Latronum crucifixionem poſteriorem fuiſſe, non modò Christi confixione, ſed etiam ſortitione veſtium ac diuiſione, & appoſitione tituli. Nec repugnant alij Euangeliſtæ, qui ſimul recenſere videntur Chriſti & Latronum confixionem, cùm hanc illi immediatè ſubnectant. Non inquam repugnant, quia quamuis per occaſionem narratæ Chriſti Confixionis, addant Latrones quoque fuiſſe ſuffixos, tamen nihil ſtatuunt, an id tunc vel poſtea ſit factum, quod tamen ſtatuit Matthæus, & eum ipſum ordinem ſeruatum, docet Clemens [a], ita ſcribens. [Carnifices cùm prehendiſſent, Dominum gloriæ ligno crucis hora quidem ſexta affixerunt, hora verò tertia ſententiam contra eum pronunciatam acceperunt. Dederunt deinde acetum cũ felle ad bibendum, tum veſtiũ facta ſortitio, poſtea duos maleficos cum eo vtrinque in Crucem egerunt.] Seruatum eſſe eum ordinem mirum non debet videri. Nam cùm Iudæorum cura parùm vel nihil ferretur in Latronum

a *Lib. 5. conſtit. ca. 13.*

crucifixionem, & in ſolũ Chriſtum ferueret, metuentibus rabidis illis canibus ne præda tamdiu quæſita alicunde dilaberetur, & vel miraculo, vel mutato populi affectu neci ſe ſubduceret, vrgendum omni ratione negotium rati, facilè miniſtros exorarunt, vt à Chriſto auſpicarentur ſupplicium, Latrones còmites; à quibus nihil timebant, quíque probri in Chriſtum decreti acceſſio quædam erant, poſtmodum per otium crucifixuri. Crucifixuri inquam, atque adeò non funibus, quod Vigerius [a] de confixione Chriſti agens exiſtimauit, nec improbat Azor [b] & popularis error ex picturis imperitè confectis hauſtus pleríſque perſuaſit, vt Abulenſis [c], & Michaël de Palacio [d] rectè notarunt; non inquam funibus alligati, ſed clauis trabalibus per manus pedéſque adactis confixi ſunt. Ita apertè fert quòd crucifixos Latrones, æquè ac Chriſtum, ſcribunt omnes ad vnum Euangeliſtæ Mattheus [e], Marcus [f], Lucas [g], & Ioannes [h]: at ex eo quòd Chriſtus crucifixus dicatur, fixuram clauorum interueniſſe, ex vi vocis certum eſt,

a *Chorda* 7.
b 2. *p. l.* 1. *c.* 16. *q.* 4.
c *Parad.* 3. *cap.* 44.
d *In cap.* 19. *Ioan. enarrat.*
e *Cap.* 1. *v.* 38.
f *Cap.* 15 *v.* 27.
g *Cap.* 23 *v.* 33.
h *Cap.* 19 *v.* 18.

eſt, nam niſi clauis fixus eſſet, crucifixus non eſſet, vt S. Auguſtinus [a] ſcitè dixit: Eſtque Eccleſiæ antiqua & certa fides, de qua nemini vnquam in mentem venit, vt ambigeret, præterquam heri aut nudiustertius Germano cuidam ſemiſopito ſectario apud Prateolum. [b] Diſertè item Latronem clauis affixum cruci agnoſcunt Patres; D. Chryſoſtomus. [c] [Quod mente ſana vigilabat clauorum confixione conſtrictus, quis poterit nō admirari?] Et alibi [d] [Latro in crucem ſublatus, clauis affixus.] &c. hinc lucrum maiorem in modū tulit.] Conciuit his verbis Baſilius Seleuciæ [e], [*Latro Chriſtum vel crucifixum prædicabat, & verè erat Euangeliſta, dolorem clauorum præ Domini deſiderio nihil æſtimans.* S. Auguſtinus [f] alicubi, fixum cruci Latronem ſanctum ſæpiùs iterat; alibi [g] clauis confixum ait, diúque cruciatum, quia infirmitati non dominabatur, nec pro poteſtate moriebatur. S. Gregorius [h] pulcherrimè idem expreſſit cùm dixit [[In cruce claui manus eius pedéſque ligauerant, nihílque in eo à pœnis liberū niſi cor & lingua remanſerāt. Inſpirante Deo

a *In Pſal. 68.*

b *Verbo Ioannes Vueſphalus artic. damnato 17.*

c *Hom. de cruce & latro.*

d *Hom 15. in ad Rom.*

e *Orat. 17.*

f *Lib. 1. ad ſimplic. q. 2.*

g *Tract. 7. in Ioan.*

h *18 mor. cap. 25.*

Deo, totum illi obtulit quod in ſe liberum inuenit.] Optimè Alcimus Auitus. [a] Sic enim Deum alloquitur.

a Lib. de ſententia Dei, qui eſt carm. 3. in fine.

——— blando excipe vultu,
Quos confeſſa tibi gemitus pia pectora fundũt,
Vt quondam tecum paſſæ ſub tempore Carnis,
Proximus immani pendens de ſtipite Latro,
Quem nõ culpa tibi ſimilem ſed pœna tenebat,
Confeſſi venia ſupplex eſt criminis vſus.
Ille etenim non vt membris, ita corde ligato
Etſi Confixas clauis extendere palmas
Non potuit, liber mentem cum voce tetendit

Nonnus, [b] (attexam enim Graium, Latino Poëtæ.)

b Paraphr. in cap. 19. Ioan.

Κέντρεις ἀντιτύποισι ἐπὶ σαυροῖο δεθέντες.
In cruce prædur is clauis fixi atque ligati.

Proſtant etiam apud Muretum [c] & Couarruuiam [d] ac Lipſium [e] teſtimonia Ethnicorum non pauca, quibus vſus ille clauis ſuffigendi cruciarios manifeſtiſſimè proditur. Sic enim Seneca [Cùm refigere ſe crucibus conentur, in quas vnuſquiſq; veſtrũ clauos ſuos ipſe adigit, ad ſupplicium tamen acti ſtipitibus ſingulis pendent.] Vlpianus [f] illud Demoſthenis καὶ ἐφ' αἵματι φεύγειν καὶ μόνον ἢ προσηλώσας, exponit προσηλῶσθαι τῷ σαυ

c Ad l. Senecæ de vita beata c. 19.
d Lib. 4. var cap. 5. nu. 2. & 3
e Lib 2. de cruce ca. 8.
f In Demo. Κατὰ Μειδίου.

σαυρῷ τοῖς ἥλοις. Plinius [a] [In quartanis fragmentum claui à cruce, inuolutum lana collo ſubnectunt. Apuleius [b] [Hìc nares & digiti illic carnoſi claui pendentium.] In ipſo rogo configi ſolitos qui damnabantur ad ignem, liquet ex Euſebio martyrium S. Polycarpi recenſente. Idem habent acta [c] S. Pionij *in fine*; ex quibus colligi videtur huiuſmodi ad ignem damnatos fuiſſe cruciarios : ex his ergo aliiſque nonnullis colligit Muretus, omnes qui tollebãtur in crucẽ clauis ſuffixos, & quòd Latrones qui cum Chriſto acti ſunt in crucem, multis locis ita videmus expreſſos quaſi funibus tantùm alligati fuerint, pictorum ac ſtatuariorum errorem eſſe.

a *Lib. 28. cap. 4.*

b *In Mileſ.*

c *Lib. 4. hiſt. c. 14.*

9. Ego omnes cruciarios clauis ſuffixos fuiſſe, non admiſerim, quando & Plinius [d] inter magicas ineptias Spartum è cruce recenſet, & diſertè Abdias, S. Andreæ paſſionem deſcribens, teſtatur eum cruci funibus alligatum non clauis ſuffixum, vt diutiùs cruciaretur. Vnde non probo quod Bellarminus [e] & omnes cruciarios, & nominatim S. Andream

d *Lib. .. cap. ..*

e *Lib. de imag. c. 27.*

Andream clauis ſuffixum cruci exiſtimat. Per errorem tamen pictorum & plaſtarum Latrones Chriſti cruciatuum ſocios, ſolis funibus religatos exprimi, lubens concedo; quod & vox crucifixionis clauos ferat, & ita teſtentur Patres allegati; ſuffragetúrque etiam verior narratio inuentæ S. Crucis per B. Helenam, qua proditur piam illam, vt S. Ambroſius nominat *Stabuiariam* [a], ex tribus effoſſis crucibus, eam in qua ſalus mundi pependerat, priuſquàm diuina indicatio interueniret, internoſcere à Latronum cruce non potuiſſe, vt S. Paulinus [b], Theodoretus [c], Nicephorus [d], Alexander Monachus [e], Georgius Hamartolus [f] aliíque prodiderunt, nimirum quòd in omnibus clauorum fixuræ æquè apparerent.

Negaui ſolis funibus alligatos Latrones, quia ſiquis clauis admiſſis, religatos præterea funibus dicat, non repugnabo. Immò admodum veriſimile eſt fulciendæ corporis moli, ne diſruptis breui manibus fatiſceret, additam clauifixioni aſtrictionem per funes, cum crux ſtatuenda erat ſublimis, qua ratione S. Hilarius

a *Orat. de Theod.*

b *Epiſt* 11. *ad Seuer.*

c *Lib.* 1. *hiſt.c* 18.

d *Lib.* 8. *c.*29.

e *Orat. de crucis inuent.*

f *In Chronico.*

Hilarius [a] agẽs de Chriſti in cruce doloribus & timore. [Sed fortè (inquit) *penduli in cruce corporis pœna* & colligantium funium violenta vincula, & adactorum clauorum cruda vulnera ſunt dolori. Et videamus cuius corporis homo Chriſtus ſit, vt in ſuſpenſam & nodatam & trãsfoſſam carnem dolor inuaſerit.] Apertiſſimè clauifixioni nodationem & ſuſpenſionem per violenta colligantium funium vincula adiungit. Idem ferunt illa Tertulliani [b] [Petrus ab altero cingitur, cùm cruci aſtringitur.] vtique per vincula, quibus qui cruci ſuffigebatur, vt minore delapſus periculo hæreret in cruce, eidem religabatur, præter fixionem per clauos. Concinit Theophylactus Ioannis 21. vbi illud, *Extendes manum tuam, & alius cinget te*, interpretatur de extenſione in cruce, & alligatione per iniecta cum clauis vincula. Apertè quoque idem videntur ferre illa ineptiſſimi ſomniorum coniectoris [c], ſed ad hanc rem tamen vtilia. [Crucifigi (ait agens de eo qui ſe crucifixum ſomniarit) viro cœlibi nuptias deſignat ob ligaturam.] Tandem ad hanc

a *Lib.* 10. *de Trinit.*

b *In Scorp. cap.* 15.

c *Lib* 2. *cap.* 58.

a Lib. 6. quoque mentem à nonnullis accipiuntur illa Lucani [a] deſcribentis quæ ad magicas artes ex cruciariorum reliquiis maga Theſſala expetiiſſet.

——— Loqueum, nodóſque recentes
Ore ſuo rupit, pendentia corpora carpſit,
Abroſitq; cruces, percuſſáq; viſcera nimbis
Vulſit, & incoctas admiſſo Sole medullas:
Inſertum manibus Chalybem, nigrámque per artus
Stillantis tabi ſaniem; virúſque coactum
Suſtulit, & neruo morſus retinēte pependit.

En nodos ad aſtrictionem pertinentes, iunctam inſerto manibus chalybi, id eſt clauis manus terebrantibus. Facilè tamen vim huius loci declinaret qui diceret, magam ex variis crucibus varia collegiſſe, nempe ex furca ſuſpendioſi neruos & laqueos; ex alia clauos, non autem de vna & eadem cruce agi omnibus propoſitis carminibus, vt ſubindicat laqueus, qui clauifixioni nequaquam iunctus.

10. Hæc omnia confecta ſunt priuſquam cruces erigerētur: nam Latrones æquè ac Chriſtum non eſſe in cruces erectas ſublatos, ſed iacentibus cruci-

bus,

bus confixos, móxque iiſdem conſtitutis & erectis pependiſſe longè veriſimilius eſt; quod & confixio in cruce erecta, longè eſſet operoſior, nec vſurpata niſi cùm quis in crucem longè ante conſtitutam agebatur: At cùm quis ſuam ipſius crucem tulerat, aut cùm quomodolibet aliter cruci non antea conſtitutæ figendus erat, ſupinus in ea iacens, ac extenſus figebatur; vt in actis S. Pionij martyris videre eſt, & idē de Chriſto tradunt Laurentius Iuſtinianus [a], Palæotus [b], Franciſcus Lucas [c] quamuis multi alij diffideant, quos refert & ſequitur Malonius,[d] ſed nihil proferunt quod illam operoſiorem confixionem ſuadeat. Idem ergo ſeruatum eſt in Latronibus, id eſt ipſi quoque in crucem iacentem impoſiti, & in ea ſupini ſunt extenſi tum funibus arctè ad brachia adſtricti, ne dolor ad primam fixionem inurendus corpus diſiiceret, & fixionem prohiberet. Subſecuta brachiorum ad modum nerui in arcu, exquiſitè extenſorum confixio. Tum pedum vnico aut pluribus clauis (res enim incerta eſt, &, in Chriſto ipſo non li-

a *Serm. de paſſio*
b *Cap 6. de ſacra ſindo.*
c *Matth. 27 ad v. 35.*
d *Ad citatum Palæo. caput nu. 8.*

quet, vt latiſſimè præter cæteros proſequitur idem Malonius) pedum inquam ſuffixio ſecuta: quàm quód calces non incuruis ſed extenſis genibus prohiberent, non malè coniectatur lignum crucis ea in parte vel aſcia modicè excauatum fuiſſe, vt calcibus introcedentibus poſſet extenſi corporis confixio fieri, vel gibberum aliquod ex crucis nodoſitate interueniſſe iuuans confixionem corporis extenſi, non incurui flexis poplitibus, quanquam claui pedibus immiſſi longitudo (quam longè maiorem fuiſſe oportuit ſi clauus vnicus adhibitus eſt,) illud ſiue cauum ſiue gibbum ſupplere potuit; ſed cum atrociore cruciatus acerbitate.

11. Peractam ad eum modum clauifixionem crucis erectio excepit. Porrò latronum ſic ſuffixorum erectas cruces foraminibus ſuis immiſſas & ritè firmatas, lignum per quod facta eſt iuſtitia vtrimque cinxiſſe, docent Euangeliſtæ, qui Chriſtum medio loco, latrones autem hinc & inde, alterum ſcilicet à dextris, alterum à ſiniſtris pependiſſe teſtātur. Diſertè enim Euangeliſtę duos

tan

tantùm latrones cũ Chriſto crucifixos affirmant. Ioannes [a]. *Crucifixerunt eum, & cum eo alios duos hinc & hinc, medium autem* Ieſum. Marcus [b]. *Crucifigũt cũ eo duos latrones, vnũ à dextris, & aliũ ſiniſtris eius* Mattheus. [c] *Crucifixi ſunt cũ eo duo latrones vnus à dextris, & vnus à ſiniſtris* Lucas [d] *Ducebãtur & alij duo nequã cum eo vt interficerẽtur.*

a Cap 19.

b Cap. 15.

c Cap 27.

d Cap. 23.

Quare non poſſum nõ mirari Origenem [e], qui veritus apparens inter Euangeliſtas diſſidium circa numerum Latronum Chriſto conuiciantium, ambigit, pluréſne duobus latronibus ſint Chriſto confixi, quod eſt apertè contra loca prolata. Duo ergo latrones hinc inde medio Chriſto pendebant. Semper enim Chriſtus medius. Audi Petrũ Damianum [f] [filius Dei vbique in medio. Nam & in illa deitatis eſſentia, media eſt inter Patrem & Spiritum perſona, familiaris humano generi benignitate, familiarior identitate, cùm ſolam noſtræ carnis ſuſceperit paupertatem. Vnde & Dauid in ipſius diuinitatis abiſsũ immerſus, ait: *Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus*; Et illum in medio majeſtatis eſſe proteſtans, &

e In Matt.

f Serm. de S. Victore.

noſtrum aſſerens ſpecialiter, qui noſtræ mortalitatis induit veſtimentum. Pater enim, & Spiritus impleuerunt quidem Virginem ſed majeſtate non ſuſceptione. Eſt & in medio virginis ipſius vtero ſubſtantialiter illatus, qui medietatem, ſtateræ comprehendit humanæ, *Deus enim noſter rex ante ſæcula operatus eſt ſalutem in medio terræ.* Terræ vtique illius, de qua ſcriptum eſt: *nemo erat qui operaretur terram.* Et etiã in medio Eccleſiæ, dicẽte Pſalmiſta: *ſanctificauit tabernaculum ſuum Altiſſimus, Deus in medio eius nõ commouebitur.* Colligamus pauca de pluribus, qualiter ſaluator medius ſit, & ſemper in medio videatur, *vulpes foueas habent & volucres cæli nidos*, ipſe non habet nidum, foueam ignorat, angulum neſcit: locum illum eligit, vnde pateat omnibus, excluſa perſonarũ acceptione. Denique natus, poſitus eſt in medio duorum animalium, & quæſitus inuenitur in medio doctorũ; & medius Iudæorũ ſtat, quem ipſi neſciũt; loquitur & ad diſcipulos: vbi duo *vel tres cõgregati fuerint in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Et, *ego in medio veſtrũ ſum, ſicut qui miniſtrat*, Crucifixus eſt

etiam

etiã in medio duorum Latronũ. Reſurgens ſtetit in medio diſcipulorum ſuorum: & à Ioanne viſus eſt in medio ſeptem Candelabrorum aureorum.]

Anaſtaſius Sinaita [a] Chriſtum vbique, nominatímque inter latrones, medium, confert cum Sole, facto in coſmopœiæ medio, & medio planetarum [b]. Pulchrè item S. Epiphanius [In medio duorum viuorũ cognitus IESVS Dei filius, in medio Patris & Spiritus ſãcti duorum viuorum; vita inquit ex vita viuus agnus; & in medio Angelorũ & hominũ in preſepi in lucem editus; & in medio populorũ lapis angularis poſitus, & in medio legis pariter ac prophetarũ prædicatione celebratus; & in medio Moyſis & Eliæ in monte conſpectus, & in medio duorum latronum, Deus probo latroni cognitus, ſedénſque in medio præſentis vitæ & futuræ iudex æternus, atque in medio viuorum & mortuorum duplicem vitam & ſalutem perfecit.] Voluit porrò Deus hac ratione, Chriſtum ſuum verum mediatorem demonſtrare, qui vt diſputat S. Cyrillus, medius incedit inter bonos &

a *Lib. 4. hexaëm. in ipſo fine.*

b *Orat. in ſepulch. Chriſti.*

malos, prohibens eos congreſſione, & ſuos iuuans ac firmans interpoſitione ſua. Quo refert S. Cyrillus [a]. illud de Angelo in Geneſi proditum. *Suſtulit ſe Angelus Dei, & columna nubis, & ingreſſa eſt inter caſtra Ægyptiorum, & inter castra Iſraël, & non ſunt commixti inter ſe tota nocte.* Itaque Chriſtus ex Dei conſilio, verus mediator ea interpoſitione prodebatur. Bonum enim latronem Symbolum fuiſſe electorũ omniũ, blaſphemum autem reproborũ, infrà pateſaciã.

a *Lib. 3. de ador.*

12. Fuit ſanè hæc Chriſti Domini vel ſumma, (me quidem iudice,) vel inſignis infamia, medio & ſummo loco eminere inter latrones patibularios; cuius infamię Chriſtus Dominus participes eſſe voluit quoſdam è ſuis. Nam eandem Nemeſio Ægyptio ſanctiſſimo martyri communicatam ab impio iudice tradit Dionyſius Alexandrinus [b], ſcribens eũ primò latrocinij accuſatum & purgatum, tandem quòd Chriſtianus eſſet, inter duos latrones exuſtum. Similiter S. Pionius vt Metaphraſtes retulit, cum Metrodoro Marcionita cruci ad eius ſiniſtrã confixo & ipſe cruci cõfixus,

b *Apud Euſeb. lib. 6. hiſtor. c. 34.*

fixus, & ſubiecto igne cōbuſtus eſt. S. Paphnutius Monachus & martyr 28. Aprilis [a] captus, & carceri inter maleficos mancipatus, ſe ſolabatur exemplo Chriſti vitæ noſtræ, pendentis inter latrones. Theophilus Imperator Iconomachus Methodiũ virum & pietate, & doctrina eminentiſſimũ, ob Chriſtianæ de Imaginibus fidei conſtantẽ aſſertionẽ [in inſulã relegatum (ait Conſtantinus Manaſſes [b]) Speluncæ, cadaueris inſtar incluſit, tanquam vnionem in concham, roſam inter ſpinas: Præterea duos ei latrones adiunxit, quorum altero extincto & iam marceſcente, naturali quadã neceſſitate, fœdum illũ odorem, & peſtiferum aërem, tolerantiſſimus athletes animo tulit æquiſſimo, quẽ ne adamas quidẽ ſuſtinere potuiſſet. Alter libertate donatus exire noluit, ſed intra illam ſpeluncã caliginóſã manens, diuinæque viuẽdi rationis æmulator factus, ſolis inſtar, vitæ religioſæ radios ſparſit.]

a *Apud Surium ferè initio vitæ.*

b *In annal. num.* 188.

Virum ſanctiſſimùm, qui in verſibus quos ibidem ſubdit Manaſſes ad Theodorũ, (Theophanẽ infrà vocat,) ac Metrophanem Iambicis verſibus frõte inu-

ſtos propter fidem, ſcipſum, *viuum obrutum* pulcherimè nominauit, in gradum ampliſſimum reſtituit. Theophilus, à cubiculario tanquam Pharao à pincerna de Ioſepho admonitus, & quanta ille peritia eſſet in enodandis auctorum obſcuriſſimis locis certior factus quòd Imperatori librorum & ſtudiorũ peramanti placuit. Vnde in ſummo honore auditum Methodium, apud ſe in palatio habuit, tandémque Patriarcha Conſtantinopolitanus eſt creatus, & cum Theodora Theophili coniuge Chatolica fœmina, religionem Catholicam egregiè reſtituit. Addendũ & illud non ita antiquum. Anno 1534. decem Carthuſiani ab Henrico octauo Anglię Rege inter latrones ad maius probrum neci dati referente Sandero [a].

13. Summam hanc ignominiam, ac depreſſionis Chriſti verè oſtentum, Iſaias [b] diſertè ſummis honoribus ac nominis celebritate Deo digna penſandum prænuntiat. Et verè Deo viſum eſſe eam Sedem Cruci Dominicæ aſſignari, tanquam tribunali è quo in ſubjectos hinc inde electos ac reprobos

duobus

a *Lib. 1. de ſchiſm. Angl.*

b *Cap. 53.*

duobus latronibus vtrinque pendentibus præſignatos ſententia ferretur; vel tanquam lingulato canoni ad tranſuerſum ſcapum medio, vnde libræ vtráque lanx examinaretur, cum S. Leone [a] aliiſque Patribus infrà diligentiùs docebo. Nec inuenuſtè Nouatianus [b] trahit hanc Chriſti inter extremos latrones mediam ſedem, ad veritatem Chriſtianam inter errorum abrupta vtrinque iacentia locatam. Sic enim Ebioneis Chriſtum purum Deum, Baſilidianis è contrario purum hominem blaſphemãtibus, Eccleſia vtroque extremo errore declinato, & Deum ſimul & hominem profitetur. Sic Sabellianis vnicàm in Auguſtiſſima Triade diuinam perſonam nuncupatione ſola multiplicem, Arrianis verò tres naturas inæquales Deo inferentibus, fides Catholica tres in Deo perſonas, naturam vnicã agnoſcit. Sic fugiens Charybdim, ait S. Auguſtinus [c], vt in Scyllam non incurrat, ita declinãs gurgitem impietatis Sabellianorum, vt caueat naufragare in Scyllæis ſcopulis Arrianorum, in medio nauigans, vtrúmque periculoſum latus

a *Serm. 4. de paſſ.*

b *Lib. de Trinit.*

c *Tract 36. in ioan*

euitans. Eutyches quoque diuinam & humanam Chriſti naturam in vnam maſſam ridiculè ęquè,ac fœdè,commiſcuit. Neſtorius vtrámque naturã adeò diſiunxit, vt perſonarum etiam diſſociationem admitteret. Vterque deterrimè & contra veram fidem, quæ duas in Chriſto naturas impermixtas vnicâ perſonalitate terminatas, confitetur. Pelagiani tam valens támque firmũ hominis arbitrium commenti ſunt,vt gratię ſuppetias neceſſarias negarent. Manichæi, & ſuorum parentum genuina ſoboles Lutherani ac Caluiniani,gratiam verbo tenus adeò extollunt,arbitrij autem infirmitatem adeò exaggerant, vt contritis naturæ viribus omnia gratiæ adſcribant. Medium tenuere Catholici, & liberum arbitrium profitentes, & gratiæ neceſſitatem, ad eas actiones quę naturę ordinem ſuperant, atque adeò facultates naturales non munitas diuina illa vegetatione tranſcendunt. Denique *lis hæreticorum*, vt in hanc rem ait S. Hilarius [a], noſtrâ fides eſt: Per omnes enim propè errores excurrere, idémque obſeruare, non foret operoſum. Ortum autem

[a] *Lib. 1. de Trinit. in argumento libri ſeptimi.*

autem id ex maximo, ſtudio, alterũ ex-
tremum deuitandi docet S. Thomas[a]. a *Opuſ. 6. cap. 9.*
hoc ergo Nouatianus, in illa mediæ ve-
ritatis inter extremos latrones ſuſpenſi-
one ſignatum docet.

14. Sed cùm medius Chriſti de cruce
pendentis locus omnium Euangeliſta-
rum teſtificatione ſit exploratus; dubiũ
tamen eſſe poteſt, qua parte latro
Sanctus pependerit; dextrorſúmne
an ſiniſtrorſum: Nam de Latronibus
Euangeliſtæ hoc tantùm referunt, pe-
pendiſſe è ſua quémque cruce, ad Chri-
ſti dextram & ſiniſtram: vter autem ad
hanc illámue partem pependerit, non
produnt. Sanctis tamen Patribus ea in-
ſedit ſententia, Sanctum Latronem ad
Chriſti dexterã pependiſſe, reprobum
ad ſiniſtram. S. Leo[b] ad hunc ſenſum b *Serm. 4. de paſſio.*
grauiter tradit, ipſa patibuli ſpecie iam
tunc monſtratum, quæ futura quandó-
que eſſet orbis vniuerſi diſcretio in
mundi exitio; ſaluandos exhibente la-
trone qui ad dexteram crucifixus eſt;
reprobos autem ſignãte blaſphemo illo
qui pependit à ſiniſtris Chriſti, ſicut in
mundi meta ad iudicis læuam hædi, ad
dexteram

dexteram oues collocabuntur. Nec diſſimiliter S. Auguſtinus [a]. Itémque Hieronymus [b]. Omnes vt videtur ex S. Hilario [c], profecerunt, qui eo planè modo pulcherrimè philoſophatur, & dexterã S. Latroni diſertè arrogat. Dextrũ quoque Chriſto ſanctum Latronẽ ſtatuunt S. Vincentius [d] Petrus Exquilinus [e] Gaufridus Vindocinenſis, [f] Rupertus Cœleſtinus [g], Papa [h], Laurentius Iuſtinianus [i] Antiquiſſimæ præterea picturæ, dextrũ quem dixi ſancti Latronis ſitum conſtanter exhibẽt. Accedit narratio hiatus ad ima tartara peruadentis à ſiniſtro crucis Chriſti latere, quam ita texit Adricomius [k]. [In petroſo Caluariæ mõte adhuc extat argumentum ruptarum petrarum. Ibi enim conſpici etiamnum poteſt illa, quæ ſub manu Chriſti læua, & à ſiniſtris pendentis latronis in cruce, in morte Domini facta eſt ſciſſura: in qua Dominici sãguinis colorem adhuc deprehendere licet, &c. cuius quidem ſciſſuræ ea eſt latitudo, quod humani corporis craſſitiem facilè capere poſſit: profunditas verò tanta, quod ab huius rei curioſis dimiſſa bolide, nequaquam potuerit

a *Tract. 31. in Ioan.*
b *Marc.* 15.
c *Cano. 33. in Matth.*
d *Serm. in paraſc.*
e *In vita S. Diſmæ.*
f *Serm.* 10. initio.
g *Lib* 2. *in Iſaiam. c.* 29
h 26. *q* 6 *cap. co gnouimus*
i *De triũ phi. Chriſ. ago. c* 18.
k *In deſcr. vrbis Hieſol. qualis fuit Chriſti tempore.*

potuerit inueſtigari; vt veriſimile ſit, ad infernum vſque patere; & quemadmodum latroni dextero via per Chriſti mortem in Cœlum reſerata eſt; ita per petræ huius ſciſſuram latroni ſiniſtro (vt olim rebelli Core) viam in infernum apertam eſſe.]

15. Quid ergo ſectario Adriano Iunio inmentem venit, vt referẽte Molano [a]. dextrum Latronem perpetuis in Chriſtum conuiciis, & obfirmatione in ſcelere infamaret, læuum autem miſericordiam conſecutum quam expetierat, comminiſceretur? Stramineum verò eſt fundamentum quo nititur; Iacobi nimirum palmis decuſſatis potiora iura, Ephraim ad læuam poſito concedentis: Vnde enim habet Nouator geminos Iacobi nepotes vtrúmque latronem pręſignaſſe? Præterquam quod exemplum Iacobi manuum decuſſatarum, confodit ſectarij audaciam. Nam Ephraim qui prærogatiuas illas tulit, dexter Iacobo dici poteſt, quatenus dexteram ſuam Iacobus non Manaſſi, ſed Ephraim ſuperpoſuit. Merum igitur figmentum eſt, quod Sectarius ſolita erronibus licentia

a *Lib. 4 de imag. c. 9.*

centia

centia de ſuo cerebro effutiuit; proindéque dum nouandi cauſa nulla profertur, auſcultare omnibus retrò Patribus ac Doctoribus, & perpetuo Eccleſiæ ſenſui pictorum ac plaſtarum opificiis prodito adhærere, quàm nouitates nullo fundamento ſubnixas conſectari, longè æquiſſimum fuerit.

Sancti Latronis in ipſa cruce angores. Quid inter eos primùm dixerit, feceritque; Siue de eius initio in Chriſtum ſannis, impatientia, atque blaſphemiis.

CAPVT III.

a Epiſt. 48. [TRES ergo cruces in loco vno erant.] Verba ſunt D. Auguſtini ad Vincentium [a], [in vna latro liberandus, in alia latro damnandus: in media Chriſtus alterum liberaturus, alterum damnaturus. Quid ſimilius iſtis crucibus? quid diſſimilius iſtis pendentibus?] Item Chryſoſt. [b] [pendebat in

b Orat. in paraſc.

in cruce agnus & duo lupi.] Sed de Chriſto quidem pro nobis ſuffixo taciti abeamus in præſentia; Tantum quanto licet ſenſu grati animi, & altiſſima demiſſione ei accidentes, tantam in nos charitatem, illa qua maiorem nemo habet ſuperiorem venerati, ad latrones conuertamur, illúmque inprimis cui hæc opella addicitur. Nam in paſſione noſtri Saluatoris, ait Gaufridus Vindocinenſis [a], [latro ille, qui in ſiniſtris poſitus fuerat & adulabatur Iudæis, & conuitiabatur Chriſto, malam vitam pejori morte finiuit, & recepit ſicut meruerat: & ideò diu loqui de eo, inanis labor eſt & mora inutilis. Loquimur igitur de alio de quo loqui & materia fidelis eſt, & cauſa ſalubris.] Eius in cruce ſuffixi cruciatum primò breuiter attingam, tum quid inter eos angores dixerit feceritque adiiciam.

[a] *Serm.* 10.

2. Cruciatus S. Latronis, vel abſolutè ſpectatur vel comparatiuè ad Chriſtum ſimul pendentem. Abſolutè loquendo certum eſt, ingentem omnino fuiſſe dolorem ex clauifixione & ſuſpenſione inflictum. Cùm enim doloris origo vel

ex continui diuiſione,vel ex diſtẽperie, vel ex vtriuſque illius cauſę adunatione ortũ habeat,côque acrior & acerbior ſit morſus doloris, quo cauſæ illæ dolendi perfectiori tactioni obiiciuntur, perſpicuè efficitur, dolorem latronis fuiſſe omnino exquiſitum. Nam continui diuiſio clauorum immiſſione inferebatur, & quidem in iis partibus, in quibus ob concurſum neruorum & muſculorum, quæ ſunt præcipua tactionis ſenſiteria, inſigniter viget doloris ſenſus. Et accedebat corporis moles, quæ de ſola manus vtriúſque vola pendens, mirum ſi eam non rumpebat: ita certè lacerabat, vt ſummus inde & acutiſſimus dolor concitaretur. Quòd ſi ſuppedaneam tabellam ſuſtentandę vtcúmque corporis grauitati, nę manus nimio ponderi impares eſſent, adhibitam crucibus velimus, quod S. Irenæus [a] & Iuſtinus martyr [b] perſpicuè agnoſcũt, requieuiſſe & innixos fuiſſe in ea cruciarios, expreſsè tradentes: (quanquam nulla huius fulcri & ſuſtentaculi veſtigia apparent apud Ethnicos cruciariorũ ſupplicia deſcribentes:) tamen ne ſic quidem

a *Lib 2. c. 42.*
b *In collo. cum Trypho.*

dem adeò miteſcit dolor ex continui per clauifixionem diuiſione, quin ſit acutiſſimus ob perfoſſionem partium exquiſita vi tangendi præditarum, quæ diſruptio per adactos trabales clauos illata, moleſtiſſima renuntiabatur appetitui ſēſitiuo ab hoc eius veluti apparitore & internūtio. Vnde immēſitas abyſſi doloris ac mœroris in appetitu tã immane objectum fruſtra horreſcēte, eius fuga planè præcluſa per violentam appoſitionem. Diſtemperies verò ex clauifixione qualis & quanta ſequeretur, obſcurum non eſt. Manante enim per eos veluti elices plurimo ſanguine, & multis ſpiritibus effluentibus, vniuerſam temperiei corporeæ ſymmetriam turbari atque concidere neceſſe fuit; itaut quamuis mors non confeſtim ſequeretur, eſſet tamen vita in eo ſtatu mors quędam protenſa, quod S. Auguſtinus [a] acutè de more his verbis attigit expendens ſupplicij huius grauitatem. [Illa morte peiuſ nihil fuit, inter omnia genera mortium. Denique, vbi dolores acerrimi exagitant, cruciatus vocatur, à cruce nominatus. Pendentiſ enim

a *Tract. 36 in Ioã.*

in ligno crucifixi, clauis ad lignum pedibus manibúſque confixi, producta morte necabantur: Non enim crucifigi, hoc erat occidi; ſed diu viuebatur in cruce, non quia longior vita eligebatur, ſed quia mors ipſa protendebatur ne dolor citiùs finiretur.] Paulò poſt [Extremum ac peſſimum, mortis genus] appellat, addítque nihil fuiſſe in carne intolerabilius. Alibi [a], crucem aſpera voce ſignatam obſeruat, vt ſenſus rerum, cum ſonorum ſenſu concordaret. Scatent Epithetis atrocitatem crucis ſonantibus & noſtrorum & externorũ libri, quæ in re cuiuis obuia ſciens prætereo. Æquè ſileo dolorẽ animo inuſtũ ex infamia ſumma ſupplicij. Nã [nihil illo tempore fuit ignominioſius quàm mors crucis,] iuxta S. Auguſtinum [b], tametſi id nũc nobis minus apparere obſeruat, eo quòd Dominus crucem honoratam voluerit iã ex hoc ſæculo, prohibita noxiorũ fixione in cruce per mundi rectores; quorum etiam frontibus apponitur, quæ olim vel conſpectu abominabilis habebatur. Dolorem ergo ex tanta ſupplicij infamia ſciens prætereo, quòd

a Lib. de princip. Dialect.

b Serm. 18. de verb. Dom. cap. 8.

& internus eſſet, & in vili capite exilior ac tenuior videri nō immeritò potuerit.

3. Iam ſi dolores S. Latronis cum Chriſti doloribus componamus, (quæ erat altera cruciatuum latronis conſideratio ſuprà propoſita,) omnino ſtatuendum eſt, dolores latronis præ Chriſti doloribus leues fuiſſe, longéque tolerabiliores. Id quod diiudicari facilè poterit ex iis quæ de cauſis acerbitatis dolorum Chriſti patientis egregiè diſputat S. Bonauentura [a], & ex recentioribus Suarez. [b] præſertim verò conſideranda eſt Chriſti Domini exquiſitiſſima temperies, tactum profundens acerrimum. Sicut enim ſtimuli impactio, quæ aſino, propter aſininam hoc eſt ignobiliſſimā temperiem, non eſt adeò dura; homini ob temperiem perfectiorem accideret longè aſperior: ita inter ipſos homines, qui temperatiores ſunt, acriùs percelluntur admoto eodem doloris obiecto. Hæc vehementioris doloris perfectiorem tactionem conſequentis origo, latroni defuit: Itémque diuturnitas dolorum, iam à cōcubia nocte antecedente qua Chriſtus comprehenſus eſt, ad

a *In 3. d. 16. art. 1, q. 2.*
b *T. 2. 3 p. d. 33. ſ. 2.*

tempus vſque crucis prorogatorum: nec in iis duntaxat mēbris quæ latroni perfoſſa ſunt, ſed & in aliis pleríſque cruciatus eſt Chriſtus. Nam corona ſpinea caput Redemptoris cinxit, & intra illud arundine percutiente infixa eſt. Acceſſere colaphi, ſputa, calciū impactiones, felliti aceti propinatio, aliáque non ad ignominiam magis quàm ad dolorem ſpectãtia, quibus parcitum eſſe circa latrones notauit S. Iſidorus Peluſ.[a] verbis illis in hãc rem & ad ſuſpiciendã Chriſti pro nobis charitatem planè inſignibus. [In eo ſupplicio quod Chriſtus voluntariè ac ſponte ſubiit, nullum non contumeliæ genus excitatum eſt. Pendebat quippe in patibulo, meridiano tempore, atquè in metropolitana vrbe, ac maximo feſto, in quo neminem fuiſſe veriſimile eſt, qui nõ intereſſet. Quin etiam alij cauillis in eum ludebant, alij ſannis eum impetebant, alij probris lacerabanr, alij acetum offerebant, alij contumeliis eum afficiebant, alij lancea ipſius latus fodiebant. Atque in eos quidem latrones qui vnâ cum ipſo in crucem acti fuerant, nihil tale perpetrabant;

a *Lib. 3. epiſt. 130.*

trabant. In ipſum autem, eiuſmodi contumeliis; quibus ne innocentes quidem & facinoroſos vti fas eſt, bacchabantur.] Illud etiam maximè expendi vult Abulenſis [a]; ſuperiorem partem in Chriſto nulla ratione mitigaſſe dolores inferioris partis; cùm tamen naturaliter hoc ſibi inuicem propter Sympathiam præſtent facultates cognoſcitiuæ vtriúſque ordinis homini implantatæ, vt vſia alterius vim quaſi caſtiget, vehementiámque retundat, eo ipſo quòd vna concomitanter ad aliam ſemper operante, exſugitur portio virium animæ, qua in alteram facultatem non impenſa, languidior ab ea & remiſſior actio promanet neceſſe eſt: planéque ita contigit in latrone, ſiue intellectum alio auertere conaretur, ſícque tantiſper ſenſuum & appetitus vigorem eneruaret, ſiue de ipſis cruciatibus ita cogitaret per intellectum, vt varia ſibi lenimenta admoueret; qualia non pauca occurrere poterant, vt finiendorum breui dolorum, ſocietatis vnà patientiũ quæ auctore Ariſtotele [b] dolorem mitigat. Quid quòd hebeſcebat in latrone

a *Parad. 3. cap. 49.*

b *Lib. 2. Rhetor.*

aculeus doloris ex conſideratione anteriorum noxarum ac criminum quibus eam pœnam dignè ac iuſtè rependi ipſemet in comparis reprehenſione non tacuit? At Chriſtus non pro ſua,ſed pro aliena culpa patiebatur. Quòd ſi pro ea charitate qua flagrabat, temperabatur tãtiſper doloris acerbitas ex prænotione redundaturæ in genus humanum per eas plagas ſánitatis: tamen carpendam inde ſuauitatem diluebat,nec modico amarore inficiebat certum exitium multorum, quos ſaluberrimo aduerſus mortẽ antidoto, & pretioſiſſimi cruoris malagmate ingratiſſimè abiecto, æternùm perituros,liquidiſſimè peruidebat.

4. Hæ alíæque non difficile occurrentes doloris cauſæ Chriſto Domino peculiares,à Sancto Latrone aberant:& illa quæ ducta eſt ex redundantia leniminis alicuius à ſuperiori animæ portione ad inferiorem, abfuiſſet neceſſariò à quocúmque puro homine; vt propterea concludat Abulenſis [a], impoſſibile fuiſſe quemquam ex iiſdem plagis quas Chriſtus excepit tantum haurire dolorem,quantus Chriſto inuſtus eſt;ſaltem

ex

a *Loco allegato.*

ex eo capite, colligatarum, nec tamen in eo vllatenus mala ſua lenientium potentiarum. Quam rationem eatenus admitto, quatenus Chriſto fixum erat ſolatium illud à potentiis colligatis ad antiſtrophas refundendum, præcludere, ita ferente decreto Patris, & æſtuoſiſſima qua flagrabat charitate indicente exuberantiſſimam illam ſatisfactionem ex meracitate immanium dolorum; quę præcluſio nulli puro homini neceſſaria vnquam fuit, eritue. Ex alia verò parte, colligatio potentiarum in idem triſte obiectum defixarum, deque eo dolentium pro ſuo modulo, ad doloris potius diffuſionem & exaggerationem facit: Non enim ſi amicus condolens amici dolorem alleuat, vt rectè Ariſtoteles notauit, inferre ſimiliter licet, appetitus ſuperioris cum inferiore ſimul triſtati mœſtitiam, minuere quantitatem doloris in appetitum ſenſitiuum ex eo obiecto deriuandi. Nam amicus, eſt diuerſum ſuppoſitum ab amico quem afflictum miſeratur: ideóque mirum non eſt veluti diſtributa in alium parte oneris, ſarcinam reſiduam minus grauare.

At duplex appetitus eiuſdem hominis, eidem animæ conſertus eſt, aſſectatúrque idem ſuppoſitum. longè itaque leuiora quàm Chriſtus Dominus, in cruce paſſus eſt S. Latro. Abſolutè tamen, & ea cōparatione ſecluſa, omnino dura eſſe perpeſſum, nemo inficias iuerit.

5. Inter hos dolores, noſter latro ſiue maledicendi prurigine, quæ in peſſimè morato homine noua videri non poteſt, cùm illud vitium, quod Paulinns grauiſſimè Celantiàm monet, etiam probatiſſimos & aliorum ſcelerum puros infeſtet: ſiue ex crudelitate, vt Euthymius [a] obſeruat; ſiue ad aliquam, per ſubſannationem, & lancinationem alterius, alleuationem calamitatis propriæ; ſiue denique circumfuſæ plebis conuicia in Chriſtum congerentis veluti torrente abreptus, conuiciis & ipſe proſcindere, ac blaſphemiis onerare Chriſtum cœpit. Quod plane ferre videtur illa Matthęi [b] poſt relatas ſcribarū & ſeniorū in Chriſtū ſannas. *Idipſum autem & latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabāt ei* Marcus itē apertè [c]. *Qui cum eo crucifixi erant conuiciabātur ei.* Quæ plurales

a Suo cap. 67. in Matth.

b Cap 27.

c Cap. 15.

rales locutiones, cũ de duobus tantùm agitur, vtrúmque comprehendunt.

Non me latet S. Auguſtinum [a] adductum illis Lucæ [b] verbis. *Vnus de his qui pendebant latronibus blaſphemabat eum*, & apertè proficientem ex S. Ambroſio [c] ad eum Lucæ locum, exiſtimaſſe numerum pluralem in prædictis Matthæi & Lucæ locis, vſurpatũ eſſe pro ſingulari: qua ratione Sancti, ab Apoſtolo dicuntur clauſiſſe ora leonum; cùm tamen vnus ea Daniel clauſerit; & ſecti eſſe, cùm vnus dũtaxat ſectus legatur Iſaias. Et admodum frequens eſt, vt quis ab vno ruſtico appetitus ſcommate, indignãs exclamet *etiam ruſtici mihi inſultant.* Et qui non audent totum ſenſum effundere, veriti damnũ ab iis impendẽs quos violabunt ſi apertè eloquantur, itaut non poſſit deinde prætexi excuſatio, generatim expoſtulant, eſſe qui hoc illúdue perperàm fecerint, etiamſi ſciãt vnicum eſſe qui fecerit. Non pauca huiuſmodi Sylleptſeos ab vno plures denominantis exempla, ex Scripturis profert Baſilius Poncius. [d] Annuũt D. Auguſtino, alij nõ pauci, nominatímque recen-

a *Lib.* 3. *de conſ. Euãg, cap.* 16.
b *Cap.* 23.
c *Lib.* 10. *in Luc.*
d *Quæſt* 10. *ſchol. cap.* 1.

a Matth. 27. nu. 44. tiores, vt Maldonatus [a] qui falsò laudat in ſuam ſententiam Cyprianum, & Cyrillum Hieroſolymitanum, Leonem atque Gregorium Pontifices, qui omnes aliud reuera non dicunt quàm quod dixit S. Lucas; Non excludunt autem anteriorem Latronis ſancti impatientiam atque blaſphemias: Bellarminus [b] item & Suarez propoſitæ [c] D. Auguſtini ſententiæ ſubſcribunt.

b Lib. 1. de 7. verbis cap. 4.

c 3. p. q. 46. artic. 11. circa ad 3.

Tamen ea vſurpatio numeri ſingularis pro plurali à ſimplici narratione quã Euangeliſtę cõtexebant, videtur abhorrere; Solétque duntaxat vſurpari, vel cùm contemptim de aliquo loquimur, quẽ ſignatim exprimere nõ placet, ſed cõfusè tantùm, quod fit in exẽplo ruſtici proximè propoſito: vel cùm ad declinandã expreſſionis diſtinctę ac ſingularis inuidiã, generatim tãtùm & pluraliter, indefinitè tamẽ loquimur, atq; adeò citra diſpendiũ veritatis, quod accidit in illo alio exẽplo oblocutiônis vel expoſtulationis obſcurę; vel deniq; cùm oratoriè multa conſtipanda ſunt, quæ ſi proferrẽtur per ſingula, immenſam narrationem poſtularent, vt factum eſt ab

Apoſtolo

Apoſtolo in memorato fidei & Sanctorum fidelium encomio. Cùm ergo nulla harum cauſarum interueniat in re noſtra, & iis ſecluſis, narrationis Euangelicæ ſimplicitas exigat, vt numerus pro numero non adhibeatur, verius videtur, etiam Latronem ſanctum initio blaſphemias & conuitia in Chriſtum iactaſſe; quamuis poſtea reſipuerit, nec abſtinuerit duntaxat ipſe conuiciis in Chriſtum, ſed collegam quoque in malitia obfirmatum, compeſcuerit & increparit.

6. Hac ratione grauiſſimi Patres, loca Matthæi & Marci propoſita, ſunt interpretati. Paucos profero. Origenes [a] propoſito apparenti quoad hoc inter Euangeliſtas diſſidio, reſpondet in hæc verba. [Conueniens ergo eſt vt in primis quidem ambo Latrones intelligantur Dominum blaſphemaſſe: poſt hoc autem, vnùm ex eis conuerſum eſſe, & credidiſſe, tractantem, apud ſeipſum de his miraculis quæ audiebat facta ab eo. Forſitan autem & videntem aëris conuerſionem, ac tenebras fieri inſuetas, & non *ſicut fieri frequenter ſolebant.*]

a *Tract. 35. in Matth.*

Hila

a *Cano 33. in Matth.*

b *Lib. 10. in Lucam.*

c *Hom. 21. in Rom. in mor. & hom. 88. in Matthæ.*

Hilarius [a]. [Quòd latrones ambo conditionem ei paſſionis exprobrant, , vniuerſis etiam fidelibus, ſcandalum crucis futurum ſignificat.] Ambroſius [b]. [Citò ignoſcit Dominus, (Latroni Sancto) quia citò ille conuertitur: vnde & illud ſolui videtur, quòd alij duos conuiciantes inducũt latrones; iſte (Lucas) vnum conuiciantem, vnum rogantem. Fortaſsè & iſte priùs conuiciatus eſt, ſed repente conuerſus eſt.] Subiicit tamen aliam quoque nodi illius euolutionem, ex D. Auguſtino iam propoſitam, ſed ita vt illam quam ex eo iam retuli, & priorẽ proponit, nõ infirmet aut eleuet.

Chryſoſtomus [c] [Inimici & hoſtes patibulo pendentis circunfuſi contemnebant inſultantes & deridebant omnes vnâ; Iudæi ac milites inferiùs, latrones vtrimque ſuperiùs: ambo enim etiam ipſi contumeliabantur. quomodo igitur Lucas de vno dicit? Vtrunque profectò factum eſt, vterque antea, poſtea verò alter ſolummodò deridebat. Nam nequis compoſito rem factam fuiſſe crederet nec latronẽ illum fuiſſe, qui latrò fuit, ab ipſa contume-

lia

lia etiam in cruce Latro atque inimicus antea fuiſſe, repentè conuerſus oſtendit.] Alibi item [a] pulcherrimè, ea homilia qua paralytici per apertum tectum demiſſionem exponit, cum collidentia ſeſe in ſpeciem ſcripturarum loca componeret. [De latronibus vnus quidem, ait, duos ipſum blaſphemaſſe, alter verò vnum compeſcuiſſe illum qui accuſabat. Sed neque hoc rurſus eſt contrarium. Quid ita? quoniam hoc quoque vtrunque accidit: atque initio quidem, vterque improbè ſe gerebat: poſtea verò cùm facta eſſent miracula, terra mota, petræ ſciſſæ, & ſol abſconditus, alter eorum conuerſus & modeſtior eſt factus, & crucifixum agnouit, eiúſque regnum confeſſus eſt. Nam ne fortè exiſtimares neceſſitate quadam ac vi cuiuſdam intus eum impellentis hoc fieri, néve dubitares; illum in cruce tibi exhibet, priorem adhuc improbitatem retinentem: vt agnoſcas eum ſponte atque à ſeipſo mutatum Deíque gratia donatum, ita meliorem euaſiſſe. Alia quoque multa eiuſmodi ex Euangeliis colligere licet, quæ videntur ſuſpicionem

[a] *Tom.5. Græcol. ſerm.62.*

nem habere repugnantiæ: ſed nulla tamen eſt repugnantia, ſed & quæ ab hoc, & quæ ab illo dicta ſunt euenerunt, tametſi non eadem hora; & vnus primùm illud dixit, alter illud ſecundum] Luculenter quoque Titus Boſtrenus [a]. [Cur Matthæus & Marcus vtrunque latronem conuitia in Chriſtum detorſiſſe aſſerunt, Lucas verò alterum tantùm? initio vterque latro, æquè ac cæteri Iudæi Chriſto inſultabat: Forſan quò hac ratione gratiam illorum emeriti, veniâ potirentur, aut aliquod ſaltem pœnarum laxamentum conſequerentur. Poſteaquam verò beneficio quod à Iudæis expectabant ſeſe fruſtratos viderunt, alter è latronibus (ille nimirum, cuius hic fit mentio,) reſipuit, ſociúmque, vt vnâ reſipiſceret, grauiter admonuit] Matthæus itaque & Marcus ad alia feſtinantes, ea tantùm expoſuerunt, quæ initio circa latrones acciderunt, quod reliquum verò eius hiſtoriæ erat, id prætermiſerunt. Lucas autem prioribus, tanquam ab aliis, iam expoſitis miſſis, quæ Matthæus & Marcus omiſerunt, proſecutus eſt:

a In cap. 33. Lucæ.

nempe vnius Latronis pœnitentiam, noxæque agnitionem, exordio ab oratione illa Domini facto: *Pater ignoſce illis quia neſciunt quid faciunt.* Per hanc enim, (vt paulò ante dicebatur) probabile fit, alterum Latronem, ad compunctionem cordíſque contritionẽ perueniſſe.] Premit Titi veſtigia Euthymius [a]. Sunt in eadem ſententia, (ne ſingulos verbatim appendã,) Theophylactus [b], S. Hieronymus [c], Athanaſius [d], Proſper [e], aliíque complures veterum, ac inter recentiores Taulerus [f].

7. Proſcindebat itáque Chriſtum initio latro conuitiis & maledictis, vtique iis ipſis quæ à prætereuntibus, (nemo enim niſi præteriens Chriſtum blaſphemat, ait Origenes [g]) à prætereuntibus inquam & à principibus Sacerdotum cum ſcribis ac ſenioribus exſibilantibus & caput mouentibus iactata eſſe memorant Matthæus & Marcus. *Vah qui deſtruis templum Dei, & in triduo readificas, ſalua temetipſum ſi Filius Dei es, deſcende de cruce. Alios ſaluos fecit, ſcipſum non poteſt ſaluum facere. Si Rex Iſraël eſt deſcendat nunc de cruce, & credimus ei: Confidit*

in

a *Suo cap. 67 in Matth.*
b *In cap. 27. Matth. & in Luca 23.*
c *Epiſto. 148.*
d *Serm. de paſſ. & cruce Dõ.*
e *Contra Collat. ca. 14.*
f *Cap. 43. exercit. de vita & paſſ. Dom.*
g *Tract. 35 in Matth.*

in Deo, liberet nunc ſi vult eũ; dixit enim, quia filius Dei ſum Subiicit Matthæus. *Idipſum autem & latrones qui crucifixi erant cũ eo improperabant ei*; hoc eſt, ſimili modo, vt interpretatur Euthymius, Chriſtum inceſſebant; iiſdem lædoriis, ac contumeliis eum figebant; eáque communiter primùm addebant quæ à reprobo latrone iactata prodit Lucas, *Si tu es Chriſtus, ſaluum fac temetipſum & nos.* Inhumanitas ſanè atrociſſima, immò feralitas ad ſummum prouecta faſtigium. Quid enim magis ferinum, (excuſo neceſſariam locutionis mollitiem penuria idonearum vocum quæ ſenſum meum & facti atrocitatem æquent;) quid inquã truculẽtum & horrendum magis, quàm perſonam innoxiam, à qua nullo ſis appetitus incommodo, & quod commiſerationem concitare idoneum eſt, eadem tecum calamitate grauatam, denſorum inſuper conuiciorum & ſcommatum quaſi grandinatione protritam, eo ſuperpondio mœroris onerare, quod cruciatuum conſortes, habeat cumulatores ærumnarum? Vt potuerit ſanè Chriſtus, verba illa Iobi ſua facere. *Frater*

fui

fui draconum & ſocius ſtruthionum, quia interprete Gregorio [a], [minus eſſet quòd ipſe bona ageret, niſi & ad bonitatis ſuæ cumulum, ab aliis mala tolleraret] & quod grauiſſimum ducitur, à participibus dolorum.

[a] 10 *moral. ca* 29.

Et quia auctore Cypriano [b], [non aliud magis iniuſtos diſcernit & iuſtos, quàm quod in aduerſis per impatientiam queritur, & blaſphemat iniuſtus, patientia autem iuſtus probatur,] idcircò non videtur dubitandum, quin homo ad omnem audaciam proiectus, qua oris duritie pupugit Chriſtum in quo nihil ſuprà hominem ſpectabat, ſeipſum quoque per impatientiam & rabiem, & quod teterrimum eſt, Deum quoque per blaſphemias in ea cruciatuum immanitate appetierit. Qui enim rudes dolorum, & à patientia malè conſtituti, vexatione aliqua occupantur, videntur ſibi leuamen aliquod experiri, ſi per quos poſſunt tubos dolorem foras effundant, extruſis queſtubus & clamoribus in cœlum, ipſúmque numen: aut ſi in ſeipſos veluti furiati præ animi impotentia in ſæuam rabiem erumpant. Ita-

[b] *Lib de bono patien.*

que non reprobus duntaxat latro, quem ad extremum vſque ſpiritum blaſphemaſſe conſtat, ſed & alius qui in ea mente nõ eſt obfirmatus, in calamitatis exordio, & prima dolorum crucis delibatione cœlum blaſphemis rugitibus tundebat, ſeipſum quoque, quod dentibus non poterat, animi rabie conſcerpebat, ac commordebat in furorem actus, & œſtro percitus.

Subiti ac potentiſſimi gratiæ effectus, in Latronis electi intellectu ac volunt ate: Illuſtria quædam impiorum ſubitò reſipiſcentium exempla, ad idem recenſita atque expenſa.

CAPVT IV.

1. AD pulchrum, (vt pulchra Petri Damiani[a] in ſimili verba vſurpem,) conuenimus ſpectaculum, cùm viderimus verũ Dauid noſtrum, prædam de cruenti leonis faucibus rapientem.] In ipſo namque æſtu immanitatis ac rabiei quam proximè expreſſimus, latronem à dextris Chriſti

a Serm. de S. Anaſtaſio initio.

Chriſti pendentem, circumfulſit ſubitò lux de cœlo, quæ non oculis carneis, ſed internis obuerſans, oſtentum illud conuerſionis omnibus deinceps ſæculis ſuſpiciendũ, operata eſt. Iure hîc cum Arnoldo [a] Carnotẽſi ad tantum Dei miraculum exclamem. *Domine Dominus noſter, quam admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra, qui & ex impiorum ore perficis laudem.* Aut cum Pſalte, Auguſtino [b] ec phraſte, *notam feciſti in populis virtutem tuam* tuam inquam Chriſte de cruce pendens patefeciſti virtutem atque potentiam. Nam licèt Iudæis ſcandalum, gentibus ſtultitia ſis fixus in patibulo, iis tamen quos luce tua perfuderis, Dei virtus & Dei ſapientia appares. Nec illud abſurdè ſubnectam quòd poſtmodum idem Dauid interprete Hugone Carenſi de omnibus peccatoribus ad cor reuertentibus, illuſtriſſimè verò de hoc peccatorum legis gratiæ primicerio pronuntiauit. *Viderunt te aquæ Deus, viderũt te aquæ, timuerunt & turbatæ ſunt abyſſi. Multitudo ſonitus aquarum, vocem dederũt nubes. Etenim ſagittæ tuæ tranſeunt, vox tonitrui tui in rota. Illuxerunt coruſcationes tuæ orbi terræ,*

[a] *Tract. de 2. Chriſti verbo.*

[b] *In Pſal. 76.*

commota eſt & contremu t terra. In mari via tua, & ſemita tua in aquis multis, & veſtigia tua non cogn.ſcentur. Aquas ſonantes, abyſſum turbatam, mare Deó ſubſtratum, præeunte S. Ambroſio [a], accipio frementes in Chriſtum tempore paſſionis pleróſque, queis in ipſo peccati flagrantis æſtu, ſagittarum diuinarum trãſitus, & tonitrui magni ex diſrupta leui nube procreati inauditio per rotam humanæ mutabilitatis; fulgetræ denique & coruſcationum diuinarum cita vibratio turbationem ſalubrem indidit, vt amaritudinem contritionis,& concitati ſubitò doloris ſemitam gradiens Deus, mentibus ipſorum per occultos aditus, & imperuia mortalibus veſtigia illaberetur. Hic planè fuit in latronis conuerſione progreſſus, quem accuratiùs exprimere,operæ pretium eſt.

a *In Pſal.* 45.

2. Iaciendum verò inprimis eſt ſtabile omninò fundamentum ex fidei placitis contra Semi-Pelagianos; latronem ſanctum non veniſſe ad Deum naturali duntaxat notitia prælucente, eíque commenſis affectibus voluntatem pulſantibus. Qua in parte impégit Caſſianus

ſianus [a] contendens Zachæum & latronem ſpecialia vocationis monita præueniſſe; hoc eſt nullis gratiæ radiis colluſtratos, & afflatibus excitatos, Deũ vocãtem anteoccupaſſe, & ad ſe attraxiſſe, protenſa naturalis boni deſiderij veluti manu. Hunc exploratum errorem, Caſſianus quantum ex Proſpero [b] diſcimus, quoad latronem, fundabat in tanta ſequacitate & docilitate latronis, qui ad Deum venit per ſolam exteriùs ſonantem propoſitionem diuinitatis Chriſti, nulla interiori ſollicitatione per cœleſtes veluti fulgetras in intellectu, & motus in voluntate pulſatus. Quã tamen eſſe inanẽ collectionem, videtur per ſe euidens. Quorſum enim, properam & prõptam obedientiã abſcribemus nudę voluntati, tardam verò ac ſegnem diuinæ gratiæ; quaſi hæc ſit ſumma laus gratiæ, domarerebellem voluntatem, nec ſit honorificentius ſubitò adducere ſine comperendinatione ſequentem? Videri poſſet Caſſiani fuligine oblitus in hac parte Gaufridus Vindocinẽſis; [c] Nam S. Petrum & latronem inde ſecernit, quòd Petrus & vocatus & electus

a *Col'lat. 13. c. 11.*

b *Lib. contra Collat. c. 14.*

c *Serm. 10.*

fuerit, latro autem electus non vocatus; ſed hoc de ſenſibili vocatione accipiendum eſt, vt & accipit Chryſoſtomus [a] quem Gaufridus expreſſit. Cæteroqui enim, paulò ante latronis vocationem internam perſpicuè admiſerat Gaufridus.

a Hom 1. de cruce & latrone.

Indubitatum itaque eſto, latronem diuinæ gratiæ luce perfuſum & cœleſti rore conſperſum antecedenter fuiſſe, quamuis quis ille ſubitus afflatus diuináque tractio fuerit, occultum ſit. Diſertè quoad latronem, damnato, (preſſo licèt) Caſſiani nomine, id ſanxit Concilium ſecundum Arauſicanum [b], & egregiè Proſper Caſſianum refellẽs, idẽ ſic ſtabilit. Quis perſpicere aut enarrare poſſit, per quot affectus viſitatio Dei animũ ducat humanũ vt quæ fugiebat ſequatur, quæ oderat diligat; quæ faſtidiebat eſuriat; ac ſubitò commutatione mirabili, quæ clauſa ei fuerant, ſint aperta; quæ oneroſa, ſint leuia: quæ amara ſint dulcia; quæ obſcura, ſint lucida: Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem Spiritus diuidens ſingulis prout vult: quoniam Deus qui dixit

b Verè in fine.
c Lib. contra Collat. c. 14.

dixit de tenebris lumen ſplēdeſcere, illuxit in cordibus noſtris ad illuminationem ſciētiæ claritatis Dei in facie Chriſti Ieſu: ideſt in manifeſtatione filij ſui, qui eſt in ſinu patris. Qui ergo illuxit in corde Matthæi publicani & Pauli tunc Eccleſiam perſequentis, ipſe & in corde Zachæi & in corde Crucifixi latronis cum Domino, illuxit.]

Id circa Zachæum explicat diligentiùs: ſubdit verò. In latronis quoque iuſtificatione, etiam ſi nulla operantis gratiæ intelligerentur indicia, nónne cū omnibus credētibus etiā ipſum acciperemus attractum; dicente Domino: *omnia mihi tradita ſunt à patre meo*: & *cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me?* Inter omnia autem, hunc vel traditū eſſe, vel tractū, etiam ipſius confeſſio docet; qui cùm aliquando blaſphemaſſet in Ieſum Chriſtum, repentè immutatus dixit, *Domine memor eſto mei, cùm veneris in regnum tuum.* Sed vnde in vno homine tanta compugnantium vocum ſit orta diuerſitas, inſtruat nos Apoſtolus, & dicat: *nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Ieſu.* Et: *nemo poteſt dicere Dominum*

Ieſum, niſi in Spiritu Sancto: vt non dubitemus in eiuſdem hominis voluntate, & de proprio fuiſſe quod blaſphemauit, & de Spiritu ſancto quod credidit.]

3. Impugnat item hunc Caſſiani errorem S. Gregorius [a] tractans illud Iobi de ſapientia. *Neſcit homo pretium eius*, quod pulchrè trahit ad neceſſitatem gratuitæ præuentionis, [quaſi enim ad percipiendam ſapientiam pretium dare, eſt cognoſcendum Deum actionis ſuæ mercede præuenire.] mox verò relato prædicto Caſſiani errore, tacitéque vt aliàs non ſemel in eius doctrinam intendens, ſubdit. [liquet quia multùm deſipit, quiſquis hæc ſapit. Hominis quippe meritum ſuperna gratia non vt veniat, inuenit: ſed poſtquam venerit, facit: atque & ad indignam mentem veniens Deus, dignam ſibi exhibet veniendo, & facit in ea meritum quod remuneret, qui hoc ſolū inuenerat, quod puniret; Libet inter hæc mentis oculos ad illum latronem reducere, qui de fauce aſcendit crucem, de cruce paradiſum. Intueamur qualis ad patibulum venerit, & à patibulo qualis abſceſſit.

a *Lib.* 18. *mor. cap.* 24. & 25.

Venit

Venit reus fraterno ſanguine, venit cruentus; ſed interna gratia eſt mutatus in cruce: & ille qui mortẽ fratri intulit, morientis Domini vitam prædicauit, dicens: *Memento mei Domine dum veneris in regnum tuum.* In cruce claui, manus eius pedéſque ligauerant, nihílque in eo à pœnis liberum niſi Cor & Lingua remanſerant. Inſpirante Deo totum illi obtulit, quod in ſe liberum inuenit, vt iuxta hoc quod ſcriptum eſt: *Corde crederet ad iuſtitiam, ore confiteretur ad ſalutem.*] Per otium eo loco Sanctiſſimus Pontifex ſancti Latronis confeſſionem eminẽtiſſimis quibúſque virtutibus fœtã expendit, (id quod nos quoque infrà præſtabimus) & cõcludit liquere ex hoc latronis ſancti exemplo, confeſſionem peccatoris, præſertim magnificam & mirabilem, cuiuſmodi iſta eſt, eſſe Dei opus iuxta illud Regij Pſaltis quod allegat: *Confeſſio & magnificentia opus eius.* Non igitur humanæ nudæ voluntati, aut naturali merito operis humani, eſſe adſcribendam.

Quò etiam Caſſiodorus poſt Auguſtinum [a], illud eiuſdem Pſaltis retulit.

a *Lib. de patient. c. 20.*

Pro nihilo ſaluos facies illos quod in latrone ſancto eſt manifeſtiſſimum. Præclarè idem confirmat S. Chryſoſtomus [a] quo Caſſianus [b] adoptatore gloriatur, pangẽs ei ſplendidiſſimum tametſi non ſupra merita elogium. Placeret Chryſoſtomi aureo flumine corriuato ariditatem huius tractationis rigare, præſertim quia non ad eluendam modò ex Caſſiano propoſitam maculam, ſed etiam ad labem ipſi Chryſoſtomo à non nemine inuſtam, & Semipelagianiſmi natales per Caſſiani inſtitutionem malè ad Chryſoſtomum à quibuſdam transfuſos, ad alium parentem referendos, conferre poteſt; ſed quia capite ſequenti, opportuniorem locum habebit diſcuſſio mentis Chryſoſtomi circa latronis vocationem & præuentionem gratuitam, idcircò nunc tantùm dico, diſertè Chryſoſtomum, quamuis agnoſcat latronem de ſuo aliquid contuliſſe in ſalutis negotiatione, nempe liberum aſſenſum ſollicitanti Deo liberè præſtitum per voluntatem gratia cooperante ſuffultam, apertè tamen profiteri, prouocationem miſericordẽ anteceſſiſſe,

a *In Pſal* 50. *hom.* 2. *& hom* 65. *in Matth.*
b *Lib.* 7. *de Incar. cap.* 30. *&* 31.

quæ eſt Catholiciſſima gratiæ præuenientis cum humana libertate fœderatio atque conſenſio.

4. Erit cui Caſſianus alio loco errorem propoſitum abieciſſe & latronis conuerſionem gratiæ præuenientis partum agnouiſſe videatur. Nimirum in opere de inſtitutis [a], vbi ita philoſophatur [Si vel illum latronem ob vnam confeſſionem introductum in paradiſum recordemur, intelligimus eum non curſus ſui merito tantam beatitudinem, ſed dono Dei miſerentis adeptum.] Móxque latè & vniuerſaliter addit, [principium quoque diſcutientes vocationis ac ſalutis humanæ, qua non ex nobis nec ex operibus noſtris ſecundùm Apoſtolum, ſed Dei ſumus dono gratiáque ſaluati, liquidò poterimus aduertiſſe, quemadmodum perfectionis ſumma non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei: qui nequaquam laborum vel curſus noſtri merito compenſante, vitiorum nos facit eſſe victores, nec æquiparante noſtræ voluntatis induſtria, tam arduum integritatis culmen, ſubiugata qua vtimur carne conſcendere

a *Lib.* 12. *cap.* 11.

ſcendere

ſcendere.]Poſſint hæc & alia quæ eo loco inculcat Caſſianus, fucum facere minus attentis: cùm miſeranti Deo, eiúſque adiutorio tribuat humanæ ſalutis perſectionem, excluſa operum noſtrorum & nudi humani laboris quaſi mercede. Et optarim ſanè ſcriptorem in Aſceticis eminentiſſimum, & perfectionis Chriſtianæ Archididaſcalum, deterſa Semi-Pelagiana fuligine vſquequaque nitentem labíſque purum poſſe præſtari; quod aliquos benignè anniſos,non me latet; ſed caſſum fuiſſe laborem, & dealbari ab illis Æthiopem, nec tam Caſſiani nitelam, quàm ſuam dogmatum eius inſcientiam prodidiſſe, alibi demõſtro; agens pro Valeriano Cemelienſi, & aperiens Caſſianũ quandóque miſeranti Deo tribuere humanam ſalutem, etiam excluſo operum humanorum merito quocumque, quia exiguum illud voluntatis ſalutem languidè prehẽſantis rudimentũ (quod *fidei captum* vocabant Caſſiani gregales,) dedignabatur nominare meritum, ob exilitatem virtutis moraliter excitantis Deũ ad rependendã tam tenuis operis merce

mercedem: quamuis contenderet eſſe in eo opere quantulumcumque meritum ſalutis congruè rependendę à Deo patre luminum & gratiæ auctore, cuius ſit omne donum perfectum & conſummatum, non tamen quoduis negotij ſalutis exordium. Quare qui maioribus noſtris ſordidus in hoc parte viſus eſt Caſſianus, ſordeſcat adhuc.

5. Sic conſtabilita veritate Catholica, ſtatuẽdum eſt, ſanctum latronem in eo quem expreſſimus, æſtu febrientis vel rabientis malitię, ſubitò diuinitus tactum, & illuſtriſſima in intellectu luce, in voluntate autem calore cœleſti lucem illam affectãte perfuſum, à tenebris infidelitatis quæ eum illuc vſque preſſerant, reuocatum ad fidei ſplendorem, & à nequitiæ tyrannide in libertatem filiorum Dei aſſertum eſſe. Mellitiſſimè S. Cyprianus aut LuciusPapa, vel quiſquis alius auctor ſermonum de operibus Chriſti Cardinalibus [a]. [ipſe Dominus noſter derelictorum perſonam gerens in cruce, ſe queritur derelictum: & ne deſperarent etiam in vltimis conſtituti, feſtinans in adiutorium illicò adeſt, & re

a *Serm. de cœna Domini.*

in arcto poſita non differt beneficium, ſed repentè indulgentiæ celeris documentũ, eiuſdem ſtatuit & exemplum, latroni inquiens *hodie mecum eris in paradiſo.* Latrocinium damnatiônem meruerat & ſupplicium ; ſed cor contritum pœnam mutauit in martyrium, & ſanguinem in baptiſmum. In momento impietas religionem, crudelitas induit pietatem; & ſtatim conſummatus, ciuis ſanctorũ & domeſticus Dei præmiſſus eſt in regnum ; reconciliationis humanæ priuilegium ſecum ferens ad ſuperos ; quod Deo patri ſanctæ legationis fungens honore, in ſe ipſo ſcripturæ huius experimentum continens, libero & ſecuro aditu penetrans præſentauit. Quid tu Domine amplius Stephano cotuliſti? Quid amplius ille obtinuit dilectus tuus, qui ſupra pectus tuũ in cœna recubuit? Quid amplius Pauli mèruere ſudores? Quid labores Sãctorum? Quid tot annorum tormenta? Quid martyrum plagæ? Vna hora huic collatum eſt præmium, ad quod illi per tot diſcrimina peruenerunt. Sic tu Domine, armentarios ſtatim facis Prophetas, opilio

opilionés Reges, telonarios Apoſtolos, piſcatores Doctores. Neque ab his quos ſanas lentè languor abſcedit, ſed illicò quem reſtituis ex integro conualeſcit: quia conſummatum eſt quod facis, & perfectum quod largiris.]

Hoc aliter dixit Auguſtinus [a] ſcribẽs ad Simplicianum & exponens quod ſit verbum [a] abbreuiatum factũ à Deo in lege gratiæ iuxta Iſaiæ prænuntiationem. [Id eſt (inquit) vt compendio fidei per gratiam ſaluos faciat credentes, non per innumerabiles obſeruationes, quibus illa multitudo, ſeruitio onerata premebatur. Per gratiam quippe nobis verbum conſummans & breuiãs fecit ſuper terram, dicens, *iugũ meum leue eſt, & ſarcina mea ſuauis eſt.* quòd & paulo poſt hîc dicitur, *prope eſt verbũ in ore tuo & in corde tuo, hoc eſt verbum fidei quod prædicamus, quia ſi confitearis in ore tuo, quia Dominus eſt Ieſus, & credideris in corde tuo quia Deus illũ ſuſcitauit à mortuis, ſaluus eris. Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*, hoc eſt verbum conſummãs & breuiãs quod fecit Deus ſuper terram: qua conſummatione atque

a *Lib. 1. q. 2.*

breuita

breuitate latro iuſtificatus eſt, qui defixis in cruce omnibus membris, & habens libera hæc duo, corde credidit ad iuſtitiam, ore confeſſus eſt ad ſalutem, ſtatímque audire meruit, *hodie meum eris in paradiſo* Conſequerentur enim bona opera eius, ſi percepta gratia diu inter homines viueret: ſed tamen non ea præceſſerant, vt eandem gratiam mereretur, ex latrocinio fixus in cruce, ex cruce in paradiſum translatus.]

6. En verè deambulantem in abyſſi profundis Deum, & profundum maris ingredientem, quod apud Iobum tanquam ſibi præcipuum quoddam, proponit Deus. Interprete autem Gregorio [a]. [Mare eſt mens humana, cuius profunda Deus ingreditur, quando per cognitionem ſuam ad lamenta pœnitentiæ ab initio cogitationibus perturbatur, quando prioris vitæ nequitias ad memoriam reducit, fluctuantẽ in confuſione ſua animum concutit. Profundum maris Deus penetrat, quãdo etiam deſperata corda permutat. Ipſe enim mare intrat, quando cor ſeculare humiliat: profundum maris ingreditur, quando

a *Lib.* 29. *mor. cap.* 7.

quando viſitare mentes, etiam preſſas ſceleribus non dedignatur. Vnde & rectè percunctando ſubiungitur. *Et in nouiſſimis abyſſi deambulaſti? Quæ* enim eſt abyſſus niſi mens humana, quæ dum ſemetipſam comprehendere non valet, ſeſe in omne quod eſt velut obſcura abyſſus latet? Vnde benè per prophetam dicitur: *Dedit abyſſus vocem ſuam ab altitudine phantaſiæ ſuæ*, quia dum ſemetipſam mens humana non penetrat, ex comparatione ſui, diuinæ naturæ potentiam quam comprehendere nō ſufficit, humiliùs laudat. In nouiſſimis ergo abyſſi Deo ambulare, eſt etiam nequiſſimorum corda hominum conuertere & deſperatas mentes viſitationis ſuæ veſtigiis tangendo mirabiliter reformare. Cùm enim poſt immenſa ſcelera vnuſquiſque compungitur, quid aliud quàm in nouiſſimis abyſſi Deus deambulans videtur? Quaſi in abyſſo namque Deus deambulat, cùm obſcurum cor penetrans; fluctus inuiſibiles vitiorum calcat.]

Eodem ſenſu, (alio licèt ſub ſchemate) conſequenter ſubiicit Deus. *Indi-*

ca mihi ſi noſti omnia in qua via habitet lux, & tenebrarum quis locus ſit, vt ducas vnumquodque ad terminos ſuos, & intelligas ſemitas domus eius. Proprium Dei eſt, viam lucis, & tenebrarum locum noſſe, vt vnumquodque ad terminos ſuos ducatur, & ſemitam domus in qua vnuſquiſque ſedem fixurus eſt intelligere. Non rarò enim aliqui, vt idem S. Gregorius egregiè ponderat, lucem qua priùs perfuſi fuerant non tenuerunt ad finem vſque; atque ita lux in eis nequaquam habitauit. Alij è contra quos tenebræ aliquando occuparunt, iis depulſis venerunt ad lucem; Itáque non fuerunt tenebrarum locus ſtatus, ac fixa ſedes: atque ita nemo eſt præter Deum qui poſſit, quo tandē in termino vitam quis finiturus ſit, cogitatione peruadere, cùm etiam in ipſa iam meta, ac velut crepidine vitæ, aliqui malè mutata mente mergantur in interitum æternum, alij ſingulari numinis fauore reſipiſcant, & conſummati in breui expleant tempora multa; quod ſtatim S. Gregorius illuſtrat exemplo Latronis noſtri, qui de patibulo quod nocens aſcen

aſcenderat, tranſiuit ad regnum. Idemque in multis aliis experimento confirmatum docet, addens eos ibidem à Deo vocari theſauros niuis & grandinis, aptè enim in niue & grandine ſignantur tanquam in ſymbolis corda prauorum, ob frigus & duritiem, quâ plerumque in nequitia concreuerunt; [Sed quia omnipotens Deus Sanctos ſuos de talibus elegit, & quàm multos electos adhuc inter prauorum vitam repoſitos habeat nouit, aptè in niue vel grandine theſauros ſe habere perhibet. Theſaurus quippe ἀπὸ τῆς θέσεως, id eſt, à poſitione nominatur. Et pleróſque in vita frigida diu latenter reſpicit, quos ad medium cùm iubet produci, & iuſtitiæ nitore candidos per ſupernam gratiam oſtendit. Scriptum quippe eſt, *Lauabis me, & ſuper niuem dealbabor*]

7. Et quia nix aſſeruata, annoſitate duratur in Cryſtallum, perpulchrè S. Auguſtinus; Cryſtallum quæ inſtar buccellarum emittitur, exponit frigidos & in peccatis concretos, quos diuina vocatio interdum liquefacit, & aliis quoque in æternam vitam ſaltem

bono exemplo cibandis vtiles facit. Verba eius ſunt. [Quid eſt, *mittit Cryſtallum ſuam velut fruſta panis?* quomodo nix illa, ipſius? quia prædeſtinatorum eſt. quomodo nebula illa, ipſius? quia ipſi vocantur ad pœnitentiam qui prædeſtinati ſunt ad ſalutem: ſic eſt quodammodo Cryſtallum ipſius: quid eſt cryſtallum? multum obduruit, multum congelauit. Non iam ſicut nix, facilè ſolui poteſt. Nix multorum annorum tempore durata, & ſerie ſæculorum cryſtallum dicitur: & hoc mittit velut fruſta panis. quid hoc ſibi vult? Fuerunt nimis duri, non iam niui, ſed cryſtallo comparandi, & ipſi prædeſtinati ſunt & vocati, & quidam eorum, ita vt paſcerent alios & eſſent vtiles, & aliis. Et quid opus eſt vt numeremus multos fortè quos nouimus, illum, aut illum? occurrit vnicuique cogitanti ex iis quos nouit, quàm fortè duri, & pertinaces & obnitentes aduerſus veritatem fuerunt, & modò prædicant veritatem: facti ſunt fruſta panis. quis ille vnus panis? *multi* inquit Apoſtolus, *vnum corpus ſumus in Chriſto.* Vnus panis, vnum corpus,

corpus, multi ſumus. Ipſe dicit. Ergo ſi vnus panis totum corpus Chriſti; membra Chriſti, fruſta panis ſunt: de quibuſdam duris facit membra ſua, & vtilia ad alios paſcēdos.] Et hæ quidem Cryſtalli ante faciem frigoris Dei, Deo inquam peccatorem non vocante, non aperiente ſenſum, non infundente gratiam, gelaſcunt in dies magis ac magis, itaut ne ſuſtineri quidem poſſe videatur tantoperè durata & rigens improbitas. Tamen afflante Deo, & verbum ſum internum emittente, ſoluuntur, abeúntque in aquas, [licèt ſint inter prædeſtinatos (ait ſuprà Auguſtinus,) duriſſimi, & multo quaſi tempore congelauerint, & cryſtallus facti fuerint, non erunt duri, miſericordiæ Dei: Emittet Verbum ſuū & tabefaciet ea.] Hæc ſunt tabernacula Cedar, nigra & obſcura, ſed ſubita Solis iuſtitiæ colluſtratione euadentia in pelles Salomonis, vt egregiè omnino proſequitur Gregorius Nyſſenus.[a]

8. Tandem auctore Iobo, & interprete Gregorio[b], Hi ſunt termini terræ, ſuper quos lumen cæleſte ſingulari beneficentia numinis, interdum diffundi-

a *Hom. 2. in cant.*

b *lib 27. mor. c. 15.*

tur, [Termini enim terræ ſunt fines hominum peccatorum. Et ſæpè contingit, vt plerique Deum deſerant, & vitæ ſuæ tēpora in deſideriis carnalibus expendant, ſed tamen ſuperna gratia reſpecti, in extremis ſuis ad Deum redeūt quæ ſint iudicia æterna cognoſcunt, cunctáque quæ ſe peruersè egiſſe meminerint, fletibus puniunt, atque hæc verè ſe inſequi rectis operibus oſtendunt: Quibus ſubſequente iuſtitia, profectò totum dimittitur, quod ante deliquerunt. Hinc enim per prophetiæ Spiritum Anna dicit: *Dominus iudicabit fines terræ:* quia nimirum anteactam vitam Deus non iudicat, quando poſteriora peccatorum, reſpectu ſupernæ pietatis illuſtrat. Hinc Moyſes ait: *primogenita aſini mutabis oue.* Per aſinum quippe immunditia, per ouem verò innocentia deſignatur. Aſini ergo primogenita, oue mutare, eſt immundæ vitæ primordia in innocentiæ ſimplicitatem conuertere, vt poſtquam illa peccator egit, quæ vt immunda Dominus reſpuit, ea iam agenda proferat, quæ Dei ſacrificio imponat. Quia ergo poſt praua opera peccator

cator conuertitur, & ab actionum ſuarum tenebris iuxta finem aliquando reuocatur, rectè nunc dicitur: *Et lumen illius ſuper terminos terræ*] Ita planè in latrone noſtro factum, quem propè in termino iam poſitum, lux diuina ſubitò circumfulſit, & ne in irremeabile tartari hypobrychium præceps ageretur, monſtratis vitæ viis, & immenſæ abyſſi horrore immiſſo, perfecit, tanta celeritate, vt non citiùs lux è lucido corpore fuſa, totum ambitum lucido corpori ad lucem ferendam cômenſum perfundat, quàm peruaſerit lux cœleſtis animum latronis, & ſubitò paríque ad tantam lucem calore correptum, duritiem eius & concretam niuem, ſeu cryſtallum momento ſoluerit, benefica ad perfuſionē, prompta ac potens ad feſtinam operationem morarum impatientem.

9. Infert ex hoc exemplo S. Bernardus [a] agens cum Brunone in Colonienſem Epiſcopum electo, facillimum eſſe Deo, ſubitò honeſtare pauperem, & qui de fæcibus vitæ anterioris, ad puritatem nouæ vitæ ſuſpirat, poſſe per mutationem dexteræ excelſi, inolitam rubi-

[a] Epiſt. 8.

ginem detergere, & momento, colluce-re ſanctitatis omniúmque virtutum ſplẽdore. Itáque trepidantem, deberétne conſcius anteriorum, ſuæ in Epiſcopatum promotioni acquieſcere, affatur in hunc modum. [Sed quid ſi ſuam Deus acceleret gratiam, & multiplicet miſericordiam: & ſit ad reſtituendam innocentiam efficacior velox clementia, quàm diuturna pœnitentia? *Beatus* ſiquidem *cui non imputabit Dominus peccatum.* Nam quis accuſabit aduerſus electum Dei? Si Deus iuſtificat; quis eſt qui condemnet? hoc ſalutis compendium Sanctus ille latro conſequutus eſt. Vno eodémque die, ſimul & confeſſus latrocinia, & introductus in gloriam: breui quodam contentus ponte crucis, ad tranſeundum de regione diſſimilitudinis in terram viuentium, & de luto fęcis in paradiſum voluptatis.] Subdit illuſtria quædam exempla ſubitarũ Deo operante & corda immutante prouectionum ad inſignem virtutem, quod piarum mentium pabulum omni melle ac ſeſamo ſuauius, condire placet, nonnullis ex omni retrò Chriſtiana antiqui-

tate

tate ſelectioribus exemplis adhibitis, vt robuſta Dei manus & in peccatores amor, apertiùs eluceſcat. Nam ſi Deus glorioſum ſibi, & nobis vtiliſſimum ducit, agnoſci, etiam viros vitæ profligatæ euaſiſſe in amicos Dei ſingulares, (vt propterea quod benè expendit Baſilius Seleuc. [a] magnorum poſtea virorum anteriores culpas, ac fœdos aliorum lapſus, voluerit ſacris literis inſeri:) quanto glorioſius Deo erit, ſubitò de luto fæcis ad tantũ nitorem euexiſſe aliquos? a *Orat.* 17.

10. Memorat ergo in primis in hoc genere S. Bernardus, fœlicem illam de Euangelio peccatricem, quæ ſubito hoc pietatis remedio ita repentè curata eſt, vt vbi ſuperabundarat delictum, ſuperabundaret & gratia, fierétque peccatrix *Apoſtolorum Apoſtola*, vt loquitur homo Gallus [b] apud Petrum Damianum, ſuſpiciens tam promptam tantæ peccatricis reſipiſcentiam iis micantem virtutibus quas S. Paulinus [c] inſigniter extollit ac celebrat. Quod item facit auctor homiliæ de ablutione pedum apud Cyprianum, inducens S. Petrum ad proſtrati corã ſe Domini tantam abiectio-

b *Serm de S. Martin.*

c *Epiſt.* 4. *ad ſeu.*

nem ſtupore defixum, ſic inter alia ipſum affantem, vt à vili miniſterio & lauandis pedibus reuocaret.[Hoc in muliere peccatrice aliquando paſſus es, nec dedignatus es in menſa ſolemni, multis conueſcentibus, infamis perſonæ ſuſcipere famulatum: cuius deuotio vſa eſt ibi capillis pro linteo, oculis pro baptiſmo, tetigit, lauit, & vnxit vnguento. Mactata intrinſecus anima, proprium in ſancta ſanguinem intulit; ſingula ſuum præbuere miniſterium, cor contritum erupit in lacrymas, fides lauit, charitas vnxit; hæc multa in conſpectu tuo congerens holocauſta, de fonte cordis, fletus hauſit quos protulit: De pœnitentię pixide, vnguenta quæ obtulit, capútque pro ſuppedaneo ſtrauit, crinibus circumfuſis pedes ſacros inuoluit & terſit. Nihil ſibi de ſe bretinens, totam ſe tibi deuouit: & tu affectum potius quàm factum attendens, vngebas vngentem, abluebas lauãtem, tergebas intrinſecùs pœnitentem.] Sic de perfecta æquè ac celerrima Magdalenæ conuerſione, auctor prędictus![ô pretioſas lacrymas, (exclamat S. Baſilius magnus, [a] promptam ac

[a] *Hom. de lib. arbit. tom 1. Græcol.*

ac ſubitam Sanctæ huius peccatricis cō-uerſionem, & ex lacrymis ablutionem ſuſpiciens; eadémque verbatim habentur apud Macarum [b]:) ô pretioſas lacrymas inſtar margaritarum, è beatis illis oculis profluentes! ô diuinas illas & morigeras aures! ô fortem ac ſapientem animum! ô acrem & ſpiritalem amorem, feruenter ad immaculatum ſponſum anhelantem! ô ſtimulum deſiderij, animæ verbi Dei cupidæ! ô ſtudioſum & irremiſſum ſponſæ & ſponſi conſortium! Imitare Mariam hanc, ô fili imitare, ad nihil aliud reſpiciens quàm ad eum qui dixit. *Ignem veni mittere in terram. Et quid volui, niſi vt iam eſſet accenſus?* Eſt enim inflammatio ſpiritus, corda excitans & calefaciens, propterea quòd ſpiritalis ac diuinus ignis animas quidem illuminat & probat internè, ſicut aurum ſincerum in camino probatur; malitiam verò conſumit veluti ſtipulam, ac ſpinas.] Itaque quo impetu ignis validus materiam aptam corripiens ſibi aſſimilat, & in ignem commutat, eodem ſpiritus Dei flammeus & igneus Magdalenæ animam igniuit; in quam rem

a *Hom.* 15. *ſub finem.*

rem inſigniter alibi quoque philoſophatur idem Baſilius [a] Videſis præterea S. Ephrem [b], Chryſoſtomum [c], Nyſſenũ [d], Laurentium Iuſtinianũ [e] Nec omittenda quæ piiſſimè omnino diſſerit Drogo [f], tractans & Magdalenæ applicans illud Iſaiæ [g], *In die illa ſibilabit Dominus muſcæ quæ eſt in extremo fluminum terræ Ægypti, & api quæ eſt in terra Aſſur.*

11. Matthæi exemplũ illuſtriſſimum omnino eſt, & ſubitam ex gratiæ afflatu mutationẽ exhibet, vſq; adeò vt gloſſa [h] dicat, idcirco non narratam à Matthæo ſuã conuerſionẽ debito ordine & loco, ſed inter miracula, quia fuit magnũ miraculũ; & Ioannes de Turrecremata, [i] eã plenam miraculi fuiſſe, latẽ diſputat; animales autem homines, Iulianus Apoſtata, & Porphyrius, Matthæum ſtoliditatis & leuitatis in eo facto inſimularint, qui ad vnam prætereuntis Chriſti vocem, vitam priorem abiecẽrit. Et erat tamen ſtatus illius admodum alienus à Deo vt expendit Chryſologus [k] verbis illis. [Matthæum Publicanum, diuitiæ ſic cupiditatis publicabant magiſtrum, fornace auaritiæ ſic coquebant, ſic alligabant

a *Orat. de pœnit.*
b *Serm. in mulier. peccat.*
c *Serm. in peccatr. & Phariſæũ.*
d *Orat in acerbiùs iudicãtes.*
e *Serm. de Magdal.*
f *De ſacram Dõ paſſio.*
g *Cap. 7.*
h *Matt. 9.*
i *In qq. Euang q. ad Euang. feſti S. Matthæi artic. 2.*
k *Serm 28.*

gabant

gabant vinculis cautionum, ſacculorum ponderibus ſic premebant, vt leuari ad innocentiam, ad iuſtitiam ſurgere, ad virtutem progredi non valeret. Vnde & ſedere eius, erat iam ſubſidere, non ſedere.] Audi & Chryſoſtomum [a]. [Quid eſt telonium? rapina legitima, violentia fiduciæ plena, iniquitas legis patrocinio fulta: latronibus eſt ſæuior publicanus. Quid eſt telonium? violentia, quæ patrocinium legis obtendit, quæ carnificem pro medico habet. Aduertite quid dixerim. Leges ſunt medici, deinde fiunt & carnifices: non enim vlcus ſanant ſed augent. Quid eſt telonium? peccatum impudens, rapina occaſione deſtituta, latrocinio peior: latro dum furatur, ſaltem erubeſcit: hic verò cum fiducia prædatur: Veruntamen hic publicanus, Euangeliſta confeſtim euaſit: Quo tandem pacto? qua via? *Tranſiens*, inquit, *Ieſus, vidit Matthæum ſedentem in telonio, dixitque illi, ſequere me.* ô virtus ſermonis; intrauit rete; & ſtatim fecit militem de captiuo, & lutum protinus in aurum conuertit; Intrauit rete, *& ſtatim ſurgens ſequutus eſt eum.* In

a *Serm. de Chanan. tom. 6. Græcol.*

fundo erat iniquitatis, & ad culmen virtutis aſcendit.]

Planè veluti turbo rapuit eum ſpiritus Domini de loco ſuo. Ferrū de terra ſublatum eſt, & lapis ſolutus calore in æs verſus, vt philoſophatur S. Gregorius [a], qui item egregiè alibi de monte hoc Chriſto ſubitò herbas ferente, philoſophatur [b]. Rurſúſq; in 1. Reg. circa illa verba. *Iuuenes optimos tollet* Egregiè de hac Matthæi ex nequitia ſumma ad ſummam ſanctitatem ſubuectione ſubita, diſſerit. Itaque exclamat meritò Petrus Damiani [c] [Dominus Publicanum in contubernium proprij comitatus adlegit, *ſequere*, inquit, *me*: & *ſurgens ſequutus eſt eum*. Quàm fortis & valida manus huius cœleſtis agricolæ: arborē ſcilicet, terræ radicitus inhærentem, & mundanæ concupiſcentiæ tenaciter incubantē, mox vt cōcuſſit, euulſit; aſportauit, & in terra viuentiū tranſplantauit. Vbi videlicet iuſtus, vt palma florebit, & ſicut cedrus libani multiplicabitur. Cui nimirum per immutationem dexteræ excelſi cōgrua diſpoſitione collatum eſt, vt non modò prædicandi; ſed

a *Lib.* 18. *mor. c.* 12. & 16.
b *Lib.* 30. *mor. c.* 34.
c *Serm.* 51.

&

& ſcribendi ſortiretur officium, ſicque mereretur humano generi cœleſtem miniſtrare theſaurum, quatenus qui terreni quæſtus lucra contempſerat, cœleſtium talentorum diſpenſator exiſteret: & theſauros cœleſtis eloquij, quos impartiendos acceperat, fideliter erogaret. Vt ſicut Redemptor noſter piſcatoribus ſuis antè iam dixerat: *Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum*, ſic iſti quadammodo diceret: qui lucris temporalibus inhias, qui certè vt auro vel argento diteris, impatienter anhelas, me quantociùs ſequere móxque te faciam immortales diuitias ſuperni Regis per mundi latitudinem diſpenſare. Tu ſcilicet aurum quæris, cum ſæculo tranſiturum, & ego tibi Euangelij theſaurum dabo per cuncta proculdubio ſæcula permanſurum. Hinc forte eſt quod de fluuio illo paradiſi qui apud Geneſim Phiſon appellatur, ita legitur: *Quia circuit omnem terram Euilath, vbi naſcitur aurum, & aurum terræ illius optimum eſt.* Sicut enim Phiſon primus eſt fluuiorum de Paradiſi fonte procedentium, ita B. Matthæus inter reliquos Euangeliſtas.

geliſtas, primus obtinet locū] Alio item
a *Serm.* 50. loco [a] de eodem, (vt vocat) Euangelici ordinis primicerio, ſic ait: [Quis audiens publicanum, à Domino non modò in clientelam diſcipulatus electum, ſed & ſenatus inſuper Apoſtolici conſcendiſſe faſtigium, non protinus animetur ad conſequendam ſuorum veniam peccatorum? de telonio quippe cumulandæ pecuniæ, in cathedram transfertur Eccleſiæ: & qui priùs exigendi vectigalis fungebatur officio, conſtitutus eſt fidei diuitiarúmque cœleſtium miniſtrare theſauros: quippe tunc turpis lucri quæſtu ſatagebat implere marſupiū, nunc per mundi latitudinem ſpargit cœleſtis eloquij ſacramentum, & mox vt vocantis ſe Saluatoris audiuit imperium, non cunctatus eſt non ſua diſponendi quæ ſiuit inducias, non amicorum communicanda conſilia, ſed illicò diuitias ſprenit, neceſſarios abdicauit, carnalium affectuum nexus abrupit, ſícque ſolutus poſt Chriſti veſtigia lætus, & impiger properauit, & tanquam poſt naufragium delatus in portum, diuinum illud celeuma cātauit *Dirupiſti Domine*

mine vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. Vel illud quod ſponſa modulatur in canticis canticorum. *Paululum cùm pertranſiſſem eos, inueni quem diligit anima mea, tenui, nec dimittam eum.*]

22. Ad eandem mentem Laurentius Iuſtinianus [a]. cõferens S. Pauli & S. Matthæi ſubitam ex gratia conuerſionem & ſanctificationem, & vtrúmque in vitiis occiſum, ſed à Deo vita donatum, percuſſum ſed ſanatum, demonſtrans, ſubdit: [quemadmodum perſequenda crudelitas, eſt extincta in Paulo, ita auaritiæ cupiditas occiſa in Matthæo, deperiit. O fœlix hæc mutatio dexteræ excelſi, quæ de publicano Apoſtolum, & de perſecutore Doctorem eximium fecit. Quis non miretur, exultet, & laudet? hæc planè præcelſa diuinæ miſerationis ſunt opera, hæc præclara ſunt æternæ bonitatis teſtimonia, quibus nos ad pœnitentiam inuitat, indulgentiam ſuadet, immittit ſpem, & dilectionem oſtendit. Nulla prorſus in iſtis laudabilia nouimus fuiſſe acta, vt talem ſortirentur electionis gratiam. Erat namque Matthæus, cuius hodie celebritas ſo-

a *Serm. de S. Matth.*

ginem detergere, & momento, colluce-re ſanctitatis omniúmque virtutum ſplẽdore. Itáque trepidantem, deberét-ne conſcius anteriorum, ſuæ in Epiſco-patum promotioni acquieſcere, affatur in hunc modum. [Sed quid ſi ſuam Deus acceleret gratiam, & multiplicet miſericordiam: & ſit ad reſtituendam innocentiam efficacior velox clemen-tia, quàm diuturna pœnitentia? *Beatus* ſi-quidem *cui non imputabit Dominus pecca-tum.* Nam quis accuſabit aduerſus ele-ctum Dei? Si Deus iuſtificat; quis eſt qui condemnet? hoc ſalutis compen-dium Sanctus ille latro conſequutus eſt. Vno eodémque die, ſimul & confeſſus latrocinia, & introductus in gloriam: breui quodam contentus ponte crucis, ad tranſeundum de regione diſſimilitu-dinis in terram viuentium, & de luto fę-cis in paradiſum voluptatis.] Subdit il-luſtria quædam exempla ſubitarũ Deo operante & corda immutante prouec-ctionum ad inſignem virtutem, quod piarum mentium pabulum omni melle ac ſeſamo ſuauius, condire placet, non-nullis ex omni retrò Chriſtiana antiqui-tate

tate ſelectioribus exemplis adhibitis, vt robuſta Dei manus & in peccatores amor, apertiùs eluceſcat. Nam ſi Deus glorioſum ſibi, & nobis vtiliſſimum ducit, agnoſci, etiam viros vitæ profligatæ euaſiſſe in amicos Dei ſingulares, (vt propterea quod benè expendit Baſilius Seleuc. [a] magnorum poſtea virorum anteriores culpas, ac fœdos aliorum lapſus, voluerit ſacris literis inſeri:) quanto glorioſius Deo erit, ſubitò de luto fæcis ad tantũ nitorem euexiſſe aliquos? a *Orat.* 17.

10. Memorat ergo in primis in hoc genere S. Bernardus, fœlicem illam de Euangelio peccatricem, quæ ſubito hoc pietatis remedio ita repentè curata eſt, vt vbi ſuperabundarat delictum, ſuperabundaret & gratia, fierétque peccatrix *Apoſtolorum Apoſtola*, vt loquitur homo Gallus [b] apud Petrum Damianum, ſuſpiciens tam promptam tantæ peccatricis reſipiſcentiam iis micantem virtutibus quas S. Paulinus [c] inſigniter extollit ac celebrat. Quod item facit auctor homiliæ de ablutione pedum apud Cyprianum, inducens S. Petrum ad proſtrati corã ſe Domini tantam abiectio-

b *Serm. de S. Martin.*

c *Epiſt.* 4. *ad ſeu.*

nem ſtupore defixum, ſic inter alia ipſum affantem, vt à vili miniſterio & lauandis pedibus reuocaret.[Hoc in muliere peccatrice aliquando paſſus es, nec dedignatus es in menſa ſolemni, multis conueſcentibus,infamis perſonæ ſuſcipere famulatum: cuius deuotio vſa eſt ibi capillis pro linteo, oculis pro baptiſmo,tetigit,lauit, & vnxit vnguento. Mactata intrinſecus anima,proprium in ſancta ſanguinem intulit; ſingula ſuum præbuere miniſterium, cor contritum erupit in lacrymas, fides lauit, charitas vnxit; hæc multa in conſpectu tuo congerens holocauſta, de fonte cordis, fletus hauſit quos protulit: De pœnitentię pixide,vnguenta quæ obtulit,capútque pro ſuppedaneo ſtrauit, crinibus circumfuſis pedes ſacros inuoluit & terſit. Nihil ſibi de ſe bretinens, totam ſe tibi deuouit: & tu affectum potius quàm factum attendens, vngebas vngentem, abluebas lauãtem, tergebas intrinſecùs pœnitentem.] Sic de perfecta æquè ac celerrima Magdalenæ conuerſione,autor predictus![ô pretioſas lacrymas,(exclamat S. Baſilius magnus, [a] promptam ac

[a] *Hom. de lib. arbit. tem 2. Graecol.*

ac ſubitam Sanctæ huius peccatricis cõ-uerſionem, & ex lacrymis ablutionem ſuſpiciens[a]; eadémque verbatim habentur apud Macarum[b]:) ô pretioſas lacrymas inſtar margaritarum, è beatis illis oculis profluentes! ô diuinas illas & morigeras aures! ô fortem ac ſapientem animum! ô acrem & ſpiritalem amorem, feruenter ad immaculatum ſponſum anhelantem! ô ſtimulum deſiderij, animæ verbi Dei cupidæ! ô ſtudioſum & irremiſſum ſponſæ & ſponſi conſortium! Imitare Mariam hanc, ô fili imitare, ad nihil aliud reſpiciens quàm ad eum qui dixit. *Ignem veni mittere in terram. Et quid volui, niſi vt iam eſſet accenſus?* Eſt enim inflammatio ſpiritus, corda excitans & calefaciens, propterea quòd ſpiritalis ac diuinus ignis animas quidem illuminat & probat internè, ſicut aurum ſincerum in camino probatur; malitiam verò conſumit veluti ſtipulam, ac ſpinas.] Itaque quo impetu ignis validus materiam aptam corripiens ſibi aſſimilat, & in ignem commutat, eodem ſpiritus Dei flammeus & igneus Magdalenæ animam igniuit; in quam

[a] *Hom. 15. ſub finem.*

rem

rem inſigniter alibi quoque philoſophatur idem Baſilius [a] Videſis præterea S. Ephrem [b], Chryſoſtomum [c], Nyſſenũ [d], Laurentium Iuſtinianũ [e] Nec omittenda quæ piiſſimè omnino diſſerit Drogo [f], tractans & Magdalenæ applicans illud Iſaiæ [g], *In die illa ſibilabit Dominus muſcæ quæ eſt in extremo fluminum terræ Ægypti, & api quæ eſt in terra Aſſur.*

a *Orat. de pœnit.*
b *Serm. in mulier. peccat.*
c *Serm. in peccatr. & Phariſæũ.*
d *Orat in acerbiùs iudicãtes.*
e *Serm. de Magdal.*
f *De ſacram Dñ paſſio.*
g *Cap. 7.*
h *Matt. 9.*

11. Matthæi exemplũ illuſtriſſimum omnino eſt, & ſubitam ex gratiæ afflatu mutationẽ exhibet, vſq; adeò vt gloſſa [h] dicat, idcirco non narratam à Matthæo ſuã conuerſionẽ debito ordine & loco, ſed inter miracula, quia fuit magnũ miraculũ; & Ioannes de Turrecremata, [i] eã plenam miraculi fuiſſe, latè diſputat; animales autem homines, Iulianus Apoſtata, & Porphyrius, Matthæum ſtoliditatis & leuitatis in eo facto inſimularint, qui ad vnam prætereuntis Chriſti vocem, vitam priorem abiecerit. Et erat tamen ſtatus illius admodum alienus à Deo vt expendit Chryſologus [k] verbis illis. [Matthæum Publicanum, diuitiæ ſic cupiditatis publicabant magiſtrum, fornace auaritiæ ſic coquebant, ſic alligabant

i *In qq. Euang q. ad Euang. feſti S. Matthæi artic. 2.*
k *Serm. 28.*

gabant vinculis cautionum, ſacculorum ponderibus ſic premebant, vt leuari ad innocentiam, ad iuſtitiam ſurgere, ad virtutem progredi non valeret. Vnde & ſedere eius, erat iam ſubſidere, non ſedere.] Audi & Chryſoſtomum [a]. [Quid eſt telonium? rapina legitima, violentia fiduciæ plena, iniquitas legis patrocinio fulta: latronibus eſt ſæuior publicanus. Quid eſt telonium? violentia, quæ patrocinium legis obtendit, quæ carnificem pro medico habet. Aduertite quid dixerim. Leges ſunt medici, deinde fiunt & carnifices: non enim vlcus ſanant ſed augent. Quid eſt telonium? peccatum impudens, rapina occaſione deſtituta, latrocinio peior: latro dum furatur, ſaltem erubeſcit: hic verò cum fiducia prædatur: Veruntamen hic publicanus, Euangeliſta confeſtim euaſit: Quo tandem pacto? qua via? *Tranſiens*, inquit, *Ieſus, vidit Matthæum ſedentem in telonio, dixitque illi, ſequere me.* ô virtus ſermonis, intrauit rete; & ſtatim fecit militem de captiuo, & lutum protinus in aurum conuertit; Intrauit rete, *& ſtatim ſurgens ſequutus eſt eum.* In

[a] *Serm. de Chanan. tom. 6. Græcol.*

fundo

fundo erat iniquitatis; & ad culmen virtutis aſcendit.]

Planè veluti turbo rapuit eum ſpiritus Domini de loco ſuo: Ferrũ de terra ſublatum eſt, & lapis ſolutus calore in æs verſus, vt philoſophatur S. Gregorius [a], qui item egregiè alibi de monte hoc Chriſto ſubitò herbas ferente, philoſophatur [b]. Rurſúſq; in 1. Reg. circa illa verba. *Iuuenes optimos tollet* Egregiè de hac Matthæi ex nequitia ſumma ad ſummam ſanctitatem ſubuectione ſubita, diſſerit. Itaque exclamat meritò Petrus Damiani [c] [Dominus Publicanum in contubernium proprij comitatus adlegit, *ſequere*, inquit, *me*: & *ſurgens ſequutus eſt eum.* Quàm fortis & valida manus huius cœleſtis agricolæ: arborẽ ſcilicet, terræ radicitus inhærentem, & mundanæ concupiſcentiæ tenaciter incubantẽ, mox vt cõcuſſit, euulſit; aſportauit, & in terra viuentiũ tranſplantauit. Vbi videlicet iuſtus, vt palma florebit, & ſicut cedrus libani multiplicabitur. Cui nimirum per immutationem dexteræ excelſi cõgrua diſpoſitione collatum eſt, vt non modò prædicandi; ſed

a *Lib.* 18. *mor. c.* 12. *&* 16.
b *Lib.* 30. *mor. c.* 34.
c *Serm.* 51.

&

& ſcribendi ſortiretur officium, ſicque mereretur humano generi cœleſtem miniſtrare theſaurum, quatenus qui terreni quæſtus lucra contempſerat, cœleſtium talentorum diſpenſator exiſteret: & theſauros cœleſtis eloquij, quos impartiendos acceperat, fideliter erogaret. Vt ſicut Redemptor noſter piſcatoribus ſuis antè iam dixerat: *Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum,* ſic iſti quadammodo diceret: qui lucris temporalibus inhias, qui certè vt auro vel argento diteris, impatienter anhelas, me quantociùs ſequere móxque te faciam immortales diuitias ſuperni Regis per mundi latitudinem diſpenſare. Tu ſcilicet aurum quæris, cum ſæculo tranſiturum, & ego tibi Euangelij theſaurum dabo per cuncta procul-dubio ſæcula permanſurum. Hinc forte eſt quod de fluuio illo paradiſi qui apud Geneſim Phiſon appellatur, ita legitur: *Quia circuit omnem terram Euilath, vbi naſcitur aurum, & aurum terræ illius optimum eſt.* Sicut enim Phiſon primus eſt fluuiorum de Paradiſi fonte procedentium, ita B. Matthæus inter reliquos Euangeliſtas.

mine vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. Vel illud quod ſponſa modulatur in canticis canticorum. *Paululum cùm pertranſiſſem eos, inueni quem diligit anima mea, tenui, nec dimittam eum.*]

22. Ad eandem mentem Laurentius Iuſtinianus [a]. cōferens S. Pauli & S. Matthæi ſubitam ex gratia conuerſionem & ſanctificationem, & vtrúmque in vitiis occiſum, ſed à Deo vita donatum, percuſſum ſed ſanatum, demonſtrans, ſubdit: [quemadmodum perſequenda crudelitas, eſt extincta in Paulo, ita auaritiæ cupiditas occiſa in Matthæo, deperiit. O fœlix hæc mutatio dexteræ excelſi, quæ de publicano Apoſtolum, & de perſecutore Doctorem eximium fecit. Quis non miretur, exultet, & laudet? hæc planè præcelſa diuinæ miſerationis ſunt opera, hæc præclara ſunt æternæ bonitatis teſtimonia, quibus nos ad pœnitentiam inuitat, indulgentiam ſuadet, immittit ſpem, & dilectionem oſtendit. Nulla prorſus in iſtis laudabilia nouimus fuiſſe acta, vt talem ſortirentur electionis gratiam. Erat namque Matthæus, cuius hodie cœlebritas ſo-

a *Serm. de S. Matth.*

lemniter colitur, publicanus, & turpis lucri publicè negotiis intẽtus, alienus à fide, & à ſanctorũ ſegregatus conſortio, temporalia quærens, parui pendénſque cœleſtia. Hic vtiq; talis, gratis vocatus à Chriſto, audiuit: *Sequere me.* Signa nõ viderat, ſalutis nõ intellexerat monita, nec familiaris Chriſto extiterat, & tamen ad vnam vocantis vocem corde compunctus, mente mutatus, irradiatus fide atque charitatis transfixus iaculo, repentè relictis pecuniis, familia, poſſeſſionibus, ac ſeipſo, præceptoris obediuit imperio; propterea illius fuit mutatio atque laude digniſſima. Prætermiſſa rei familiaris cura, abdicatis telonij miniſtrationibus, ſe inuitanti, dexteram dedit.] Iunxerat item in hanc rem S. Chryſoſtomus,[a] Matthæo Saulum, dicens Publicanum & blaſphemum; Matthæum inquam & Paulum, Doctores noſtros, duos prius vertices impietatis fuiſſe, ſed mox à diuino afflatu tantô illuſtriores iuſtitia euaſiſſe.

[a] *Notato. proximè loco.*

13. Sed, vt de Matthæo plura non addam, Pauli ex Satanę pharetra, (vt loquitur Laurentius Iuſtinianus,[b]) eductio

[b] *Serm. de S. Pauli conuerſ.*

ctio à ſagittario optimo, in confixione impiorũ, eiúſq; tam ſubita mutatio, inſigne opus eſt dexteræ excelſi. Quis enim ſatis ſuſpiciat rabidum perſecutorem in momento factũ ductorem? [Dum intrat lupus rapax ſtabula pecudis, (ait S. Auguſtinus [a]) ſubitò & ipſe factus eſt ouis.] Rurſúſque [b] alibi. Quid volebat Saulus niſi vt euaderet & traheret, vinciret & necaret Chriſtianos? quàm rabida voluntas, quàm furioſa, quàm cæca, qui tamen vna deſuper voce proſtratus occurrente vtique tali viſo, quo mens illa & voluntas refracta ſæuitia retorqueretur & corrigeretur ad fidẽ, repentè ex Euangelij mirabili, perſecutore, mirabilior prædicator effectus eſt.] Idem alibi [c] pulcherrimè, ipſum B. Paulum inducit, tanquam ægrũ ante deſperatum, ſanatum ſubitò à cæleſti medico, qui gratis ad artis ſuæ ſpecimen exhibendum, curationem ei admouerit, hortantẽ ægros omnes, vt confidenter ſe eidem medico permittant. [Faciunt hoc medici, quando ad ea loca veniunt vbi ignoti ſunt, quos curent primitùs eligunt deſperatos, vt in eis & beneuolentiam exer-

a Serm. 106. de diuerſ.
b Lib. 1 ad Simplic. q. 2.
c Serm. 9. & 10. de verb. Apo.

ceant, & commendent doctrinam, vt vnuſquiſque in illo loco dicat proximo ſuo, vade ad illum medicum, ſecurus eſto, ſanat te. Et ille me ſanat? non vides quid patiar? Ego vidi quid ſimile. Tu quod pateris & ego quidem paſſus ſum. Sic dicit Paulus vnicuique ægroto, & de ſe volenti deſperare. Qui curauit me, miſit me ad te, & dixit mihi; Illi deſperanti vade, & dic quid habuiſti, quid in te ſanaui, quàm citò ſanaui, De cœlo vocaui, vna voce percuſſi, & deieci, alia erexi, & elegi, tertia impleui & miſi, quarta liberaui & coronaui. Vade dic ægrotis, clama deſperans, *fidelis ſermo, & omni acceptione dignus, quia Chriſtus Ieſus venit in mundum peccatores ſaluos facere.* Quid timetis? quid trepidatis? *Quorum primus ego ſum.* Ego, inquit vobis loquor, ſanus ægrotantibus, ſtans iacentibus, ſecurus deſperantibus. Ideò enim miſericordiam conſequutus ſum, vt in me oſtenderet Chriſtus Ieſus, omnem longanimitatem. Morbum meum diu pertulit, & ſic abſtulit. Tanquam bonus medicus phreneticum patienter tolerauit: ſuſtinuit me ferientem ſe, donauit

uit mihi feriri pro ſe.] Rurſus alio loco [a].[Dicit Apoſtolus, *miſericordiam conſequutus ſum* O Confeſſio! Non ait, miſericordiam conſequutus ſum, quia fidelis eram: ſed, vt fidelis eſſem, miſericordiam conſequutus ſum. Veniamus ad eius primordia, videamus Saulum ſequientem, ſpectemus furentem, ſpectemus odia anhelantem, ſanguinémque ſitientem. Spectemus fratres eum. Magnum ſpectaculum. Ecce poſt Stephani necem, poſt effuſum teſtis Dei; lapidibus ſanguinem, vbi veſtimenta ſeruabat lapidantium, vt in eorũ manibus lapidaret, tunc diſperſi ſunt fratres qui erãt Hieroſolymis congregati,& ille ſæuiens, cui parum erat vidiſſe, & fudiſſe ſanguinem Stephani, accepit literas à principibus ſacerdotum vt iret Damaſcum,& quoſcũque ibi inueniret Chriſtianos vinctos adduceret. Et ibat, hæc Pauli via erat, cuius via nondum erat Chriſtus, adhuc Sauli, nondum Pauli. Ibat. Quíd habebat in corde, quid niſi malum? Date mihi merita eius: ſi merita quæris, damnationis ſunt non liberationis. Ibat ergo ſæuire in membra

[a] Hom 17. inter. 50

Chriſti. Ibat ſanguinem fundere. Ibat lupus, paſtor futurus. Sitiebat. Non enim poterat aliter ire ad illa propter quæ ibat. Et cùm ſic ambulabat, cogitabat, anhelabat cædes, conducit pedes eius ira, mouet membra odium, dum pergit & ambulat, obtẽperat mancipiũ crudelitati: Et ecce vox de cœlo. Saule Saule, quid me perſequeris? ecce quare dixit miſericordiã cõſequutus ſum, vt fidelis eſſem. Erat infidelis; parum eſt; erat in ipſa infidelitate crudelis: ſed miſericordiam conſequutus eſt, vt fidelis eſſet.]

14. Eandem ſubitam atque celerrimam gratiæ in Pauli voluntate negotiationem, ſuſpicit concinnè Chryſologus [a] catechumenos mox initiandos, & ſubito partu ex vtero Eccleſiæ fundendos alloquens. Præfatus eum etiam intra naturæ ordinem fœtus plerumque diſruptis temporum moris, & rudi latrocinio effractis viſcerum clauſtris repentina viuendi lucra quærere, & rapere naſcituros, ſubiungit; [Si hoc humanæ licet naturæ, cœleſti quid obſiſtere poterit, & diuinæ? Aut quid ſanctus Spiritus non poteſt, ſi hoc poteſt caro? aut

a *Serm.* 56.

aut quomodo gratia ſuperna non efficit quod fragilitas obtinet, & implet humana? Nonne ſic Paulus acerbo dolore viam noſtræ vexauit & viſcera genitricis, vt cœleſti turbine, ac tota Eccleſiæ tempeſtate præueniret tempora parientis? vt ſubitò & in via naſceretur, qui erat ad fidem viam gentibus præbiturus? Meritò ſe abortiuum nuncupat, & miratur ſe fuiſſe natũ, qui nouit ſe nulla conceptus temporapertuliſſe. Namque cùm adhuc hoſtis ipſe cæderet extrinſecus ſanctæ matris vterum, & in ipſo ortu pignora veneranda collidens repentè ſanctum imitatur in germen, qui ipſius germinis fuerat ferociſſimus perſecutor.]

S. Macarius [a] optimè. [B. Paulus de conuerſione & aſſumptione ſua qua compreheſus eſt à Domino ſcribit hęc: *Sed ſector ſi iam apprehendam, quatenus & apprehenſus à Chriſto.* Quo igitur pacto comprehenditur à Deo? Quemadmodum enim ſi captiuos quoſdam quos rapuerat, Tyrannus abducat, deinceps ipſe comprehendatur à vero Rege: Ita quoque Paulus cùm à tyrannico ſpiritu

[a] *Hom.* 44.

peccati torqueretur, Eccleſiam perſequebatur,& deuaſtabat eã. Verùm cùm non odiò Dei, ſed per ignorantiam hoc ageret, tanquam pro veritate dimicans non eſt neglectus; ſed apprehendit eum arcano ſplendore circumfuſum Dominus cœleſtis & verus Rex, eúmque voce dignatus, in faciem percuſſit, atque vt ſeruum liberauit.]

15. Hoc tam ſubitum in Paulo opus gratiæ diuinæ, S. Grego.[a] præfert ſuſcitationi Lazari: Indidem Laurẽtius Iuſtinianus[b] rectè obſeruat potentiam gratiæ & verbi interni diuini innotuiſſe. [Expertus eſt, (ait de Paulo) in ſe, quantum Dei Verbum ſit potens. Non per milites, non verberibus, ſtrauit hunc incredulorum ducem, quatenus ſciret, quòd Dei ſermo eſt viuus & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti; pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus; Nempe ſi totus inſurrexiſſet mundus, Pauli minimè valuiſſet animoſitatem flectere, euertere ſenſum, intelligentiámque conuincere. Verùm vt cor illius tetigit verbũ, emolliuit mentem eius, ſedauit furorem, placauit crudelita

a *Lib. 3. dial. c. 17.*

b *Serm. de conuerſ. S. Pauli.*

delitatem, mutauit propoſitũ, naturam reformauit, docuit rationem, lumine circumuenit, atque ſapientiæ totum nectare ſaginauit.]

Eximiè plane, vt eſt Paulo addictiſſimus, id variis omnino locis verſat S. Chryſoſto.[a] tractans illud. *Saulus, adhuc ſpirans minarum*, anteponit hoc opus omnibus Chriſti miraculis. Et alibi[b], vide quid ſit factum. Obturatus eſt fons vnus Stephani, & apertus eſt alius, plurimos emittens fluuios. Nam poſtquã ſiluit os Stephani, mox ſonuit tuba Pauli, ſic nunquam derelinquit Deus in finem ad ſe currentes, ſed dona dat maiora; quàm ab inimicis auferuntur. Non enim talẽ illi deiecerunt militem ab exercitu, qualem in locum eius ſubmiſit Chriſtus. *Saulus autẽ adhuc* Et aliud quiddam manifeſtat illud *Adhuc*; Quid illud? quia adhuc ferocientem, adhuc inſanientem, adhuc in vigore furoris exiſtentem, adhuc cæde feruentem attraxit Chriſtus. Non enim expectauit vt expleret furorem, vt oſtenderet morbum, vt extingueret flammas affectionum, & fatigatus debacchando man-

a *Tom. 5. Serm. 47.*

b *Eodem tomo. ſerm. 13.*

ſueſceret, & tunc tandem traheret: ſed dum vigeret furor, ipſum cepit, vt oſtenderet potentiam ſuam, vincens & ſuperans perſecutorem in media inſania. Enimuerò medicum tunc maximè admiramur, quādo febrem cùm infeſtior, & flammam morbi cùm vehementior eſt extinguere & penitus abolere poteſt. Id quod in Paulo contigit. Vox enim Domini, quaſi ros quidam deſuper deſcendens, à morbo in ipſo flammæ feruore liberauit.] Idem alibi [a] exempla proponens pœnitentium, & deſcribens partum diuinæ miſericordiæ omni tempeſtate carentem. [Conſidera Paulum Apoſtolum, priùs perſecutorem, poſtea annunciatorem; priùs peruaſorem, poſtea diſpenſatorem: ante hoc zizania, poſt hoc frumentum: antea lupum; poſtea paſtorem: antea plumbū, poſtmodùm aurum: antea piratā, poſtea gubernatorē: antea diſperſorē ouium, poſtea diſpenſatorē Eccleſiæ: primò euelentem vineam, poſtea plantantem: priùs diſſipantem, & pòſtea ædificantem? vidiſti multimodam malitiam, ſed perſpice ineffabilem

a Hom. 1. in Pſal 50.

lem miſericordiam: vidiſti ſuperbiam ſeruuli, conſidera beneuolentiam Domini.] Hîc porrò tranſitus planè ſubitus fuit. Audi breuiter eundem [a] Chryſoſtomum: [Licèt maledicus ſis, licèt auarus, licèt quocunque alio coinquinatus ſcelere; intelligas Paulum blaſphemum fuiſſe, perſecutorem Chriſti, iniurium, & inter peccatores primo loco numerandum: & tamen repentè ad ipſum virtutis cacumen aſcendit, & ei nihil prior vita attulit impedimenti. Atqui nemo vnquam tanta inſania militiam amplexus eſt, quanta ille bellum contra Eccleſiam: Etenim animam ſuam tunc tradidit, & quod non innumeras manus haberet, vt his omnibus Stephanũ proſterneret, angebatur. Tamẽ & ſic inuenit vt pluribus eum falſorum teſtium manibus obrueret quorum veſtimenta ſeruabat; & quando in domos irrumpebat perinde ac fera proſiliebat, trahebat, laniabat, viros, mulieres; tumultu, perturbationibus, bellis innumeris, omnia cõplebat, adeóq; omnibus formidoloſus erat, vt Apoſtoli poſt optimam conuerſionẽ ſuam non auderent

[a] *Hom. 12. in 1. Cor.*

rent ei congredi. Tamen cùm eiuſmodi eſſet qualis poſtmodum fuit, euaſit.]

16. Hîc ſi tantiſper gradum figam, & vnius, vel alterius in gratiam qua Paulus reſipuit remiſſius ſtudium excutiã, non tam digredi vel gratis excurrere cenſendus ero, quàm firmare quæ rectè hactenus ex Patrum mente poſita ſunt de ſubitis gratiæ in Paulo effectibus, eiúſque cita ſanctificatione, præſertim quia propè in omnibus ſequentibus exemplis, eadem remora iuſtificationi iniiceretur. Fuit igitur Louaniẽſis quidam Doctor[a], cuius doctrinam Pius V. & Gregorius XIII. in pleriſque ſuffixere, cui viſum eſt Paulum licèt perfectè conuerſum cum Chriſti voce perculſus reſpondit, *Domine quid me vis facere*, non tamen aſſecutum illicò eſſe gratiam ſanctificantẽ, ſed tantùm cùm realiter ſuſcepit baptiſmum, quo primùm obtigiſſe Paulo ſanctitatem, colligebat ex illis Ananiæ ad Paulum verbis. *Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua.* Eodem fundamento nixus recens Pauli ſanctitudinis tractator[b], latè contendit, S. Paulum non fuiſſe iuſtificatũ ante

a Baius li. de Charit.

b Dariſq.

ante realem baptiſmi ſuſceptionem: adducítque in eam rem ex cuiuſdam Petri Lintrenſis commentariis in Acta, hanc ſententiam. *Mirum eſt nonnullos parùm conſiderantes hunc ſacræ ſcripturæ locũ, & priuatis quibuſdam opinionibus impeditos, putare Saulum fuiſſe iuſtificatum antequam baptizaretur, eo quòd magnam eius contritionem animaduertant.* Id quod mox ab eo negari addit; *Nec poſſe negitari abſque temeritate, niſi velimus illuſum Paulũ ab Anania, perperàm affirmante, ablue peccata tua,* homo latinitatis lautitiarum exquiſitè cupes, infrà ſubiungit, addito etiam ſuperpondio illo. *Immane quantum opinio altera, Pelagio Cæleſtinóque qui parentalem labem baptiſmo infantibus abſtergi negauerant, patrocinetur.* Videri poſſit fauere S. Auguſtinus [a], vbi de Paulo ait, [illum lauacrum aquæ ſanctæ, reddidit nouum.] Quæ verba ſententiæ auctorum illorum aſtipulari videntur.

[a] *Serm. 8. ex 40. nouis.*

17. Ego verò quod Lintrenſis commentarium non viderim, pronuntiare de illius auctoris doctrina non poſſum, vt neque ex prolixa tractatoris allegati diſputatione ſatis capio, quæ eius ſit germana

germana mens in re propoſita. Diſtinctio itaque adhibenda eſt. Vel enim diffitentur hi auctores, S. Paulum perfectè contritum, atquè ad Deum legitimè conuerſum, obtinuiſſe illicò gratiã ſanctificantem, volúntque licèt præuia contritione perfecta, non fuiſſe iuſtificatum Paulum, niſi cùm reipſa poſtea ſuſcepit baptiſmum, quod ita ferat lex ordinaria circa iuſtificationem lata in nouo Teſtamento; vel certè tantùm negant S. Paulum ſubitò fuiſſe iuſtificatum, quia non habuit contritionem perfectam ante baptiſmum realiter ſuſceptum. Hoc ſecundum ſi dicant, imperfectè omnino ſtatuunt, & de Dei mouentis voluntate, & de Pauli reſipiſcentis feruore. Dei ſanè perfecta ſunt opera, nec dubium quin potuiſſet opus ſuum in Paulo abſque mora perfectum efficere excitando illum ad perfectam conuerſionem. Et quod reipſa ita excitauerit, ſuadet ſubita feritatis depoſitio. Quî enim animus ſpirãs minarũ & cædis, ſanguinariũ affectum, placidiſſima in Chriſtũ quẽ perſequebatur voluntate, & ad eius nutũ ſubiectione mutaſſet,

taſſet, niſi interuentu conuerſionis perfectæ & contritionis, qua anterior ſtatus abiiceretur & aſſumeretur noua vita? Mouit igitur Saulũ DEVS ad perfectã conuerſionem ac cõtritionem; id quod agnoſcere videtur Lintrenſis verbis poſtremis ex eo relatis. Suffragantur Patres omnes qui conuerſionis Pauli meminere, eámve exornarunt concionibus, & interpretes omnes, antiqui iuxta ac noui, Actorum. 9. Quo conſtituto, ſi auctores cum quibus agimus, exiſtimãt Paulum perfectè tunc conuerſum & contritione inſtructum, nihilominus nõ illicò gratia donatum, ſed tantùm triduo poſt, cùm reipſa ſuſcepit baptiſmũ; næ illi turpiter hallucinãtur. Non enim priuatis quorundam opinionibus, ſed ſanæ doctrinæ ſcitis ſtatuitur, poſita vltima diſpoſitione ad ſanctitatem, cuiuſmodi certum eſt eſſe contritionem perfectam, vel conuerſionem ex dilectione ſuper omnia, illicò Deum conciliari peccatori & ſanctitatem elargiri, quod Synodus Tridentina [a] apertè docet, agnoſcens ante ſuſceptum reipſa ſacramentum, aliquem per eius votum quod contri-

[a] Seſſ. 14. ca. 4. de pœnit.

contritione vel dilectione Dei perfecta continetur iuſtificari poſſe & reconciliari Deo. Idem definiuerat etiam S. Leo [a] ad Theodorum Foroliuienſem ſcribens, ac negans definiēda eſſe tempora miſericordiæ Dei [apud quem nullas patitur veniæ moras vera conuerſio, dicente Spiritu Dei per Prophetam, cum conuerſus ingemueris tunc ſaluus eris] quæ eadem vſurpat Cœleſtinus [b]. & idem habet Innocentius tertius [c]. Scripturas præterea bene multas, & Patres in eam ſententiam vrgent Bellar. [d] & Suar. [e] quæ ne diutius hîc hæream, apud eos legi poſſunt.

18. Argumentum verò in contrarium, ex verbis Ananiæ ad Paulum, imbelle eſt. Dixit enim Ananias, *ablue peccata tua*, vel quia non erat conſcius præuiæ Pauli contritionis: vel quia in contritione illa præuia inuoluebatur votum baptiſmi, vt proinde eius ſuſceptione eſſet obſignanda contritio prælicita, & rata faciēda ſuſceptio gratię ſanctificantis, quæ contritioni ob illud votum fuerat adiuncta: vel denique eodem ſenſu locutus eſt Ananias, quo Sacerdos circa

peccata

a *Epiſt. 91*

b *Epiſt. ad Epiſcop. Galliæ c. 2.*

c *Cap ad Apoſtol. de presbit. non baptiſ.*

d *L. 2. de pœnit. ca. 13. & to. 4. 3. p. d. 4. ſect. 5. & l. 8. de grat. cap. 6. nu. 11.*

peccata aliás ritè ſubiecta clauibus atq; remiſſa, aut per perfectam contritionem iam expiata, iterat verè formã abſolutionis, ***Ego te abſoluo***, quæ externa verborum ſpecie non minus ſonare videtur peccatorum perſeuerãtiam illuc vſque, quàm verba Ananiæ propoſita. Senſus enim illius formæ ſuper peccata iã remiſſa iteratæ, iſte eſt, cõfero tibi gratiã perquam formaliter & actu ſolueretur peccatum, ſi perſtaret; & actu adhibeo quicquid exigitur ex parte cauſæ idoneæ peccatum expellere, quamuis quod remiſſum eſt, ſublatum omnino ſit, nec remaneat vllo modo. Sicut etiam conſeruatio dicitur formaliter extrahere rem de non eſſe ad eſſe, quamuis res per anteriorem productionem eſſe præhabuerit. Quod clariùs locum habet, ſi duæ actiones totales ſimul tendant in eundem terminum, ne quis cauilletur, cõſeruationem extrahere formaliter rem de non eſſe, pro tempore quo res conſeruatur. Eodem ergo proportionaliter ſenſu, abſolutio conferens id per quod formaliter fieret peccatorum remiſſio ac ſolutio, niſi præceſſiſſet, appellatur & eſt abſolu-

tio. Similiter baptiſmus appellatur & eſt ablutio peccatorum per contritionem aut conuerſionem perfectam iam mundatorum, quia confert formã, qua formaliter induceretur peccatorũ abſterſio & nitela animi, niſi effectus iam præceſſiſſet. Et eodẽ modo exponi poſſent verba illa ipſiuſmet Apoſtoli in quibus etiam fit vis. *Saluos nos fecit per lauacrũ regenerationis*. Hic tamen Apoſtolus loquitur in perſona omniũ Chriſtianorũ, nõ autem in ſua priuata. Plerique verò Chriſtiani primùm iuſtificantur per baptiſmũ. Præterquã quod indefinitè ait Apoſtolus, nos ſaluos fieri per lauacrũ regenerationis & renouationẽ Spiritus ſancti: hæc autem poteſt ante lauacrũ fieri. Locus ergo ille nón eſt ad rem.

19. Quare indubiè ſtatuendum, Apoſtoli conuerſionem ſubitò fuiſſe perfectam & gratiam ſanctificantem inuexiſſe, ac Saulum minas ſpirantem, ſubitò vas electionis feciſſe, vt dixit S. Bernardus [a] ita de Paulo egregiè diſſerens. [Quis deſperet vltra pro magnitudine cuiuſlibet criminis, quandoquidem Saulum audiat adhuc ſpirantem minarum

[a] *Serm. 1. de conuerſ. S. Pauli.*

minarum & cædis in diſcipulos Domini, ſubitò factum vas electionis! quis dicat iniquitatis pondere preſſus, aſſurgere iã ad ſtudia meliora nõ valeo; quando in ipſo itinere quo ſanguinem ſitiens Chriſtianum, dirum toto pectore virus efflabat, perſecutor crudeliſſimus, in fideliſſimum repente mutatus eſt prædicatorem? Magnificè ſiquidem in hac vna conuerſione & miſericordiæ magnitudo, & efficacia gratię cõmendatur.] Suffragatur Caſſianus [a] his de Paulo præter *a L. 3. de Incar. cap. 6.* cætera. [Cùm tremens ac ſemianimis concidiſſet, diſſimulandum vltra non putauit, ſuffecítque ei quod ineffabilibus experimentis, quem ignorans hominem eſſe credidit, admonitus Deum eſſe cognouit. Non diſſimulauit, non diſtulit; nec malè conceptum errorem infidèli amplius deliberatione ſuſpendit, ſed audito è cœlis Ieſu Domini ſui nomine, ſubdita vt famulus, trepida vt flagellatus, deuota vt conuerſus, voce reſpondit; Quid faciam Domine? Itaque paratiſſima ac deuotiſſima fide id ſtatim meruit; vt quem fideliter credidit eo ipſo iugiter non careret;

& ad quem corde tranſierat, vt in cor eius ipſe tranſiret.] Pulchrè item Fulgentius [a] hæc de Paulo habens. [cecidit malus & ſurrexit bonus: proſtratus eſt iniquus, & erectus iuſtus: cecidit ſæuiſſimus perſecutor, & ſurrexit veridicus prædicator. Cadens lumen corporis perdidit, ſurgens autem, lumen cordis iuſtificatus accepit. Coniunctus eſt itaque Stephano, factus ouis ex lupo.] Adduco etiam Bleſenſem [b] ad illud *Domine quid me vis facere?* Sic enim ſcribit. [Ad vocem diuinæ animaduerſionis in perſecutione humiliatur elatio, decrudeſcit in Saulo ſeueritas, & effrenata rabies manſueſcit in gratiam; ſucciditur oleaſter, vt oliua fructifera plantetur in domo Domini, lupus mutatur in ouem, rhamnus in vitem, herodius in columbam, ſicarius in Apoſtolum, blaſphemus in ſanctum, Saulus in Paulum, qui in Saulo mutat vitam, mutat & nomen, iuxta verbũ Iſaię. *Et vocabit ſeruos ſuos alio nomine.* Apertè idem docet S. Thomas [c] qui addit argumentum ex eo quòd cõuerſio S. Pauli ſit in Eccleſia conſecrata feſtiuo die. Neque enim imperfectam conuer

a *Serm. de S. Stephano ſub finem.*

b *Tract. de conuerſ. S. Pauli.*

c 1. 2. *qu.* 113. *art.* 10.

conuerſionem & mortalis peccati[d] cœno adhuc ſordentem celebraret Eccleſia, quantumuis mirabilem ob adiunctam proſtrationem. Subſcribunt communiter ſcholaſtici & interpretes & quotquot de Pauli conuerſione diſputarũt, nominatímque Serar. [a] Lorinus [b], Palacius [c], retractans antiquum ſuum placitum de Paulo & aliis ſubitò iuſtificatis abſque conſenſu libero.

a *Opuſc de S Paulo p. 2. nu 21.*
b *Actorum 9. v. 18.*
c *in 4. d 1. diſp. 4.*

20. Miſeret verò me, cenſuræ qua noſtrum hoc placitum temeritatis aut Pelagianiſmi inſimulatur. Temeritatem ſanè quæ in prætenſa verborum Ananiæ obtorſione fundabatur, ſatis depuli, dato verborum illorum ſenſu expedito ac perfacili, ab hac ſententia nõ diſſentaneo. Hanc verò ſententiam Pelagianiſmo fauere, quo negatur infantes per baptiſmum mundari, inſulſiſſimè dicitur. An enim infantes ante baptiſmum elicuerunt contritionem & conuerſionem perfectam? Deinde error ille Pelagianorũm in eo ſitus fuit, quòd negarent contractum à pueris in generatione peccatum, baptiſmi ſuſceptione in infantibus, in adultis autem baptiſmo

vel contritione expiandum. An verò poſita ante baptiſmum vltima diſpoſitione ad ſanctitatem, peccatum ante baptiſmum abſtergatur, nihil ad Pelagij errorem refert. Nolo cenſuræ in ſententiam noſtram vibratæ, iuſtiorem cenſuram reponere.

21. Fixum itaque eſt, Paulum ſubitò è lupo ouem, ex hoſte amicum, ex vaſe contumeliæ vas electionis effectum vti affirmabam. Nunc ad alia ſubitaneæ conuerſionis exempla porrò pergamus. Inſigne omnino eſt exemplum Baſilidis ſatellitis ſub Seuero, cuius ſubitam conuerſionem, ita exponit Euſebius [a] [Baſilides vnus ex ſatellitibus eam (Potamiænam) acceptã, ad locum ſupplicij deducit. Simulátque autem multitudo ei moleſtiam faceſſere & verborum petulantia inſectari conabatur, hic eos qui contumeliam ei faciebant, repulſos, coërcuit, & maximam clementiã, ſummámque humanitatem in eam declarauit. Illa verò hominem pro illius erga ſe commiſeratione vehementer amplexata, bono animo eſſe hortatur. Nam ait ſe ſimul ac abiret è vita à Domino

[a] *L. 6. hiſtor. c. 4.*

mino

mino ſuo veniam, & gratiam pro eo efflagitaturã,& non diu poſt eius in ſe merita iuſta remuneratione compenſaturam; hæc cùm dixiſſet, pice ferventi per varia, & diuerſa corporis membra ab imis pedibus vſque ad capitis verticem, ſenſim, ac pedetentim diffuſa, generoſo, & excelſo animo migrauit è vita. Tale certamen, ab hac percelebri & glorioſa Virgine, confectum fuit. Non longo temporis interuallo interpoſito, Baſilides cùm ſatellites, ſocij ſui certa de cauſa iuſiurandum ab ipſo exigerent, aſſeueranter affirmat omnino ſibi non licere iurare: Chriſtianum enim ſe eſſe, & hoc ſe propalàm fateri. At illi primò eum etiamnum iocari putabant; Verùm vbi illud conſtanter aſſerit, abducitur ad iudicem, & coram illo intentionem confeſſus, in vincula coniicitur: cùm fratres in Domino ad eum aduentarent, cauſáſque repentinæ, & admirabilis huius mutationis ſciſcitarentur, fertur reſpondiſſe, Potamiænam, triduo poſt martyrium noctu ei aſſiſtentem, coronam ipſius capiti impoſuiſſe, dixiſſéque ſe pro eo gratiam à

Domino poſtulaſſe, poſtulatam obtinuiſſe, & Dominum non longo tempore poſt, eum ad ſuam gloriam recepturum. Poſt illa, vbi fratres ſigillum in Domino ei impertiuerãt, poſtero die ſecuri percuſſus, præclara martyrij corona donatus eſt.] Alluſit planè ad hunc Baſilidem ab ipſo inſtitutum teſte ſuprà Euſebio, Origenes, [a] his aduerſus Celſum verbis. [Irrideat licèt Celſus quod dicetur, aut introductus ab eo Iudæus, dicetur tamen: multos pene inuitos attractos eſſe ad Chriſtianam religionem Spiritu quodam repentè mutante intellectum eorum, vt pro verbo exoſo ad id temporis, non cunctarentur mortem oppetere, poſt viſiones oblatas ipſis, vel dormientibus, vel vigilantibus; multa enim talia vidimus.]

a Lib. 1. contra Celſum.

22. Delator S. Iacobi his eſt allegendus ex Antiocho [b]. [De Iacobo Ioãnis fratre memoriæ proditũ eſt, quòd is (cuius delatione fuerat denuntiatus) cũ vidiſſet Iacobum rapi ad mortem, ductus pœnitentia pedibus procidit beati dicens, Indulge mihi. Beatus verò aliquantum morulæ reſiſtens, reſpondit, Pax

b Hom. 116.

Pax tibi ; hoc dicto in illius amplexus ruit, & oſcula. At ille, voce exerta Chriſtianum ſe eſſe profeſſus eſt, eíque adnumeratus eſt, quem incuſarat, & brauium cum illo aſſequutus eſt ſupernæ vocationis.]

Biblis martyr Lugdunenſis apud Euſebium [a] perilluſtre in hanc rem exẽplum ſuppeditat, quod hîc omitto, quia plenè de eo actum in SS. Lugdunenſium Indiculo [b]. a *5. hiſtor. cap. 2.* b *Verbo S.* Biblis.

Vix vlli niſi in Eccleſiaſtica hiſtoria prorſus hoſpiti, incompertum exẽplum S. Ardelionis mimi, qui cùm Chriſtianis ſacris in theatro illuderet, repentè mutatus, ea non verbis tantùm ſed & fuſo ſanguine teſtata dedit. Narratio attingitur in Romano Martyrologio [b] & in Græcorum menologio : vbi etiam alio loco [c] videre eſt quàm inſigni potentiæ ſuæ ſpecimine diuina vis Porphyrium mimum coram Iuliano Apoſtata per iocum Chriſtianis ſacris ſuper ſcenam initiatum, ſubitò tetigerit, & in virum perfectum, mox etiam Chriſti martyrem, non abſque Apoſtatæ ſtomacho, aut veriùs rabie transformarit. Et quia c *4. April.* d *Ad 17. Septemb.*

ea narratio gemina omnino eſt ei quæ de S. Geneſio Mimo in actis eius proditur, huius Breuiculum proferam ex Adonis Martyrologio ad 25. Auguſti, quo die eius memoria in Romano Martyrologio aliíſque conſignata eſt, tanquam inſignis martyris, cuius ſubita & inſperata ad Deum conuerſio ſtupore defixit Ethnicos, & Diocletianũ prope in rabiem egit. Sic ergo habet de hoc Geneſio Ado. [Romæ natalis S. Geneſij martyris; qui prius in Vrbe mimus, Thimelicæ artis magiſter fuit. Et quadam die cùm vellet Diocletiano Imperatori, cui Chriſtiani, vtpote ſæuiſſimo, exoſi erant, de myſteriis Chriſtianæ obſeruantiæ ludum exhibere, & huius rei gratia, ſpectanre Imperatore, & omni populo, in medio theatri, quaſi ægrotus decumbẽs ſe poſceret baptizari, mirum in hæc verba propoſuit: Eia noſtri, grauem me ſentio, leuem me fieri volo, Illi reſponderunt: Quomodo leuem te faciemus, ſi grauis es? Nunquid nos fabri ſumus, & ad ruminam te miſſuri ſumus? hæc verba exhibuerunt populo riſum. Geneſius iterum: Veſani, Chriſtianus de ſide

deſidero mori. Quare? inquiunt; Quibus Geneſius: Vt in illa die veluti fugitiuus in Deo inueniar. Euocato autem Presbitero, & Exorciſtâ, repente à Deo inſpiratus credidit. Nam illi iuxta lectũ ipſius quaſi ægrotantis cùm reſediſſent, dicunt ei: Quid ad nos miſiſti filiolè? Geneſius autem, non ſimulatè ac fictè, ſed ex puro corde reſpondit: Quia accipere cupio gratiam Chriſti, per quam renatus liberer à ruinâ iniquitatũ mearum. Cúmque ſacramentorum myſteria compleſſent, & indutus eſſet veſtibus albis, veluti per ludum à militibus raptus, & ad ſimilitudinem ſanctorum martyrum de Chriſti diſcutiendus nomine, Imperatori fuiſſet exhibitus, ſtans in editiori loco ita concionatus eſt: Audi Imperator, & omnis exercitus, ſapientes, & populi huius Vrbis. Ego quotieſcúmque Chriſtianum vel nominatũ audiui, exhorrui, & in confeſſione permanẽtibus inſultaui. Ego etiã parentes meos, & affines, cauſa nominis Chriſtiani execratus ſum, & in tanta deriſione habui Chriſtianos, vt myſteria eorũ diligenti examinatione perquirerem. Et

ex eorum ſanctificatione ludum vobis exhibere vellem. At vbi aqua nudum me tetigit, & interrogatus credere me reſpondi, vidi ſuperiùs manum cœlitus venientem.] Addit ea ſe ſpecie mutatum illicò in virum alterum paratum millies occidi pro Chriſto: inque ea fide per aſperrima tormenta, ſtupente primùm ad tam ſubitum motum Diocletiano, móxque in rabiem verſo, mortem oppetiit.

23. Alterius mimi illuſtre exemplum profert his verbis Ioannes Moſchus.[a] Mimus quidam erat in Tharſo Ciliciæ, nomine Babylas: Erant autem illi duæ concubinæ. Nomen vni Cometa, nomen alteri Nicoſa. Viuebat autem luxuriosè, agens omnia, quæ illi dæmon ſuggeſſiſſet. Die verò quadam ingreſſus Eccleſiam, audiuit per diſpenſationem Dei, ſanctum Euangelium legi. Erat autem iſta lectio: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum:* Compunctúſque cœpit lachrymis horrere, ac ſe miſerum dicere pro his quæ peccauerat. Confeſtim igitur egreſſus extra Eccleſiam, vocauit duas amicas ſuas, dixítque

a *Cap. 32. prat ſpirit.*

xítque illis, Scitis quomodo vobiſcum luxurioſè vixerim, vtque nunquã alterã pluſquàm alterã dilexerim. Itaq; veſtra ſunt omnia quæcunque ego acquiſiui. Accipiet inſuper, & mea omnia & diuidite inter vos. Ego enim ex nunc abrenuntio ſæculo, & efficior monachus. Illę autem ex vno ore reſponderunt ei cum lachrymis: Ad luxuriam & animarum noſtrarum interitum, communicauimus tibi, nunc verò, quando hoc Deo placitum opus facere vis, dimittis nos, & id ſolus facis? Profectò non ita erit, ſed etiam in bono communicabimus tibi. Atque ita Mimus quidem incluſit ſe, in vna turrium ciuitatis. Illæ verò venditis omnibus ſuis, erogatíſque pauperibus, accipientes & ipſæ religioſum habitum, fecerunt ſibi propè turrem cellulam, & ſeipſas pariter incluſerunt.]

En Deum de ipſa improbitatis officina, ſubitò educentem quos elegit. Quo porrò in pretio apud Deum ſint hi ex ſcena cœlites, & quantum Ethnicos ipſos permouerint, Eccleſiæ autem profecerint, docent illa Theodoreti [a]. [Audio ego nõnullos è ſcenico genere hóminum

a *In f. octaui contra Græcos.*

minum repente immutatos, in athletarum noſtrorum ordinem tranſiſſe; factóſque tormentorum victores, & iam coronam martyrij conſequutos, poſt celebratam victoriam magno eos dæmonas concuſſiſſe terrore, quibus olim ſubditi ipſi fuerant. Ex quo factum eſt, vt ex iis multi ſacerdotes æditui que templorum, egregia ſibi contra impietatem trophæa ſuſtulerint.]

24. Illuſtre præterea eſt, & iſti ex parte affine, alterius Geneſij apud Arelatem pro Chriſto cæſi de infidelitate trophæum. Nam vt Eucherius de eo loquitur [a], [Adhuc à diuinis legibus peregrinus, adhuc alienus, omnia in ſe ſubitò mandata pietatis, fidei plenitudine conſummauit.] Addítque mox. [O quantum agit ille in pectoribus humanis diuinus ignis? Catechumenus æternam comperit vitam: Nondum prouectus ad Chriſti militiã, & iam dignus ad amicitiam! Nondum aſſumptus ad famulatum; & iam idoneus ad teſtimonium: Nondum intromiſſus Eccleſiæ iannuam, ſubitò ipſam penetrat cœli regiam: Nondum miles Dei, & iam

a *Hom. de S.Geneſio.*

cohæ

cohæres. Nondum domeſticus in domo Dei, & iam filius in regno Dei. Et ſanè hanc meruit gloriam inconcuſſa illa in tanto martyre animi virtus, & fidei magnitudo, occulto dico Chriſti amore nutrita, & ſubitis approbata documentis. Nam cùm ſecretus adhuc Dei famulus in exceptorum ordine militaret & ante tribunal pagani Cæſaris aſſiſteret, audiens eum in caput Chriſtianorum cruentas pronuntiare ſententias, piam dexteram ab excipiendo, tanquam à ſacrificando reuocauit, & imprimere ſacrilega verba contremuit, quia Chriſtum paginis cordis gerebat inſcriptum. Proiectis itaque codicibus ante oculos prophani iudicis, nefarias eius voces, & edicta impia atque decreta, tota iam martyris libertate condemnat. Tormenta in oculis erant, dolor eorum quos pœna lacerauerat, vſque ad metum carnificum, vſque ad tremorem torquentium perueniebat: & inter hæc ille, Chriſtianum ſe eſſe tota exultatione clamabat: tanquam Chriſtiani non ad ſupplicia, ſed ad præmia quærerētur. Quanta & quàm noua

ſpecta

ſpectacula Deo, atque Angelis ſuis, præbuit fides piorum? Ecce in ſacrilegi Tyranni miniſterio, militem ſuum Chriſtus inuenit. Solebat Eccleſia ad tribunalia perſecutorum martyres mittere, ecce nunc ſtupendo genere, Eccleſiæ martyrem, tribunal perſecutoris emiſit. Pronunciat itaque, Chriſtianus ſum, & omnis inſania perſecutoris verſo in illum furore conſurgit. Æſtuat dolore, & confuſione iudex cruentus, plus erubeſcit cultorem fidei de parte emerſiſſe perfidiæ.] Nimirum quia exceptor erat Geneſius, eiúſque erat edicta contra Chriſtianos lata, æquè ac cætera acta publica, accipere & cuſtodire. Notarium nunc nominamus: vt propterea (quod obiter iuuat monere,) hallucinatus ſit qui ad vernaculum martyrologium, exceptorem vertit, fiſci & Imperialium pecuniarum curatorem. Munus enim S. Geneſij fuiſſe quod dixi, liquet ex Romano martyrologio [a], & ex verbis Eucherij prolatis, ac ex eius martyrio per S. Patientem conſcripto: Poníque exceptores in ſcriniorum officiis, ex multis iuribus prodidit Briſſo [b]: ſed

a 25. *Auguſti.*

b *V* ex exceptore *ff. de verb. ſigni.*

ſed ad inſtitutum regrediamur.

25. Profligatiſſimi choraulæ Philemonis, celerem ad Deum conuerſionem exhibet Metaphraſtes 14. Decembris, deſcribens acta SS. Thyrſi & ſociorum. Sed quòd ſubitatio illa conuerſionis quæ apud Metaphraſtem legitur, omittatur apud Ruſticum [a], quin potiùs Philemon, S. Apollonij patientia & piis monitis ſenſim mollitus prodatur, celeritatem illam conuerſionis Philemonis, ſola Metaphraſtis autoritate interdum vacillante ſubnixã; apud eum, vel apud Surium [b] qui Metaphraſtem exſcripſit, legendam dimitto.

a Lib. 2. vita PP. cap. 19.

b tom. 6. ad 14. Decemb.

Quem lateat feſtinus & potentiſſimus gratiæ partus, in eo carcerario curatore, qui Sebaſte ſub Licinio, Chriſtianitatẽ ſubitò profeſſus, ingeſſit ſe ipſe vltrò, in locum deficientis à fide vnius è quadraginta martyribus? Hic verò cuiuſmodi fuerit gratiæ effectus, accipe ex Nyſſeno [c] poſt deſcriptum apoſtatæ caſum, & ſatanæ in eum vafritiẽ. [Verùm noſtræ infirmitatis adiutor, bonorúmque & ſermonum & actionum plantator, reperit ſibi ad Abrahami exemplũ,

c Orat. 3. in SS. 40. martyres,

ouiculam ad ſacrificium domeſticum; ex blaſphemantibus confitentem, & ex eorum ordine qui perſequutionem inferebant, Martyrem. Quidam enim ex tyrannidis miniſtris, viſione Angelorum ad Martyres venientium dignatus, & circumfuſus ſacrorum ſpirituũ apparitione, vt olim Paulus majeſtate Chriſti, quando Damaſcum proficiſcebatur, ſtatim mentem mutauit, & veſtimentis ſeipſum exuens, frigore concretis ſeſe admiſcuit; & exiguo temporis momento, omnia factus eſt; Proſelytus, Confeſſor, Martyr, abluens ſe proprio ſanguine, quod eſt regenerationis lauacrum; proprio, inquam ſanguine, mortuo non fluido. Vir coronam promeritus, vir omni honore dignus: per illum habet Eccleſia Dei hos 40. Per hunc generoſum, non eſt mutila Martyrũ caterua. Propter hunc Proſelytum, perfectam agimus perfecto numero panegyrim. Et diabolo res lepida & riſu digna accidit, dum enim militem ſuffuratus eſt, amiſit perſequutorem & carnificem.] Hoc planè fuit [è mediis dentibus & faucibus ſatanæ, eripi vncino conuerſionis,

nis, fuſcinula confeſſionis, & tridente ſupernæ miſerationis,] vt de huiuſmodi ſubitis tardè reſipiſcentium conuerſionibus loquitur [a] Petrus Cellenſis.

a L. de panib. cap 4.

2.6. Eiuſdem muneris carcerariorum, complures, S. Victricium Epiſcopum Rothomagenſem ſubitò ſolutum conſpicati, ad hunc modum ſunt affecti, vt ſcribit S. Paulinus [b].] Qui feralis cuſtodiæ miniſterium triſte curabant, quas ipſi arctiùs innodatas, & ad oſſa depreſſas, vel exiguo rogantibus vobis beneficio relaxare noluerant catenas, conuerſa in conſpectu ipſorum prece veſtra ad Deum Chriſtum, ſponte de manibus abſolutis fluere viderunt, Nec auſi renectere quod Deus ſoluerat, ad comitem pauidi cucurrerunt, Veritatem Dei pro Confeſſoribus confitentes. Quod auditum religioſè & creditum, Comes Principi ſuo cum teſtimonio militum retulit. Et, vt ipſius quoque repentina ad Clementiam de furore conuerſio, inter mirabilia Dei numeraretur, factus eſt in te prædicator Chriſti, in quo eſſe deuouerat perſecutor. Puto & ipſum tanquam Saulem, aliquando Spi-

b ..ad ipſũ Victricium epiſtola.

ritu ſancto Dominus impleuerat, quia & te ſicut Dauid ſuum diligebat: vt ſicut ille Rex quondam, cum ad Prophetas perſequendos proficiſcitur, Propheta effectus eſt: Ita & Comes ille reſperſus gratia Domini, quæ de fidei ſuæ abundantia redundabat, qui ad puniendum Cõfeſſorem venerat, & ipſe Confeſſor abſcederet. Credidit enim; & quos ſæuiens prædamnarat vt reos, laudans emiſit vt Sanctos: & teſtimonium perhibuit veritati, qui teſtes fidei punire cupiebat.]

27. Meretrix famoſiſſima, ſubitò diuinitùs tacta & mutata, verbis his memoratur à D. Chryſoſtomo [a]. [Meretrix noſtra memoria ex Phœnice omnium ciuitatum iniquiſſima, fuit. Hæc enim pueris nobis apud nos erat, & cùm prima in theatro eſſet, nomen eius vbique ferebatur: non in vrbe noſtra ſolummodò ſed à Cilicia vſque, & ad Cappadocas. Hæc multorum patrimonia exhauſit, hæc multos parentum orbos tenebat, hæc maleficis quoq; vti artibus dicebatur, quaſi non eleganti corporis forma ſolùm, verùm etiam magicis cantibus,

a *Hom. 68. in Matth.*

tibus, & herbis retia tendens: hæc Reginæ quoque fratrem attraxit, tanta cupidinis tyrannide pollebat. Sed ſubitò neſcio quare, imò verò certiſſimè ſcio: voluntate namque commutata, & Dei gratia hoc modo impetrata, omnia illa ſpreuit, & calcauit. Ita diaboli officina proiecta, facilè ad cœlum aſcendit, & quamuis nihil erat ea petulantius, dum in ſcena verſaretur, poſtea tamen continentiæ magnitudine, multas antecelluit: Cilicium enim induta, per totam reliquam vitam hoc ſe pacto exercebat. Huius gratià, & præfectus à ſcenicis perturbatus, armatos milites miſit, qui non potuerunt eã rapere, nec à numero Virginum, quæ ipſam receperant abducere: hæc cùm ineffabili ſacramento communicaſſet, & vndique ſuſcepta gratia vixiſſet, vniuerſis per gratiam maculis deterſis, naturæ demum conceſſit. Mirabilem enim Philoſophiam poſt baptiſmum oſtendit, nec vnquam amantibus antea, eámque ſequentibus, ac diligenter quærentibus viſa eſt, ſed poſteaquam ſemel ſeipſam incluſit, multos annos quaſi vincta in

carceribus peregit.]

Andreæ cuiuſdam Pariſienſis, ex Hẽrici Franci familia, hominis perditi ſubitam ad S. Bernardi preces immutationẽ ſic deſcribit Gaufridus Monachus [a].

a L. 2. de vita Bernardi c. 5.

[Andreas quidã Pariſienſis Henricum ebrium, Henricum Vociferabatur inſanum; nec conuiciis, nec blaſphemiis parcens. E contra ſanè idem Henricus pro illius potiſſimum conuerſione Dei hominem dare operam precabatur. Cui vir ſanctus audientibus multis, dimitte ait, hominem: modò anima eius in amaritudine eſt, nec pro eo multum ſollicitus ſis, quia tuus eſt ille. Cúmque amplius ſpe concepta Hẽricus inſtaret, vt loqueretur Andreæ, ſeueriùs eum intuitus vir Dei, Quid hoc eſt ait? Nunquid non iam dixi tibi, tuus eſt ille? Audiens hæc Andreas (adſtabat enim & ipſe;) ſicut plurimùm improbus erat, & à ſacra cõuerſatione vehemẽter abhorrens, talia ſecum vt hodiéque fatetur tacita cogitatione voluebat: In hoc nunc ſcio falſum te eſſe Prophetam: hoc enim certus ſum, quia locutus es verbum, & non fiet. hoc tibi ego coram

Rege

Rege, & Principibus in celebri quocũque conuentu improperare non parcam, vt tua omnibus falſitas innoteſcat. Cæterùm quàm mirabilis Deus in conſiliis ſuper filios hominum, ridens eorum vana conamina vt propoſitum ſuum, quando & quomodo ipſe voluerit impleretur: ſiquidem die altera ibat Andreas mala omnia precans monaſterio, vbi Dominum dimittebat, ipſam quoque deſiderãs vallem funditus ſubrui cum habitatoribus ſuis. Nec parum moti ſunt & mirati qui prædictum viri ſancti de ipſo audierant verbum cum taliter videretur abire. Sed non diu puſillanimitatem eorum, & fidem modicam tentari paſſus eſt Deus. Illa tantùm die procedens; & repellens quodammodo gratiam Dei, diem expectare non potuit, ſed exurgens ante diluculum velocitérque rediens ad monaſterium, alterum nobis Saulum, vel magis de Saulo altero, Paulum alterum exhibebat.]

28. Recentioris memoriæ exempla ſubitarum conuerſionum; infinita propè liceret proferre ni vererer ne parergon excederet ἔργον. Itaque vnum dun-

taxat aut alterum proferam illudque in primis quod è S. Birgittæ, reuelationibus [a] depromptum & à Bloſio in ſuum monile [b] inſertum eſt. Narrat S. Vidua, quendam ſuo tempore iuxta nomen magnorum qui ſunt in terra, vitiis æquè ac diuitiis magnum, iam ſexagenarium, nunquam facta exomologeſi, nunquam ſumpta Euchariſtia morbo lethali correptum, breui ſepeliendum in inferno fuiſſe. Hunc S. Birgitta, per eum ſacerdotem cui conſcientiam aperiebat, curauit de imminente æternæ ſalutis diſcrimine, commonefieri. Mentitus primùm eſt æger, ſe egere peccatorum expiatione ſacramentali, quam ſæpiùs iam frequentaſſet. Eodem mendaci reſponſo, piam pro ſe ſollicitudinem, miſer eluſit, iterum ac tertiò. Cùm ſancta vidua calamitatem hominis miſerata, denunciari ei apertè iubet ex præſcripto Chriſti in hunc modum. [Tu habes in te ſeptem dæmonia. Vnus ſedet in corde, ligans illud ne peccatis compungaris. Secundus ſedet in oculis, ne videas vtiliora animæ tuæ. Tertiùs ſedet in ore tuo, ne loquaris ea quæ ſunt ad honorem

a *L.6. reuel. ca 97.*
b *Cap.1.*

norem Dei. Quartus ſedet in inferioribus tuis, ideò dilexiſti omnẽ impuritatem. Quintus eſt in manibus tuis, & in pedibus, ideò homines ſpoliare, & interficere non verebaris. Sextus eſt in interioribus tuis, & ideò gulæ deditus es, & ebrietati. Septimus eſt in anima tua vbi Deus ſedere deberet, & modò ibi ſedet diabolus, inimicus eius. Ideò pœnitere citiùs, quia adhuc Deus propitiabitur tibi.] Mollitum ad hanc denunciationem, cor ſaxeum, & in lachrymas ſolutum, ſciſcitatur aliqua ne tam perdito homini ſpes ſalutis ſit reliqua. Iurauit ſacerdos internuncius, vel ſi infinities plura & immaniora admiſiſſet, ſe ei remiſſionem certam ſpondere, Dei nomine: tantùm quæ conferri per ipſum oportebat, deſiderari non pateretur. Hoc promiſſo animatus æger, reſponſum dedit in hæc verba, quæ ſingultibus intercidebat, & largo fletu diluebat. [Ego deſperabã de ſalutę animæ meæ, quia homagium feci diabolo, qui mihi multoties locutus eſt. Ideò iam ſexagenarius nunquam feci confeſſionem, nec ſũpſi Corpus Chriſti, ſed finxi mihi ne-

gotia, quando alij communicabant; Iam verè Confiteor tibi pater, quòd tales lachrymas, quales nunc habeo, nunquam recordor me habuiſſe.] Sic effatus, conſcientiæ maculas apud ſacerdotem illum eo die quater expiauit, & confeſſione perendie repetita, ſacro Chriſti corporis ferculo paſtus intra ſextum diem, placidus, & ſalutis per Dei miſericordiam ſecurus, animam egit.

19. Mulier de earum numero quæ Satanæ hamo velut eſcæ captandis animabus apponuntur, facie liberaliſſima, & aſcititio decore non deſtituta, eloquio ad gratiam & duriora chalybe pectora mollienda idoneo, corporis ornatu ſingulari, diceres nihil in ea naturam de ſuis dotibus, nihil artem ex pigmentis, nihil nequitiam ad illaqueandas miſerorum animas deſiderari paſſam. Corpore autem erat nundinatitio, nec pauci proci dum alter alterũ æmulatur, mutuis gladiis ceciderant. Hanc S. Vincentius [a] teſtatur ad Chriſtianum Oratorem audiendum de more iſtiuſmodi luparum acceſſiſſe, vt mundum oſtenta

a *Serm. in fer. 6. poſt Domin. 1. quadrag.*

oſtentaret, viderétque, ac videretur. Poſt breues preculas quæ labia non tranſcenderent, cùm conſediſſet; & dicentem magno animi ardore ac impetu aduerſus luxuriam audiuiſſet, ingens eam ſceleris ſui dolor corripuit, qui vſque eò increuit, vt fugiente anima, corpus exanime ad terram abiiceretur. Miſerantibus omnibus vicem fœminæ; præſertim quod inexpiata Sacramento pœnitentiæ exceſſiſſet, poſt adeò fœdam vitæ rationem, vox de cœlo inſonuit quæ ſubitam mulieris contritionem & plenam peccatorum abſterſionem ei adiunctam, aditámque eo nomine beatitatem teſtaretur. Alia eiuſmodi ſubitarũ cõuerſionum exempla bene multa, ſuppeditabit Cæſarius [a].

Inter tot tamen ſpecimina diuinæ artis, potentiſſimóſque diuinæ gratiæ ſubitò operantis effectus, nullum reperio ſpecioſius exemplo S. Latronis. Itaque claudere libet cum Arnoldo Carnotenſi, ſeriem cõcludente [b] exemplorum quorundam ex ſcripturis, in hanc celerem diuinæ manus ad peccatores

a *L. 1. exẽplo.*

b *Tract. de 7. Christi verbo.*

tores mutandos exſertionem patefaciendam. [Inter cætera pietatis exempla, latro noſter nobis ocurrit pœnitentiæ regula, confeſſionis forma, indulgentiæ præco, ſpei exemplùm, qui dum ingemit, ſubitò quod quærit inuenit, quod petit accipit, & illicò audit, hodie mecum eris in paradiſo.] Planè ſiue peccatoris ad cor redeuntis perſonam, ſiue Chriſti in quem credidit ſtatum, ſiue reliqua negotij adiuncta ſpectauero, nullum cenſuerim fuiſſe vnquam illuſtrius ſpecimen virium gratiæ in tam expedita conuerſione cauſanda.

30. Id porrò longè exactiùs diſpiciemus, ſi breuiſſimum tempus quo latronis conuerſio perfecta fuit, expenderimus. Hoc autem diiudicandum eſt, ex hora qua cruci ſuffixum eſſe Chriſtum produnt Euangeliſtæ; nimirum hora tertia exeunte, & ineunte ſexta. Sic enim concilianda ſunt pugnantia in ſpeciem de ea hora Euangeliſtarum loca, vt rurſus infrà attingam. Quia verò ab hora ſexta tenebræ terris offuſæ ſunt, & ante eas tenebras Chriſtus

ſtus Latroni iam conuerſo Paradiſum ſpopondit, vt ex Matthæi narratione apertè diſcimus, fatendum conſequenter eſt, Latronis conuerſionē vt diſertè ait S. Epiph. [a] perfectam fuiſſe hora ſexta, id eſt intra breue illud tempus quod tertia exeunte, & ineunte ſexta continetur: atque adeò intra dimidiam horam. Nam ternarius horarum vſualium comprehenſus nomine horæ tertiæ, moraliter hanc rem æſtimando, tum demum exire cenſetur, cùm vel ſupereſt ex eo ſola circiter dimidia, vel ex alio ternario qui nomine ſextæ horæ ſignatur, non plus decerpitur & reſiduo tertiæ horæ coniungitur, quàm quod neceſſarium eſt, vt ex vtroque hora dimidia conſletur. Quod ſi placeat quàm liberaliſſimè tempus de quo agimus diffundere, ad ſummum licebit dicere, Chriſtum hora tertia exeunte crucifixum, id eſt dimidia hora ante conſummatum phyſicè ternarium horarum vſualium pertinentium ad tertiam horam orationis: tenebras autem cœpiſſe hora ſexta, id eſt poſt horam dimidiam à ternario horarum vſualium, nomine

a *L. de numeris* §. 4.

nomine horæ ſextæ deſignatarum. Qua ratione à puncto acti in crucem Chriſti, ad tenebras vſque quas latronis cõuerſio præceſſit, prætérlabitur hora vſualis. Ante eam horam finitam, & inchoatas tenebras reſipuiſſe latronem, monſtratum eſt. Itaque accidenda eſt verſus eã partem hora vſualis, negandúmque eam totam impenſam eſſe à latrone in negotio conuerſionis agitando. Rurſus versùs alterum extremũ, decerpendum eſt ex ea hora, tempus crucifixionis vtriúſque latronis. Non enim eodem planè tempore quo Chriſtus, ſed ipſo iam confixo, acti ſunt in crucem vt ſuprà monſtratum eſt, & apertè tradit S. Matthæus. Nimirum Iudæorum principum rabie plebis inconſtantiam verita, ſæuiendi in Chriſtum moras omnes præcidente, ne caſus aliquis factam tandem, diutiſſimè quæſitam poteſtatem interuerteret. Item decerpendum eſt ex ea hora, tempus quo ſanctus latro iam confixus, ſannas in Chriſtum & blaſphemias effudit. Quas omnes temporis partes ſi ex ea hora vſuali detraxerimus, quantum ſupererit tempus, in-

tra quod latronem Spiritum ſalutis à facie Domini concepiſſe, & fœlici parturitione enixum eſſe concedamus?

31. Itaque Dominum quidem ſe prodit Deus, quod Dauid pſal. 67. conteſtatur educendo in fortitudine plurimos compeditos exaſperantes, in ſepulchris habitantes: hoc eſt, interprete D. Auguſtino, [a] vinctos peccatorum funibus, & præpeditos ne viam decurrant, Deum exaſperantes omni peruerſitatis ac nequitiæ genere, veréque mortuos Deo, & vt cadauera fœtentia coram illo. Prodit ſe inquam, in multis huiuſmodi, diuina beneficentia & poteſtas, iuxta illud quod laudatus proximè Arnoldus eodem loco prodidit. [Quicquid agit in huiuſmodi, celeri nutu ſpiritus S. conſummat, nec emendicat aliũde ſuffragia; qui quod illuminat format, qui ſtatim piſcatores facit Doctores, & idiotas prædicatores. In hac gratia non affligitur expectatio dilatione, nec interuallum eſt inter optatum & datum.] Tamen non vt ille aiebat, *inter cætera*, ſed planè ſuprà cætera, celeris ac promptæ pietatis diuinæ exempla eminet

[a] *In Pſal. 69.*

net latro, tam potenter, tam ſubitò, ex inſecutore blaſphemo mutatus in virum alterum, & diuinitùs de comedẽte eductus, cũ iam iã vorandus eſſet, & in pabulum ceſſurus Satanæ: vt propterea ſcitè S. Ephrem. [a] hunc dicat eſſe arietẽ ſemeſum, à magno Dauide ereptum de ore vrſi. [Pœnitentia (inquit) tantoperè humano prodeſt generi vt etiam beſtias captas tãdem ſaluet, quod in Dauide oſtenditur, qui arietem de ore vrſi eruit, vt diuina in eo demonſtretur bonitas. At quiſnam hic vrſus? Iniquitas. & quis aries? latro in cruce propter iniquitatem affixus: qui ex iniquo conuerſus eſt; quique ſtimulatus à conſcientia, confeſſus eſt impietatem: cognouit Regem gloriæ, & credidit ipſius diuinitati, qui cùm ſolùm verbum loqueretur; ſicut Dauid arietem, ita & Chriſtus ex mortis faucibus latronem exemit atque liberauit.]

a Tomo 3. tract. Lõgiore de pœnitentia ſub initiũ.

Et ita vt fieret, perforatam à Deo maxillam Leuiathan, docet S. Gregorius [b]. Sed & perforatum hinc maximè, & transfixum cor Satanæ, egregiè notauit in hunc modum Athanaſius [c]. [Certè penden

b 35. mor. cap. 4.

c Serm. in paſſio. & crucẽ Dom.

pendente in cruce Domino, monumēta aperiebantur, & qui ibi ſepulti iacebant, viuificabantur, & ſuſpenſus latro credebat, vt oſtenderetur reuera ſaluatorem eſſe, & dum moritur fidem ſui fœcundare. Ad iſta iam verè deinde obſtupuit diabolus, & magna in anxietate hæſitationéque detinebatur. Videbat enim ſe latronem in cruce amiſiſſe: eúmque cui olim perſuaſerat latrocinium, nunc fidem recepiſſe: & quem concitauerat blaſphemias dicere, illum ipſum videbat iam Dominum adorare, alterúmque latronem increpare; Illud de latrone illũ peſſimè habebat, quòd quem vt latronē occiderat, eum transferri ad paradiſum conſpiceret: Videns autem omnia ſua arma deiecta, nec vllum ſibi eſſe præſidium reliquum, quod non à Domino eſſet contuſum, ſecundùm illam ſcripturam. *Inimici defecerunt frameæ in totum, & ciuitates eorum detraxiſti.*]

32. Perpendendus inſupèr eſt latronis deterrimus ſtatus, qui in ipſo putei iam iam os ſuum aperientis ac vrgentis margine, in mortis quaſi veſtibulo rabiens furenſque in Chriſtum conuerti-

tur: quod tam præter ordinem factum, magno miraculo ducẽdum eſſe, confirmant illa S. Gregorij [a], cùm pluuias à Samuele, tempore æſtuoſiſſimo, præter Iudææ morem deuocatas exponit. [Dominus vocem dat, quia peccatorum corda excitat, vt prauitatis ſuæ nequitiam recognoſcant. Dat pluuias, quia excitata corda, per infuſionem ſupernæ gratiæ adiuuat, vt non ſolùm deſerat mala quiſque quæ fecit, ſed etiam bona fortiter agat, quæ appetit. Sed hoc in die meſſis tritici fieri dicitur, vt virtus miraculi deſignetur. Non eſt quidem minus miraculum immutatio cordis, quàm perturbatio aëris. Non minus miraculum eſt arentia corda reuiuiſcere, quàm æſtiuis ardoribus inuſitato more pluuias inundare. Maius quippe miraculum eſt intimo ſonitu inſenſibilem mentem concutere, quàm colliſis per ventum nubibus, tonitruum inſonare.] Eſt hæc ſemẽtis optimorum affectuum plurimorum apud Patres. [Vide Domini bonitatem & conuerſionem, (ait S. Macarius) [a] quo pacto poſſit mutare animas vitio adglutinatas, & feroces effectas,

a *L. 5. in 1. Reg.*

b *Hom. 44.*

fectas, atque momento horę in ſuam ipſius bonitatem & pacem traducere: omnia enim apud Deum ſunt poſſibilia, vt in latrone contigit, momento horæ per fidem conuerſus eſt, & in Paradiſum conſtitutus.] Venientem hora vndecima agricolam, non eſt aſpernatus bonus pater familias. Sic enim de latrone noſtro philoſophantur Gregorius,[a] atque Chryſoſtomus[b].

a Hom 29. in Euang.
b Tom. 6. orat. de parabo. vinea

33. Conſideratione porrò dignum eſt, quod idem S. Chryſoſtomus alibi[c], idcirco hora vndecima vocatum latronem exiſtimat, quod omne aliud tempus, intempeſtiuum vocationi futurum, prænoſſet Deus; qua eadem ratione, de omnibus omnino diuinitùs vocatis philoſophatur. [Omnes quidem (inquit) Deus ab initio conduxit, ſi verò non omnes eodem tempore paruerunt, à voluntate vocatorum hæc differentia reſultauit, idcirco alij manè, alij tertia, alij ſexta, alij nona, alij vndecima hora vocãtur, quia tunc obtemperaturi erant, quod & Paulus apertè ſignificauit dicens: Quando autem acceptauit Deus qui ſeparauit me à ventre matris

c Hom. 65. in Matth.

meæ: quando porrò Deus voluit? quando certè obtemperaturus erat. Nam ipſe à primis etiam incunabulis voluiſſet: ſed quia illum renixurum ſciebat, tunc voluit, cùm animum ipſius penetraturam vocationem non ignorabat. Sic & latronem cùm poſtea vocauit, potuiſſet ipſum antea vocaſſe, ſed vocatus ille, non paruiſſet.] Hactenus os aureũ.

Sed hæc ita condienda ſunt, vt neque negemus omnibus prouiſa à vitæ initio ſalutis remedia idonea & ſufficientia; quod admittere mox videtur Chryſoſtomus, ſubdens, omnes quantum ad Deum attinet, à prima ſtatim hora vocari atque conduci: Neque item arbitremur deeſſe Deo vias molliendi quãtumlibet durum pectus, quacumque hora libuerit, iis immiſſis ſanctis luminibus & afflatibus, quibus homo certò ſubigatur, dedatque ſeſe. Id enim æquè repugnaret infinitati illi aſtutiarum diuinæ ſapientiæ, & multiplicationi ingreſſuum eius, quam celebrat Sapiens;[a] & agnoſcit luculenter S. Auguſtinus,[b] diſertè concedens, in theſauris diuinæ omniſapientiæ atque potentiæ, latere, infini

a *Eccleſiaſtici 1.*
b *Lib 1. ad Simplici.*

infinitos modos quibus voluntatis obfirmatio quocunque tempore derigeſcere ac ſolui poſſit: & hanc ipſam eſſe plerunque peccati pœnam, quòd nō immittatur ros ille gratiæ, quo durities noſtra molliretur. Itaque quod per eas cœleſtes ſuppetias, quæ ex regulis diuinæ ſapientiæ ante obtigerant latroni, nō eſſet is tunc immutandus; per has autem quibus eius durities ceſſit, molliendus non eſſet ante hoc tempus quo congruæ fuerunt, negauit Chryſoſtomus, vocatum priùs fuiſſe latronem, (nempe hoc vocationis modo, quo nunc cū fructu pulſatus eſt,) quod antea non eſſet vocanti Deo obtemperaturus. Id quod etiam, proportione ſeruata, ad alios qui aſpirante Deo è ſcelerum cœno emergunt, transferendum eſt.

34. Hoc ſenſu expoſitum dictum Chryſoſtomi, nō diſcrepat ab eo quod alij graues DD. ex tanta latronis ad primam vocationem ſequacitate, colligunt, eum longè ante crediturum fuiſſe, ſi hæc ipſa vocatio anteceſſiſſet: nempe & eadem entitatiuè, ſaltem æquiualéter, & cum eadem contemperatione.

a *Serm.* 10. Gaufridus Vindoc. ſic habet [a]. [Mira res vbi fidem depoſuit Apoſtolus, latro recepit. Iſte ſi Chriſtum antea cognouiſſet vtique, & in illo fœlici Apoſtolorum conuentu nõ eſſet nouiſſimus, qui & in regno extitit primus, & nulli in fide ſecundus.] Expreſſiſſe videtur Eucherium cuius illa ſunt concinna æquè ac pia, de more; [b] [Latro nec ſalutis tempora ſciens diſtulit, nec remedia ſtatus ſui in momenta vltima infœlici fraude poſuit, nec redemptionis ſuæ ſpem in deſperationis nouiſſimũ reſeruauit; nec religionem ante, nec Chriſtum ſciuit. Quod ſi ſciſſet, fuiſſet forſitan inter Apoſtolos non poſtremus in numero, qui prior factus eſt in regno. Ergo etiam ex hoc in extremo placuit Deo, quia ad conſequendam fidem non fuit extrema hora illa, ſed prima.]

b *Conci. de Latro*

Optarim ſanè, interpretationem qua S. Chryſoſtomi dictum condiuimus, æquè deſeruire poſſe ad conciliandum ſaporem, pronunciato Iobij Monachi [c], amœniſſimi profectò & pereruditi ſcriptoris; quo aſſerit, Deum neminẽ vocare niſi piè viuentem, ipſumque latronẽ derelicto

c *Apud Photium C. 222. in breuiculo libri noni.*

derelicto altero aſſumptũ à Chriſto eſſe, quia ei mens erat melior, nec indelebilia peccati vulnera geſtabat, ſed in latronum genere, cæteris meliorum rerum ſtudio præſtabat. Verùm ego quidem non ſatis video, quomodo dictum hoc Iobij ita condiri poſſit conſentaneè ad eius ſcopum, vt Semipelagianiſmum non ſapiat. Fuiſſe verò latronem noſtrum, ad crucem vſque peſſimum, & malitiæ omnino exquiſitæ, nec ſceleribus ceſſiſſe latroni reprobo, S. Chryſoſtomus [a] pulchrè confirmat, ex iactis primò per vtúmque in Chriſtum ſannis, in ipſamet cruce.

[a] *Hom. 7. in ad Philipp.*

Enubilantur nonnulla in præmiſſis ſubobſcura. Oſtenditur S. latronem, & alios de quibus proximè, potentiſſimis Dei afflatibus quibus ad conuerſionem excitabantur, cum vera libertate adhæſiſſe.

Caput V.

1. Demonſtratum eſt, quanta celeritate Spiritus domini latronem

ſanctum corripuerit, & ad conuerſionem induxerit. Per quam etiam occaſionem oſtenſum eſt, quàm feſtina & non ſegnis in opere ſuo fuerit gratia Dei, in pleriſque inſignibus peccatoribus auocandis à ſcelere, & ad viam vitæ reuocandis. Poteſt tamen ea in re ſollicitũ reddere non oſcitantem lectorem, quòd ea tã ſubita támq; potens diuinæ gratiæ operatio, videatur cũ S. Latronis & cæterorum libera cõuerſione minùs cohærere: quaſi ad eorũ ordinem pertineat nõ qui ducuntur nec trahuntur, ſed [qui in profundiſſima Dei miſericordia, quodammodo ſepulta iam arbitrij ſui poteſtate, in diuitias gloriæ in ſpiritu ardoris rapiuntur,] vt loquitur D. Bernardus.[a] Sanè tametſi S. Latronis conuerſionem liberam cenſuit Caſſianus, quòd eam non ex gratiæ afflatu ac ſupernaturali vt ita dicam, impetu extitiſſe cenſuerit, Sanctorum tamen Pauli ac Matthæi, adeò ſubitam reuerſionem ad cor, quod ex gratiæ præuentione prodiiſſe fateretur, *coactitiam*, vt S. Proſper refert,[b] dixit; quæ vox, libertatis excluſionem præ ſe fert. Illa ipſa ex cauſa,

a *Serm. 2. de aſcenſ.*

b *l. contra Collat. ca. 35.*

cauſa, vniuerſaliter Palacius olim cenſuit S. Latronem, Paulum, Magdalenam, & huiuſmodi alios ſubitò iuſtos, citra vllam diſpoſitionẽ liberam, fuiſſe iuſtificatos, quod tamen poſtea retractauit [a]. An tamen meritò retractarit, ambiguum eſſe non iniuria poteſt. Nam non deeſt etiam nunc, qui illud placitum, valdè probabile arbitretur [b]. Et nuper quidam filius cuiuſdam adeò verum id cenſuit, vt contrarium ne veriſimile quidem iudicarit, & nemini pio venturum id in mentem, vt certum ponere non dubitarit. Eſt ergò id nonnihil ambiguum.

a *In 4 d. 17. diſp. 4.*

b *Euſtache 2. p mor. tract. 2. diſp. 1.* in fine.

2. Ambiguitatis cauſa duplex occurrit. Prima quòd humanus ac liber modus operandi, exigat deliberationem præuiã, qua homo libratis vtriúſque partis momentis & expenſis rationibus, quibus vt huius oppoſitíve obiecti optionem habeat, colluſtrandus eſt per intellectum, poſſit, non temerè ac cæco modo, ſed conſultò & maturè ſtatuere quid præeligat. At deliberationem ſubitus ille, ac feſtinus operandi modus intercludit. Quod in illis expe-

rimur, qui ſubito æſtu abrepti incenſiſſimi alicuius affectus, feruntur in opus, quod reſtincto eo calore plerúmque improbant, nec aliud excuſant quàm abductos ſe vi affectus vehementiſſimi: & in eo calore ſui impotentes, non ſatis perſpexiſſe quid ſuſciperent, nec aggreſſos, iniicere frænum ſibi ipſis, ſeque remorari valuiſſe. Si igitur præproperam illam & cuiuſuis moræ impatientem operandi concitationem in S. Latrone aliíſque recenſitis admittimus, videmur intellectum peccatoribus reſipiſcentibus obtenebrare, & cum luce, deliberationem cuius libera operatio fœtus eſt, vnáque libertatem eis adimere, quod quantum ſit incommodum, illud vt cætera taceam abundè demonſtrat, quòd ſublata operandi libertate præcluditur via merito: Nec tam homo ipſe iuxta diuinum poſtulatum ad Deum ſe conuertit, quàm velut inanime quoddam, eò agitur & abripitur, ablata reclamandi facultate; quam proinde ſancto Latroni, aliíſque ſubitò conuerſis negandam non eſſe, grauiter confirmat Ludouicus Molina [a]. Nec minor

[a] *1.p.q.14. art 13. diſp. 18. membro 4. ad.6.*

minor implexitas haberi videtur, ex altero quod ſupereſſe notabam ambiguitatis capite, nempe ex potentia diuinæ excitationis & motionis, ad conuerſionem ſollicitantis. Nam non parum de ea potentia & fortitudine, quantam Scripturæ & Patres prædicant, ipſique agnouimus, deceſſiſſe videbitur, ſi hominis poteſtati ſubſit, admittere vel excutere eam diuinam motionem; ita vt homo diuini motus quaſi arbiter ſtatuatur: nec habenæ voluntatis permittantur cœleſti moderatori, ſed ipſa voluntas diuinam gratiæ cœlitus immiſſæ aurigationem dedignata, dirigere curſum ſuum & moderari velit pro arbitratu, quod in gratiæ non leuem (vt videtur) contumeliam cederet.

3. Itaque non modica ex præmiſſis obſcuritas offunditur; quam enubilare operæ pretium eſt, breuiter attingẽdo, eam quam propoſuimus diuini afflatus in excitando & ſollicitando peccatore celeritatem ſaluis voluntatis liberæ iuribus exeri, iuxta Patres, & certam apud omnes Catholicos doctrinam, qua tanquam fixum & ratum ſtatuitur, peccatorem

torem à Deo tactum atque præmotum, liberè conuerti. Id enim vnum nunc perſequar, quod apud omnes ex Fidei ſcitis ratum eſt, aut eſſe debet. Alia verò nonnulla, de quibus ea in parte inter Catholicos ſalua fide controuertitur, prætermittenda hoc loco ſunt, quòd nec per inſtitutum præſens, nec per maiores liceat in eas ſalebras penitiùs deſcendere.

Deliberationem igitur S. Latroni, aliiſque inſignibus peccatoribus, in puncto conuerſionis ad Deum nequaquam defuiſſe, perſpicuè euincitur ex libertate conuerſionis, quam indeliberatio efficeret neceſſariam, & ab hominis arbitrio independentem, atque adeò meriti & laudis expertem. Significat, imò tradit hanc rationem S. Proſper, ſic ſcribens de peccatoris per diuinam gratiam reuerſione in viam. [Agit hoc occulta & potens Dei gratia, quæ dimotis terrenarum opinionum & operum mortuorum fauillis, torrem obruti cordis exagitat, & deſiderio veritatis inflammat, non vt hominem inuitum ſubigat, ſed vt ſubiectionis cupidum faciat:

faciat: non vt ignorantem trahat, ſed vt intelligentem ſequentémque præcedat.] En negat per gratiam offundi intellectui tenebras, atque adeò eripi deliberationis lucem, quod ſic officiendo luminibus, libertas quoque eſſet occludenda. Idque cùm ſit planè ratum ac fixum apud omnes, diſcutienda dumtaxat ſupereſt caligo, quam celeritate diuinæ operationis offundi, obiiciebatur priore loco. Duo autem ea in re dici poſſunt.

4. In primis, etiamſi in phyſico momento quod planè inſectile eſt & nullas moras infert, peragi conuerſionem affirmemus, non tamen idcircò præcluſam cenſeri debere deliberationem, quæ libertati eſt præmittenda. Ea ſiquidem deliberatio pro vt ad intellectum pertinet, eſtque voluntatis determinationi liberæ præuia, non in temporaria rationum vtriúſque partis diſcuſſione ſtatui debet, ſed in notitia indifferentiæ obiectiuæ, qua prædita eſt vtraque pars de qua ſtatuendum proponitur; ita vt ex neutra parte nec ſummum bonum appareat, quod voluntatem

tem neceſſariò abriperet, nec malum purum ac ſummum, quod voluntatem neceſſariò auerteret, ſi fingatur ei obuerſari: ſed proponatur per intellectum voluntati, bonum dilutum & mancum, quod & dignum ſit terminare voluntatis motum proſecutiuum, (quandoquidem verè bonum eſt) & tale etiam ſit, vt poſſit reſpui, cum vel malitię fæcibus admiſtum; vel ſaltem mancum ſit, & ineptum, infinitam voluntatis capacitatem exſatiare, & eatenus per voluntatem faſtidiri ac repudiari poſſit. Eam ergo conuerſionis ad Deum & receſſus à peccato notitiam, poſſet peccator etiã in phyſico momento nanciſci, in quo etiam poſteriùs duntaxat natura, voluntas diuino illo ſeminio fœcundata, pro ingenita ſibi ſuorum actuũ poteſtate ac dominio, poſſet actum ſuũ profundere, ſi diuina manus infirmitatẽ carnis fulciẽs, eam tarditatem remoueret quæ huius cochleæ (vt ſcitè dixit Philo) quã ſemper circumferimus, aggrauatione contrahitur: vt propterea in Angelis, & quibuſuis ex ſcientia infuſa, à phantaſiæ concomitantis operatione indepedenter

ter prælucente, erumpentibus in actũ, idem eſſe poſſit, abſque alio miraculo, deliberationis natura præuiæ, & operationis,momentum phyſicum. Sic enim Angeli in primo momento ſuæ productionisdiuinitus tacti, liberè ad Deum gratiæ auctorẽ aſſurrexerunt. Sic Chriſti Domini Anima, in primo diluculo ſuæ cum corpore conſertionis in materno vtero, quod mundi ingreſſum vocauit Apoſtolus, concepit illam voluntatem ſe in pretium ac litrum pro aſſerendis in libertatem mortalibus, iuxta Patris beneplacitum, exhibendi; *in qua voluntate ſanctificati ſumus*, vt Apoſtolus affirmat: ac proinde ea voluntas, meritoria,& quod meriti fundamentum eſt, libera fuit. Quod liberè operandi in primo momento priuilegium, Deipara ne Angelis inferior ſtatuatur, adepta eſſe cenſenda eſt, vt latè confirmãt Pelbartus, [a] Spinellus, [b] Suares.[c] Quæ mihi ad omne ab ea peccati nubilum vel momentaneum diſcutiendum efficaciſſima ratio videtur, aduerſus eos quibus non probatur initialis eius nitela: Nam perfectiſſima illa conuerſio, gratiã infallibiliter

a *In ſtellario.*
b *In throno Dei.*
c *Tom. 2. 3. p.*

liter conuehit. Non potuit porrò Deipara iuxta illos præſertim quos dixi Doctores, qui conceptam in peccatis Virginem volunt; non potuit inquam abſque actuali peccato, cuius prorſus expers fuit, eam ad Deum ſuum conuerſionem prætermittere, aut remorari, in tanta luce ſuæ ad id obligationis, & mandato Dei ab vnoquoque id expoſcentis, cùm primùm licèt; ſed hæc alibi. Hæc, diſpellendæ difficultatis propoſitæ, ratio prior.

5. Altera eſt, nihil eſſe quod euincat, peccatorem quemcumque, etiamſi primæ notæ, & ex iis in quibus Deus notas voluit eſſe diuitias gloriæ ſuæ, ciúſque potentiam; quales recenſuimus ſecundùm S. Latronem non paucos; nihil inquam eſſe quod euincat, eos in eodem phyſico momento, & Deum vocantem ſenſiſſe, & Deo vocāti aſſenſos eſſe. Quod enim ſubitò & quàm promptiſſimè aſſenſi dicantur, non eſt ita crudè accipiendum vt ne perbreuis quidem mora in deliberando, & excutiendis vtriúſque partis rationibus, ſit interpoſita: ſed negotiū præcluſis ordinariis pigro

pigrorum volentium & non volentium comperendinationibus tranſactum, ſubitò perfectum dicitur. Vnde ſi in momentanea conuerſione, vtriúſque partis indifferentia obiectiua voluntati per intellectum proponitur, vt ſarta ſit libertas; multo magis idem ſeruatur, cùm ſpatio aliqua temporaria interlabitur, tametſi modica, & præter ordinariam peccatorum ſegnitiem acciſa; Nec eæ tenebræ intellectum occupant, quibus offuſis cauſari liceat præreptam liberè operandi facultatem: quamuis verum ſit, in eo æſtu & præpropera mentis diuinitùs agitatæ concitatione, defixo & intentiſſimè connitente in Deum homine, tenuiter perſpici rationes à bono auocantes ad malum. Sicut enim è contrario cùm peccator abſtrahitur & illicitur ad eſcam peccati propoſitam, faſcinatio nugacitatis obſcurat bona, & inconſtantia concupiſcentiæ tranſuertit ſenſum ſine malitia; id eſt homo adeò tenuiter & perfunctoriè attēdit ad motiua à peccato reuocantia, vt affirmet Philoſophus, eum non ſecus ponderare optimas illas rationes, quàm perpendat

ebrius carmina Empedoclis; quæ vino concaleſcens effutit; nec immeritò ea maximè ex cauſa, omnis peccator ignorans dicatur, quamuis non vſquequaque ignoret quod operatur, & idcirco crimini detur ei ſic agere: Ita cùm quis à Spiritu ſancto ad bonum pellicitur, tam cõtento ſtudio ac impetu fertur in eam partem, vt quæ ad oppoſitum ſpectant, faciuntque pro malitia, nõ niſi in extima vt ſic dicam cruſta, & perfunctoriè, planéque per tranſennam attendantur: quæ eſt quædam eorum ignorantia, per defectum lucis plenioris, & penitioris cõſiderationis boni ſenſibilis, quæ tã multos in ruinã agit præcipites.

6. Huiuſmodi tenebras in S. Pauli conuerſione per Spiritum ſanctum inductas fuiſſe, egregiè dixit S. Ambroſius.[a] tractans illud Geneſ. 15. *Cùm ſol occumberet, ſopor irruit ſuper Abraham, & horror magnus ac tenebroſus inuaſit eũ* Quod ipſe ita legit. *Exceſſus cecidit ſuper eum, & ecce timor magnus & tenebroſus incubuit ſuper eum* Exceſſum illũ ait contingere[mente quoſdam humanæ prudentiæ veluti fines tranſcendente, quando repletur Deo

[a] *l. 2. de Abrah. c. 9.*

Deo & ante euacuat ſe cogitationibus & diſceptationibus ſeculi huius (quæ ſcilicet pro aduerſaria parte pugnant) vt aduenienti gratiæ ſpiritali (concomitanti vel ſanctificanti per plenam conuerſionem conciliatæ) puram ſe & exinanitam præbeat. Superuenit in eam Spiritus ſanctus, magna ſe vi infundens, ita vt mens hominis ſubitò turbetur. Denique Angelus venit ad Mariam, & cum ſedulitate, & gratia venit, & tamen Maria mota eſt in introitu eius. Vnde Angelus ait ad eam. *Ne timeas Maria, inueniſti enim gratiam apud Deum, & ecce concipies in vtero, & paries filium.* Cognoſcimus ergo, quia quando venit gratia Dei ſuper Propheticam mentem, ſubitò irruit: & inde incubuiſſe, & cecidiſſe ſuper Prophetas Spiritum ſanctum legimus, quia exceſſum patitur, & turbatur, & timet, & quibuſdam ignorantiæ & imprudentiæ tenebris offunditur; ſicut & in Actibus Apoſtolorum legimus, quia *circumfulſit lux ſuper Saulum de cælo, & horrore animi turbatus eſt, & audiuit vocem de cælo dicentem, Saule, Saule quid me perſequeris?* Deſinit

enim videre ſæcularia, qui incipit audire diuina. Vnde, & timorem Abrahæ & tenebras mirari non debes.] Hæc eſt ſancta excæcatio ſeruorum Dei, qua in iis in quibus malè oculati antea fuerant cæcutientes, ea tantùm contuentur quæ Dei ſunt: cætera ita diſpiciunt in tranſcurſu, vt deſpiciant, nec ſe ab eis vltra faſcinari patiantur. In pſalmum tamen 39. ad illud, *Deus meus volui*, idem S. Ambroſius, cœcatum & obtenebratum Paulum tradit, quia à Domino receſſerat; ideóque reueniens donatus eſt lucis vſura. Fœlix planè excœcatio qua veræ lucis vbertas aditur; caligo autem terrena deſeritur. Quæ tanta eſt fœlicitas, vt nō iam punitum diuinitus, ſed inſigni beneficio affectum dicere auſim Sinenſem illum, quem Societatis annuæ literæ anni 1607. referunt, cùm Chriſtianiſmum cogitaſſet, & datam Deo fidem fefelliſſet, ita fuiſſe circa terram & terrena omnia oculorum vſu priuatum, vt tamen interim circa cœlos cum eo dirigebantur, optimè obirent munus ſuum. Ita verò curatus eſt reſumpta ſana mente, vt mox iteratò fidem

dem violans, relaberetur in ſuam illam circa terrena cæcitatem. Id quod aliquoties accidit; donec plenè conuerſus, plenè ac ſtabiliter conualuit. Nec plura de primo illo obice libertatis, ſubitarum conuerſionum.

7. Iam verò potentia diuinæ excitationis & motionis peccatorem vrgentis ad conuerſionem, ea non eſt, quæ libertati frænos iniiciat, & voluntati dominium plenum in ſuam operationem eripiat. Non eſſet quidem Deo operoſum, voluntatem creatam, ad operandum, ac diuinæ excitationi obſequendum, quãtumuis, renitentē abripere, vel immiſſo qualitatis (vt ſic dicã,) degrauantis quaſi põdere; vel per applicationem infinitæ ſuæ potentiæ, ad cooperandum cum ea inconſulta. Id enim ſi Deo fixum eſſet, quæ fingi poſſet in voluntate humana, obduratio, & in peccati algore concretio vt non derigeſceret, planéque ſolueretur, afflante Deo? Quæve poteſtas, in humana voluntate, concipi vel ab otioſo poſſit, vt quod Deus exercituum decreuerit, infirmare queat, res tantula, & quæ præ Deo, ne ſit quidem? hoc igi-

tur modo, operoſũ Deo nõ foret extorquere ab humana volũtate operationẽ.

Non placet tamen Deo ita ſe gerere cum voluntate noſtra. [Quamobrem? (inquit Nazianzenus, [a]) id enim ſcire operæpretium eſt. Vt ne vi pertraheremur, ſed perſuaſione adduceremur.] Profert huius diuini cõſilij duas omnino cauſas. Priorem hiſce verbis. [Quod enim voluntarium non eſt, ne diuturnum quidem eſt, quemadmodum nec fluenta, nec ſtirpes quæ per vim retinentur. Quod autem voluntarium eſt, tum diuturnius eſt, tum certius.] Hæc prima ratio quàm concinnè de more his verbis expreſſit Philo [b] [Quicquid violentum, idem non diuturnum eſt quæ cognatio in rerum harum Græcis nominibus apparet, *βίαιον* & *βαιὸν*. Sic enim priſci vocabant rem momentaneam.] Exiſtimarim tamen, eam rationem minùs commodare præſenti inſtituto. Neque enim difficile eſſet Deo, quam violentiam primùm inieciſſet, perpetuam facere, ſi ipſi ita videretur. Et quamuis in his quæ à nobis per vim aliis iniectam fiunt, violentia diuturni-

tatem

a *Orat. 37. num. 58.*

b *L. quod [illegible] t [illegible] mutab.*

tatem ſoleat euertere, quia tandem faſtidimus violentam illam operationem; Tamen in Deo cui nulla fatigatio, nullum faſtidium poteſt obrepere, nullum eſt actus diuturnitati, à violentia alteri iniecta periculum. Itaque poſſet ſine dubio, noſtra ad operandum adactio diuinitùs facta, diuturna eſſe, aut etiam perennis. Commodior igitur eſt ratio poſterior excluſæ à nobis violentiæ ac etiam neceſſitatis in operando, quam his verbis continenter ſubiicit Theologus. [Atque alterum eius eſt, qui vim intulit, alterum noſtrum. Alterum Diuinæ benignitatis, alterum Tyrannicæ poteſtatis. Quocirca Deus minimè faciendum ſibi duxit vt inuitos beneficiis afficeret, ſed vt de volentibus benè mereretur.] Hæc optima planè, diuini illius conſilij quo libertatem noſtram ſemper vult ſaluã, ratio eſt. Adhibet eam præter Nazianzenum alibi [a], Nyſſenus omnino eximiè [b], & Hilarius Diaconus. Ipſe enim eſt à quo conſcriptum cenſeo opus quæſtionum veteris ac noui Teſtamenti perperàm Auguſtino adſcriptum, quo hæc ratio luculen-

a *Orat.* 1.
b *Orat* 5. *de beatitu.*

ter traditur. [a] Alios in eam rem Patres, alibi laudo. [b]

a In qq. veter. eſtã. q. 1.

b In Morali Diſt. 2. n. 242.

8. Verùm quia eorum diſputatio generaliſſima eſt, & æquè pertinet ad actiones ordinis merè naturalis, nec niſi philoſophicè bonas; iuuerit adiiſſe prætereà alios, qui ſigillatim de noſtra ad Deum ſupernaturali conuerſione ac iuſtificatione diſſerentes, (de qua etiam nos hîc agimus,) idcirco dicunt, Deum omnino abſtinere voluiſſe libertatis noſtræ violatione, & potenti quam inferre poterat neceſſitatione ad bonum ſalutis noſtræ, quod non aliter liceret celebritati noſtræ honorique conſulere, quàm ſi in noſtra quoque ad Deum conuerſione, permitteremur nobis; ita vt Deus quidem præiret inuitans nos, libertatem tamen noſtram ſemper vellet incolumem. Grauiſſimè hoc tradit S. Cyrillus [c] cauſam reddens, cur non debuerit Deus, [licèt hoc facile potuerit, quippe verè Deus, ineffabili virtute terrena corda tranſmutare, vt facere vellent, & ſapere ſibi placentia, religioſéque viuerent.] Præclarè quoque in eam ſententiam diſſerit

c Lib. 8 in Iulia. ad textum 3.

differit S. Baſilius exponens ᵃquomodo homo factus à Deo ad imaginem Dei, ipſo homine inconſulto, fiat tamen ad Dei ſimilitudinem in adeptione gratiæ ſitam, non iam inconſulta hominis voluntate libera, ſed adiutrice, ac proinde incolumi in eo opere. [Ab ipſa mox creatione (inquit) obtinui illud ad imaginem. Deſtinato autem ac libero animi propoſito, prouehor ad ſimilitudinem. Tua igitur aliqua ex parte eſt gratia. Quare meritò ingredieris coronatus. Totum enim tuus ſi tibi prærogaſſet opifex, qua tandem gratia tibi nihil commerito cœleſtis regni fores reſeratæ fuiſſent? Nunc verò quiddam contulit, quiddam reliquit perficiendum; vt id in teipſo cùm ad perfectiones promoueris, dignus pronuncieris, qui mercedem inſumptæ operæ, Deo repignerante, recipias.] Optimè quoque S. Proſper [b] ait iis, qui iam iudicio rationis vtuntur ideò liberum eſſe à Deo diſcedere, vt non diſceſſiſſe ſit præmium, & vt quod non poteſt niſi cooperante Spiritu Dei fieri, eorum meritis deputetur, quorũ id potuit voluntate nõ fieri.]

a *Hom. 10. hexaëm.*

b *Lib. 1. de vocat. gẽt. cap. 12. aliàs 4.*

Quamuis igitur & in quibuſuis nō-ſtris ad Deum conuerſionibus,& nominatim in ſubitaneis de quibus agimus, non eſſet Deo operoſum, ſubigere nōs ſibi, temerata noſtra libertate; Tamen quod eſt Deo reuera glorioſiſſimum, vt S. Chryſoſtomus egregiè aduertit, maluit de nolentibus,(cuiuſmodi S. Paulus & S. Latro erant,) volētes facere,& ante refragantibus,vt liberè conſentirent, perſuadere: non Theſſalica perſuaſione adigente, vt eſt apud Eunapiū,[b] ſed quæ libertatem demulceret.Poſſet ſanè diuina vis nos adigere, & euerſa libertate abducere quò vellet,vt iam monui, Sæpéque inculcandū eſt, vt depellatur inſulſa criminatio, qua libertatem creatā diuino dominio ſubducere dicimur: Poſſet inquā Deus domare, & vel renitentem compellere libertatem noſtrā. Sed prouidentiſſimūDei conſilium,quo ita ſubeſt ei, omnia cùm voluerit poſſe, vt tamen cum magna reuerentia diſponat nos, ita primas ſibi partes in noſtræ ſalutis negotio vendicat, vt non libera præuentione pulſatam, iuris noſtri eſſe ſinat, velitque libertatem noſtram ſal-

a *Hom.4. in ad Coloſſ initio.*

b *In Chryſanthio pa. 147.*

uam

uã manere, & exeri in negotio ſalutis. In quo [Ita inter ſe atque hominẽ, (verba ſunt Fulgentij [a]) Deus tẽpora officiáque diſtribuens ordinauit, vt vocatione ipſius, bonorum principia ſumeremus: vocati autem atque illuminati, vias mandatorum eius, boni ingenij intelligentia noſceremus, & eas vel libero eligeremus vel relinqueremus arbitrio.] cooperante quidem eadem gratia quæ intellectui non liberè affulſit, & voluntatem nihil minus quærentem perfudit. Sed ita tamen cooperante, vt non præoperetur; & concurrat, non præcurrat: nóſque ob præimmiſſam excitationem nobis non liberam, ita ſtatuat coadiutores ſuos, iuxta Apoſtolum [b], vt tamen nos quoque, ob conſenſum liberè adhibitum, quem recuſare in poteſtate noſtra eſt, Deum nobis quoad liberi conſenſus fabricationem, coadiutorem ſtatuamus & cooperarium, qui ſeminando cogitatum, eóque ſeminio intellectum ac voluntatem fœcundando, [ad hoc vtique libertatem præuenit,] vt S. Bernardus egregiè expoſuit [c], [vt iam ſibi deinceps cooperentur] ac comitentur,

a *Lib. de prædeſt. & grat. c. 9.*

b *1. Cor. 3.*

c *Sub finẽ libri de grat. & li. arbit.*

Deus

Deus & voluntas libera. Imò hæc, in eodem ſimultanei per vtrúmque concurſûs momento phyſico, priùs ratione operatur: Cauſa enim cur Deus, ſe applicet ad cooperandum voluntati, liberum conſenſum procuſuræ, eſt ipſa voluntas, quæ in illa diſpoſitione diuinitus perſpicitur, vt præmiſſa excitatione gratuita, ſi ſe ſola poſſet agere, Deo ſupernaturalem ſubminiſtrationẽ & cooperationem nõ interponente, ageret ſola. Quod ergo ipſa ex ſe volũtas creata nõ poteſt, præſtat Deus opitulator, aduocatus per obuersãtẽ diuino intellectui eius exigentiam, in procinctu illo, quo cõditionaliter, hoc eſt ſi adiutor idoneus aſſiſtat, (quando ipſa per ſe impotens eſt,) operabunda exhibetur. Eam enim conditionem ex parte Dei ſe tenentem, diuina prouidentia deſiderari non patitur, ſapientiſſimè nobíſque honorificentiſſimè prouidens, vt bonum, aliqua quoque ex parte ſit noſtrum, vt aiebat adductus ſuprà à nobis S. Gregorius Nazianzenus; [a] aliíque Patres diuinam in nos benignitatem ſuſpicientes ſæpè ingeminant.

[a] *Orat.* 1.

9. Atque

9. Atque ita & in ſubitaneis, & in quibuſuis aliis ad Deum conuerſionibus, nos ſumus, qui de cœlo prius tacti, poſtmodùm aſſentire geſtientes, Deum aſciſcimus cooperarium: aut vt locutionem æquiuocam clariùs exprimam, Deo cauſam obiicimus contuendam, qua ille perſpecta, concurrat nobiſcum, & cooperetur: non cooperaturus, niſi nos priùs ratione, agnoſceremur operabundi; vnde liberrimè; & noſtra voluntate diuinitus adiumentum ſuſcipiente, cooperamur. [Paulus (ait S. Chryſoſtomus)[a], non ſolùm gratia Dei, ſed etiam ſua voluntate, talis effectus eſt; & idcirco ex gratia, quia ex propria voluntate.] S. quidē Auguſtinus Apoſtoli cōuerſionem alicubi [b] attingens, agnoſcit Paulo quandam neceſſitatem, impactam eſſe cùm cœleſti voce proſtratus eſt; & vt lumen haberet, lumen perdidit: ſed eā neceſſitatem, *quandam* nominans, ſatis ſignificat, non eſſe neceſſitatem ſimpliciter: Et cùm eam cōferat cum neceſſitate, qua Fauſtum Paganum, tunc cōuerſum, agnoſcit adactum, liquere perſpicuè videtur, eam neceſſitatem quam

[a] *Hom. 5. aliàs 6. de laud. Pauli.*

[b] *Fragm. ſerm. de conuerſ. S. Pauli eſt 12. inter fragmenta ſermonum.*

S. Paulo iniectam dicit, libertatem non temerare. Eodémque modo accipiendum eſt, quod alibi [a] ait, S. Paulum, ad fidem veniſſe coactum.

a *Epiſt.* 50. 95.

Hæc ſuperficiaria expoſitione modò delibata obiter ſunt, (dimiſſis aliis quæ alibi iuſtam ac pleniſſimam diſcuſſionem habuerunt;) vt appareret, in S. Latronis, cæterorúmque enumeratorum conuerſione, nihil interueniſſe quod libertatem vulgo receptam, & agendi ac non agendi poteſtate conſtitutam, peſſundaret; de quo inter omnes Catholicos, vt præmiſi, nulla lis ad hanc diem fuit. Vt vt deinde, eam libertatem tueantur, & cum cæleſtibus ſuppetiis variè expoſitis, componant varij, de quo acris & lubrica rixa eſt, qua prudens abſtineo hoc loco.

10. Poſſet verò quis obtendere, progreſſum quem præmiſimus, in communibus quidem conuerſionibus ſeruari, & idcirco in illis incolumem eſſe peccatoris reſipiſcentis libertatem: In quibuſdam tamen illuſtribus & eximiis conuerſionibus, quæ velut ſpecimina diuinæ artis edita ſunt, cuiuſmodi eſſe

viden

videntur, S. Latronis, & S. Pauli, aliæque ſubitaneæ, aliter contigiſſe, Deo ſibi voluntatem creatam ineluctabiliter ſubiiciente, per vocationem ac præuentionem adeò validam, vt facultatis creatæ puſillitas, ei abiiciendæ, ideſt ab actu ſecundo impediendæ, par non ſit. Hac ſanè philoſophandi ratione, Scriptor, cuius opus dum iſta recognoſcimus, in lucem prodiit, inter alia pleraque verè noua, verè inaudita, verè paradoxa, quibus opus eius vndique fartum eſt, illud quoque tradidit, decretum Concilii Tridentini [a] definientis, *liberum arbitrium à Deo motum, poſſe diſſentire ſi velit:* nequaquam comprehendere illuſtriores Sanctos: & præclariora diuinæ gratiæ ſpecimina: ſed ait, eam tantùm motionem in illo decreto explicari, quæ ad communem fidelium ſortem pertinet. Et vt ſuam hanc voluntariam, & tot ſummorum religionis Antiſtitum edictis confoſſam, Concilium de ſuo capite limitandi licentiam cumularet; addidit, neminem pium id cogitaturum, poſſe Sanctos non vulgares obluctari gratiæ Dei; multo minus

a *ſeſſ. 6. can. 4.*

Con

Concilio Oecumenico in mentem venire potuiſſe, id vt ex fide tenendum ſanciret. Reuera tamen, venit in mentem Concilio, vt ita pronúnciaret: cúmque hanc ipſam quæ nunc tanto poſt obtenditur vniuerſalis doctrinæ eo canone quarto traditæ limitationẽ apponi poſceret, vnus quidam ex Théologis qui Concilio intererant, monens expedire videri, vt poſt illa canonis verba *neque poſſe diſſentire ſi velit*, adderentur duæ hæ voces *communi vocatione*, auditus à Concilio non eſt, vt habetur 2. p. actorum eiuſdem Concilij ſub Paulo tertio, anno 1546.[a] Quare neque à nobis temeraria illa vniuerſalium Concilij verborum limitatio, admitti poteſt: Sed in his quoque extraordinariis conuerſionibus, libertas vera voluntatis creatæ diuinitus pulſatæ, eſt agnoſcenda.

a *Fol.* 134.

11. Fixum igitur eſto, & citra concertationis ac diſputationis ſtrepitum, ratum habetor, modum agendi quem propoſui, diuinæ erga voluntatem creatam reuerentiæ in ſcripturis teſtatæ accommodatum, in quibuſuis conuerſionibus teneri, quippe quæ meritoriæ ſunt atque

atque laudabiles. Nō reportarēt autem laudem, nec præmij condignitatē cōparaſſe cenſerentur, qui luculētis hiſce rationibus cōuertuntur, ſi abſq; vulgari libertate, atq; adeò neceſſariò ad DEū venirent. [Quod enim neceſſitas præſtat, depreciat ipſa,] vt Tertullianus [a] rectè dixit: Et omniū Moralium Philoſophorū conſenſu, laudabilitas ac præmij condignitas, ſurculi ſunt moralis honeſtatis formalis, ad quam neceſſitatis excluſio, & vulgaris libertas, tanquam fundamētum præſupponitur. Planè itaque neceſſe eſt, hos quoque eximiè vocatos, atque conuerſionis veluti miraculo diuinitùs donatos, liberè, & quidē vulgari libertate quæ ſita eſt in agendi ac nō agendi poteſtate, eſſe conuerſos. Idque nominatim de S. Latrone egregiè tradidit S. Chryſoſtomus, qui cùm aliorum eximiè vocatorum, non ſemel; tum illuſtriſſimè gratuitam S. Latronis præuentionem, eique ſubiunctam conuerſionem liberam, prodidit [b], tractans illud Pſaltis, *Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo mundo me*, in quē locū ita ſcribit. [Quid ergo dignū feciſti, vt hoc

a *Lib. 1 ad vxor. c. 3.*

b *Hom 2. in Pſal. 50.*

tibi fiat? attende diligentiùs verba, & temetipſum appende miſericordię Dei. Inæſtimabilis eſt,ſine fine eſt,quæ comprehendi non poteſt, ſuperans omnem cogitationem. Sed quia talis eſt miſericordia Domini, tamen ne homines miſericordiam conſequuti remiſſiores fierent, quærit quiddam à nobis Deus. Miſeretur quidem, ſed non paſſim miſeretur. Prouocat nos, & dicit, da & tu aliquid: vt putà mille ſcelera perpetraſti,habes onera delictorum: volo alleuiare pondus tuum, da & tu manum tuam. Non quia ego tui egeo, ſed quia volo & te aliquid cõferre ad tuam vtilitatem. Quomodo ergo latro ſaluatus eſt,& tota ſoluit peccata? ſcito eum miſericordia prouocatum,ſed fide ſua tanquam adminiculo vſum, in eo quod dixit, *Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum* Quid contulit Deus ſaluti ipſius? Remiſſionem videlicet peccatorum. Quid verò intulit làtro? Iudicium ſalutis ſuæ,confeſſionis fidem.Qualem? Grandem, excelſam nimis, cœlum tangentem. Quomodo? Ego dicam: Iudæi viderunt mortuos ſuſcitatos, leproſos

munda

mundatos, dæmones fugatos, mare infrænatum, piſcem ſtaterem portantem, ſtellam rutilantem, Magos concurrentes, Herodem turbatum. Hæc omnia videntes, crucifixerunt Chriſtum. Latro verò nihil horum viderat, conſiderabat ſputis repletum, crucifixum, aceto potatum, & felle. Et cùm hæc omnia videret, non eſt ſcandalizatus, ſed Regem cœlorum confeſſus eſt. Vides quoniam non ſine cauſa miſericordiam conſecutus eſt, quia & ipſe fidem intulit ad ſalutem ſuam. Nec non & publicanus aliena iniuſtè auferens, quomodo ſaluatus eſt? tranſiens namque Chriſtus, dixit ad eum, *Veni*, *ſequere me*. Qui ſtatim exurgens, ſecutus eſt eum; & ſicut latro confeſſionem intulit, ſic publicanus obedientiam ſuam, & meruit in Apoſtolatus ordinem collocari.]

12. Agnoſcit in primis Chryſoſtomus, latronem à Deo prouocatum, nimirum per gratiam præuenientem; quæ etiam Matthæum apertè præuenit, cùm nihil minùs cogitans ac telonio aſſidens, & externa vocatione prætereũtis Chriſti, & per externam ad aures admiſſam,

interna ad ſub miniſtrationem ſpiritus pertinente, pulſatus eſt, excitatúſq; interiùs, vt Chriſtum ſequi, & Deo in poſterũ adhærere ſtatueret. Latro igitur, quem Matthæo æquiparat Chryſoſtomus, verbis allegatis & multo ante eadem homilia, vtrumque diuinitùs vocatum diſertè docens: latro inquam, præuentionem diuinam prouocantem ſenſit; vt autem per eam conſequeretur gratiam ſanctificantem & remiſſionem peccatorum, quam Deus præter prouocationem poſtremò contulit ad ſalutem latronis, adhibuit ille fidei ſuæ adminiculum, ſubintulit fidem ſuam in Chriſtum, perfecta eius dilectione cumulatam & viuam, ſicut S. Matthæus ſubiunxit vocationi gratuitæ obedientiam: Viciſſim verò Deus, iam vocato & obedienti, contulit dignitatem Apoſtolicam. Quod autem vterque de ſuo contulit, liberè contulit, & ita vt poſſet non conferre ſi luberet. Siquidem fides, per quam tanquam per radicem, S. Chryſoſtomus, ſancti latronis conuerſionem perfectam circumloquitur, liberrima. eſt: & quantumcumque

cumque homo de potentia ordinaria in ſcripturis prodita, & ad vſum reuocata excitetur, incolumi libertate excitatur. Nam cætera poteſt homo etiam nolens; at credere non niſi volens, iuxta Auguſtinum. [a] Obedientia verò (quæ quidem Deo accepta & meritoria eſt, qualis Matthæi fuit,) non eſt coacta, & eius qui detrectare iugum nequeat, ſed vt S. Petrus dixit, voluntaria, id eſt verè ac perfectè libera.

a *tract.16 in Ioan.*

Ex his igitur per Deum, ac nos ad ſalutem collatis, conficitur ſaluberrimum medicamẽtum quo morbus peccati depulſus eſt à Latrone, & Matthæo; & interna charitas per gratiæ ſanctificantis infuſionem conciliata. [Sicut enim (inquit continenter Chryſoſtomus,) cùm quidam graui ægritudine vexatur, & multimodis indiget medicaminibus, & attenuatus eſt ſumptibus, ſi introierit medicus, & dixerit ad eum qui ægrotat, Plures ſpecies ad confectionem medicaminis neceſſariæ ſunt: Reſpondeat verò ægrotus; Non habeo vnde tantas ſpecies emam, paupertate detineor; dicat ad eum medicus: Illam & illam da

mihi ſpeciem tantùm; Cætera de meo præſtabo: ſic & Deus dicit: Da mihi confeſſionem tuam,& lachrymas pœnitentiæ: cætera autem pro miſericordia mea,& humanitate tibi præſtabo. Ideóque rogat Dauid, vt multum ab iniquitate ſua leuetur. Quid ergo pro hoc munere intulit? dixit, *miſerere mei Deus, & vſquequaque laua me ab iniquitate mea, & à delicto meo mũda me* Quid obtulit? *Quoniam*, inquit, *iniquitatẽ meam ego cognoſco.* Viciſſitudo eſt. Deus dat vt ſaluificetur reus, dedit Dominus miſericordiã ſuã: dedit & qui peccauerat confeſſionẽ peccatorũ ſuorum. Parũ quidẽ, ſed quod habuit. Quid dabis ô Dauid, vt ſaluari poſſis, vt miſceatur medicamentũ? Quoniam (inquit) iniquitatem meam ego cognoſco.]

13. Exiſtimo locum propoſitum ſi ſyncerè expẽdatur, viſum iri efficaciſſimum ac potentiſſimum in rem noſtram. Sed quia S. Latronis, & S. Matthæi, & S. Pauli, par omnino ratio eſt in hoc negotio, eóſque reipſa Chryſoſtomus ibidem eodem tenore ac progreſſu præuentos, adiutos & ſanctificatos confirmat, ſubdo vnum aut alterum eiuſdem Chryſoſtomi

ſtomi locũ de libera cõuerſione S. Pauli quo res vniuerſa apertiſſimè expeditur. Nã tractãs illud, *Saulus adhuc ſpirans minarũ*,[a] Pauli conuerſionẽ omnibus Chriſti miraculis anteferẽns, ita ſcribit. [Quod maius, hoc cerni poſſit miraculum, quod in Paulo contigit? Nam viuentem quidem illum Petrus negauit, at mortuum Paulus cōfeſſus eſt. Porrò mentem Pauli pellexiſſe, atque expugnaſſe, maius ſignum fuit, quàm vmbrarum opera mortuos ſuſcitaſſe, nam illic quidẽ ſequebatur natura atq; imperanti non contradicebat: huic verò in poteſtate liberi arbitrij ſitum erat, vt perſuaderetur, vel non perſuaderetur; Vnde magna virtus eius qui perſuaſit oſtenditur. Multo quippe maius fuit volũtatem conuertiſſe, quàm naturam correxiſſe. Maius igitur cæteris omnibus ſignum fuit, Paulum poſt crucem, & ſepulturam ad Chriſtum acceſſiſſe.] Solis radiis ſcriptã diceres, veritatis cui patrocinamur confirmationem. Nec minus ſplendidè alio loco,[b] idem Chryſoſtomus, cauendum admonet, ne quis Pauli vocationem tot prodigiis illuſtrem, arbitretur inuexiſſe Paulo ne-

a Homil. 47. tomi 5. oracol.

a Homil. 4 de laud. Pauli.

ceſſitatem; ſiquidem potuit redire vnde diſceſſerat. Et rurſus infrà, præmiſſa gratuitæ in Paulo præuentionis excellentia, quam ſubſecutus eſt Pauli aſſenſus, idcirco antea non poſitus, quia nondum talis vocatio interuenerat, ſubdit. [Tu verò hæc audiens, noli vocationẽ iſtam, neceſſitatem putare: Non enim Deus cogit homines vocando, ſed poſt vocationem quoque, permittit eos propriarum eſſe dominos voluntatum.] Et paulò poſt, exemplum latronis vocationi ſimiliter obſecuti proponit. Alibi [a] S. Matthæum laudat, quòd non reſtiterit vocationi diuinæ, vtique cùm reſiſtere poſſet, quamuis vocatio eſſet potentiſſima. Coniunctim de Latrone & Paulo idem habet alio loco. [b] Hactenus ex Chryſoſtomo de eluctabili Latronis & Pauli, atque adeò quorumuis reſipiſcentium vocatione & liberrima conuerſione.

a *in cap. 9. Matth.*

b *hom. 55 in Matth.*

14. Non me latet, quam apud aliquos notam, in præuenientis gratiæ negotio, ſubeat Chryſoſtomus. Inſimulatur enim ſublatæ diuinæ præuentionis gratuitæ, quia ait nobis, liberè, priùs (ſaltem ratione) præeuntibus, Deum accedere cooperantem,

perantem, ídque à nobis depoſcere. Et eo nomine ſuſpectus aut etiam morboſus apud nonnullos habetur locus ex eo primùm allegatus, quaſi quia dicit, Deũ vt ſua Latroni ſubinferret, eius fidem præexegiſſe & velle noſtra non deſiderari, excluſerit gratiam præuenientem. Sed hæc aliorsùm detorqueri per grauiſſimam iniuriam, ac omnino contra Chryſoſtomi mentem, mihi certum eſt ex innumeris locis, quæ alibi ſignatim adduco quamplurima. Nunc vnicum profero ex homilia in illud *vocatus Apoſtolus*, [a] locus eſt longiuſculus, ſed cuius omnes apices, purum aurum & gemmę in hanc rem videri poſſint. Itaque non faſtidio deſcribendi laborem. [Quid (inquit) docere nos vult Paulus, cũ ſe ipſum vocatum apellat? Se nimirum priorem ad Dominum non acceſſiſſe, verùm vocatum obediuiſſe, non ipſum quæſiuiſſe, atque inueniſſe, ſed cùm aberraſſet inuentum eſſe: Non ipſum ad lucem reſpexiſſe primum, ſed lucem radios ſuos in eius palpebras vibraſſe, & exterioribus oculis orbato, interiores deinde eſſe reſeruatos. Cùm igitur docere nos

a *eſt 49. tomi 5. Græcol.*

vellet, ſe nullum ex ſuis rectè factis omnibus ſibiipſi tribuere, ſed Deo qui vocauit, ſeipſum vocatum appellat. Nam qui ſtadij mihi fores aperuit, (inquit,) & ſcammatis, ille coronárum etiam eſt auctor: qui præbuit initium & radicem plantauit, hic mihi fructuum, qui deinde germinarunt occaſiones ſuppeditauit. Quapropter alibi quoque cùm dixiſſet; *plus omnibus laboraui*, ſubiunxit, *Non ego autem, ſed gratia quæ mecum eſt.* Itaque nomen illud *vocatus*, aliud nihil indicat, niſi Paulum nihil ex ſuis rectè factis ſibi proprium arbitrari, ſed omnia Domino Deo tribuere. Quod vtique Chriſtus diſcipulos ſuos docebat dicens, *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos*: Atque Apoſtolus iſtud ipſum rurſus in eadem innuit Epiſtola, cùm ait; *Tunc cognoſcam ſicut & cognitus ſum.* Nunc enim, (inquit) non ego prior cognoui, ſed prior ſum cognitus. Dum enim perſequeretur, & popularetur Eccleſiam, Chriſtus eum vocauit dicens, *Saule, Saule quid me perſequeris?* propterea vocatum ſeipſum appellat.] Et poſt longam exſpatiationem in faſtum ac tumorem Corinthiorum, non ſatis

perſpectum habentium, fontem bonorum omnium noſtrorum, eſſe diuinam vocationem prçuenientem, ſubdit. [Volens eorum tumorem ac faſtum reprimere, ſtatim à principio, ſeipſum *vocatum* appellauit, hoc propemodum dicẽs: ſi ego Magiſter nihil mea induſtria adinueni, neque prior ipſe ad Deum acceſſi, ſed cùm vocatus eſſem, tum demum dicto audiens fui, quomodo vos diſcipuli, quique à me dogmata accepiſtis, ſuperbire poteſtis, perinde quaſi adinuenta hæc à vobis fuiſſent? Quocirca priùs etiam dicebat illis; *Quis enim te diſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Nihil igitur eſt, iſtud vocabulum *vocatus* niſi diſciplina humilitatis, & faſtus depreſſio, & omnis arrogantiæ repreſſio.].

15. Hæc vel cæco contuendam exhibeant, præuentionem gratuitam apud Chryſoſtomum; quæ etiam in locis quibus ad rem prçſentem vſus ſum, explicatiſſimè traditur: Vt non ſit vlla ratione in hac parte cedendum criminationi, vel dandus illi in tantum Patrem contume-

lioſo

lioſo ſubterfugio locus: ſed omnino fatendum ſit, de eius ſententia, & Paulum, & Latronem, & quemcumque reſipiſcentem, vocatione quidem diuina præueniri, & nihil tale cogitantem ſollicitari ad bonum; ſed poſt vocationem illam ac ſollicitationem, propriæ dominum eſſe voluntatis: hoc eſt poſſe de ſua volitione & conuerſione tanquam de re quæ plenè ſit ſub eius poteſtate ad nutum diſponere, eámque vel in rerum natura ponere ſi lubeat, vel non ponere: Id verò eſt conuerſionem etiamſi eximiam, (quod vnum nunc intendimus,) agnoſcere liberam, etiam vulgari libertate, quæ agendi & non agendi poteſtate conſtituitur.

Vnde ſubita illa in Latrone mutatio; ſiue quæ cauſæ, blaſphemum, propè momento, ad pendentis ſecum Meſſiæ confeſſionem ac conuerſionem adduxerint.

CAPVT VI.

1. ADMIRABILEM diuinæ gratiæ in prophanum pectus ſubingreſſionem, magnus

magnus ſacrorum Dei myſtes Iobus, humanis obtutibus imperuiam, planéque in inueſtigabilẽ deſcribit, his pręter cætera. [a] *Tonabit voce magnitudinis ſuæ, & non inueſtigabitur cùm audita fuerit vox eius. Tonabit Deus in voce ſua mirabiliter qui facit magna & inſcrutabilia.* Adhibeo huic loco opportuniſſimam S. Gregorij gloſſam. [b] [Quaſi de cœlo (inquit) ſonitus procedit,] cùm nos incuria, negligentiáque torpentes reſpectus gratiæ pauore ſubito percutit, atque in terra poſiti, ſonum de ſuperioribus audimus: quia terrena cogitantes, ſuperni terroris ſententiam pertimeſcimus, & mens benè iam de ſummis ſollicita trepidat, quæ priùs in infernis malè ſecura torpebat: ſed iſtius viſionis occultæ quibus modis ſe inſinuet terror, ignoratur, neq; ipſius mentis acie comprehenditur, cuius ad melius intentio commutatur. Vnde aptè ſubiungitur: *& non inueſtigabitur, cùm audita fuerit vox eius.* Vox Domini auditur, cùm gratiæ eius aſpiratio mente concipitur; cũ inſenſibilitas occultæ ſurditatis rumpitur, & cor ad ſtudium ſummi amoris excitatum, virtutis intimæ clamore penetratur.

a *cap.* 37.

b *lib* 27. *mor. c.* 16.

netratur. Sed iſtam vocem ſuperuenientis ſpiritus, quæ ſe in aurès cordis inſinuat, nec ipſa mens quæ per hanc illuſtrata fuerit, inueſtigat. Penſare enim, non valet, inuiſibilis virtus quibus ſibi motibus influat, quibus ad ſe modis veniat, quibus recedat. Vnde, & benè per Ioannem dicitur. *Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis, ſed neſcis vnde veniat, & quò vadat.* Vocem enim ſpiritus audire, eſt vim compunctionis intimæ, in amorem inuiſibilis conditoris aſſurgere. Sed nemo ſcit, vnde veniat; quia ignoratur per ora prædicantium, quibus ſe ad nos occaſionibus fundat. Et nemo ſcit quò vadat: quia cùm vnam prædicationem multi audiunt, intelligi proculdubio non poteſt, quem deſerens abiiciat, aut cuius ingrediens in corde requieſcat. Vna quippe res foris agitur, ſed non per hanc vno modo intuentium corda penetrantur; quia qui inuiſibiliter viſibilia modificat, in humanis cordibus cauſarum ſemina incomprehenſibiliter plantat. Hinc eſt, quòd reſuſcitato Lazaro multi crediderunt, ſed tamen Iudæorum plurimi ad perſecutionis zelum, ex

hac

hac ipſa reſuſcitatione commoti ſunt. Vnum ergo idémque miraculum, quod aliis lumen fidei præbuit, alios per inuidiæ tenebras à lumine mentis excæcauit. Hinc eſt quòd vterq; Latro, & eandem, & ſuæ morti ſimilem mortem Redemptoris vidit, ſed eum ſuperbiendo alter contumeliis laceſſere non timuit, quem timendo alter honorauit: atque in vna re, vna vtriuſque cogitatio non fuit, quia hanc internus arbiter inuiſibiliter modificando diſtinxit. Sed hi occultæ aſpirationis modi, quia comprehendi noſtra cogitatione nequeunt, nimirum diuinæ vocis veſtigia neſciuntur. Bene ergo dicitur: *Et non inueſtigabitur, cum audita fuerit vox eius.* Vnde & adhuc ſubiungitur. *Tonabit Deus voce ſua mirabiliter.*] Hęc de admirabilitate vocationum quibus peccatores ad cor reducũtur, S. Gregorius, ſignata nominatim Sancti Latronis vocatione, tanquam ſupermirabili.

Quę ergo illæ fuerint in S. Latrone occaſiones ſalutis, & diuinæ vocationis modificationes, quæ illæ viæ vitæ, qui motus ac modi occultę aſpirationis quibus diuina vis inflexit chalybeum & ęre

triplici

triplici munitum pectus, ſiue quodnam fuerit obiectum cuius propoſitione Latro ad concipiendam credendi & reſipiſcendi voluntatem impulſus eſt; quæ denique eæ omnes ſanctæ illius parturiginis cauſæ, operæ pretium videtur inueſtigare; vt perſpecto exortu ſanctæ illius voluntatis, quæ prima baſis fuit negotiationis gratiæ in cauſa Latronis, & vt Proſper loquitur [a] [omnium virtutum germen eſt primũ, & ſupremi agricolæ prima plantatio] faciliùs & expeditiùs ad perfectionem eius declarandam progrediamur: Cauſas porrò confitentis & ad Deum ſe conuertentis Latronis, non alias hoc loco ſcrutari oportet, quàm effectiuam & formalem extrinſecam, obiecto ſiue motiuo contentam. Formalem autem intrinſecam, quæ eſt ipſa confeſſio, atque conuerſio; finalem item, atque ſubiectiuam, cùm per ſe ſint perſpicuæ, nihílque huius negotij proprium contineant, ſciens dimitto.

a 1. *de vocat gent. c.* 7.

2. Effectiua itaque cauſa confeſſionis Chriſti, & reuerſionis ad cor, in peccatore, atque adeò etiam in latrone, Deus eſt, ſi agatur de cauſa phyſica primaria, cœleſtes

cœleſtes ſuppetias ad ſalutem neceſſarias; lumina inquam & guſtus ſuperioris ordinis, interiùs ſubminiſtrante. Nam gratiam (etiam actualem) & gloriã, dabit Dominus. Nec abs re progreſſus vniuerſus iuſtificationis à primo auxilio ad conſummationem vſque gloriæ adeptę, vocatur *creatio*, & homo ipſe iuſtus, dicitur *noua creatura*, quòd ſicut ſolius Dei eſt, in genere naturę creare & producere aliquid ex nihilo, ita ſolius Dei ſit, in genere & ordine gratiæ, cùm nihil præiacet ex parte hominis, eſtque verè morale nihilum, extrahere inde eſſe ſupra omnem naturam eminens, & ædificij ad cœlum vſque porrigendi fundamenta iacere, demiſſo angulari lapide Chriſto Ieſu. Quod in animo cuiuſuis ad iuſtitiam à peccato progredientis, quomodo fiat, egregiè expoſuit S. Gregorius [a]. Hanc ob cauſam vt obſeruat Proſper [b] gratia diuina in ſcripturis nominatur gloria Dei. Sic enim accipit illud Apoſtoli, *omnes peccauerunt, & egent gloria Dei*; & Deus ipſe, vt obſeruat Auguſtinus [c] gloria noſtra dicitur & exaltans caput noſtrum, quia nimirum

a 20. *mor. cap.* 10.

b *Cap.* 21. *libri contra Collat.*

c *L. de correp. & grat. c.* 12.

O *

ſumma Dei gloria eſt, quòd ſummam noſtram dependentiam à Deo autore gratiæ, & egeſtatem noſtram ſupernaturalem agnoſcamus, indéque in noſtrum nihilum reuoluti, diſcamus non altum ſapere, edocti ex quo ſit omne datum optimum & omne donum perfectum. Quem veræ humilitatis fontem optimè aperit S. Macarius. [a]. Qui item alibi inculcat [a] hunc eſſe ſpiritum vitæ, dirigentem Cherubin, hoc eſt ſanctas animas. [Aguntur (inquit) Cherubin, non quò progredi volunt; ſed quò ſeſſor & dirigens ducit, quóque libuerit, illi, eò progrediuntur, & illos baiulat, manus enim, (inquit,) erat ſub illis. Ducuntur animæ ſanctæ, & reguntur à Spiritu Chriſti, dirigente illas quò vult, & interdum pro voluntate ſua per cœleſtes cogitationes, interdum per corpus, vbi libuerit, illîc ei miniſtrant. Quemadmodum enim pedes volucrum ſunt alę, ſic cœleſte lumen Spiritus, accipit alâs cogitationum dignarum anima, dirigẽs ac ducens, prout ſpiritus ille nouit.].

a *Hom.* 22. *interrog.* 1.
b *Hom.* 3.

Rurſus alio loco. [Quemadmodum auis, ſi vnicam habuerit alam, ea ſola volare

volare nequit; Sic quoque humana natura, ſi nuda quoad ſe maneat, & non recipiat mixtionem, & communionem cœleſtis naturæ, nihil laude dignum efficit, ſed nuda manet, & culpanda, in ſua natura, & ſordibus multis.] Eſt igitur ex his euidentiſſimum, effectiuam cauſam primariam conuerſionis S. Latronis fuiſſe Deum.

3. Nec minus perſpicuum eſt, cauſam moralem cuius notari hoc loco vſus poteſt, hoc eſt meritoriam, ſi agatur de primaria, non aliam eſſe quàm Chriſtum Dominum. Ipſe enim eſt dilectus filius in quo Pater nos gratificauit, iuxta Apoſtolum [a]. Ipſe cui innituntur animæ quotquot de deſerto peccati aſcendunt. dealbatæ affluentéſque deliciis, iuxta eius loci lectionem & interpretationem traditam ab Auguſtino. Ipſe eſt libanus ſiue candidatio ex qua fluunt impetu aquæ rigantes omnia ſæcula, vt Richard. Victor. piè admodum diſſerit [b]. [Perinde (inquit S. Macarius) [c] vt non licet oculum abſque luce videre, aut loqui abſq; lingua, aut audire abſq; auribus, aut incedere abſq; pedibus, aut

a *Epheſ.* 1.

b *Cap* 30. *comment. in cant.*

c *Hom.* 5.

laborare ſiue operari abſq; manibus, ſic nec abſq; Ieſu ſaluari, aut regnũ cœlorũ ingredi potes. Hac ex cauſa, Chriſtũ in ſcripturis dictũ eſſe *viã*, frequens eſt Patrũ doctrina ad illud Iſaiæ, *dirigite viam Domini*, id eſt vt Septuaginta interpretati ſunt, & Leo Caſtrius ibi annotat, Chriſtum excipite, qui eſt ipſa via qua eſt vobis progrediendum ad Deum. Quod item Baſilius [a] & Bernardus [b] docuerunt. Optimè idem tradidit Iſaias alibi [c]; cohortatus gentem iuſtam & veritatis intelligentem, vt ingrediatur, *quod ſemita iuſti recta ſit, rectus callis iuſti ad ambulandum.* Quod de Chriſto, per quem ad Patrem imus, exponit S. Cyrillus [d]. Rurſúſque alibi idem Euangelicus propheta [e]. *Erit ibi ſemita, & via ſancta vocabitur, nõ trãſibit per eam pollutus, & hæc erit vobis directa via, ita vt ſtulti nõ errent per eã.* Chriſtus ibi, *ſemita* dicitur, quia eſt via anguſta. Nã ſemita propriè eſt arcta, via autem latior eſt; vt propterea Deus iram ſuam dilatans atque diffundens, dicatur viam feciſſe ſemitæ iræ ſuæ. Chriſtus ergo ſemita eſt, & via arcta, quia humilis. Satanas autem ob ſuperbiam & tumorem latam

a L. de Spir. Sancto ca. 8.
b Serm. 7. in Cœna Dom.
c Cap 26.
d L. 10. de adorat.
e Cap. 35.

latam viã exigit, vt Chryſoſtomus[a] philoſophatur. Eſtque adeò anguſta hæc ſemita, vt ægrè internoſcatur, iuxta illud in hanc ſententiám à Gregorio expoſitum, *ſemitam ignorauit auis*. Quò etiam S. Cyrillus[a] & Chryſoſtomus[b] trahunt illud Pſaltis, *in mari via tua, & ſemitæ tuæ in aquis multis*. Quid enim magis obſcurum quàm iter quod nauis mare ſulcans ſignat in fluctibus? & idcirco veſtigia tua non cognoſcentur, niſi pater luminum illa detegat, à quo id enixè petierunt antiqui Partes, verbis illis, *vt cognoſcamus in terra viã tuã* Hoc eſt interprete Auguſtino, imò ipſomet Dauide, ſalutare tuum, Chriſtum tuum, per quem omnis noſtra ſalus, quo tanquam medio ac via inter extremos terminos interiacenté, à nobis ad Deum pertingimus, itavt in præſenti rerum ordine quo Chriſtus conſtitutus eſt via noſtra, non plus liceat à peccati ſtatu ad Deum tendere abſque Chriſti meritis interuenien tibus, quàm progredi à termino à quo ad metam abſque via. Hac ratione Chriſtum dici inter nos & Patrem *mediare*, optimè attigit S. Gregorius[c] ad

a *In cap 7 Math ad verſ. 13.*

b *L. 9. de ador.*

c *In Pſal. 96.*

d *22 mor. cap. 18.*

illud Iobi *quis mihi tribuat adiutorem, vt deſiderium meum omnipotens audiat?* Quamquam illa quoque non eſt inopportuna notatio eiuſdem Chriſto tributæ appellationis quam [a] Guillel. Pariſ. ſubminiſtrat: quòd quemadmodum medium in Syllogiſmo nectit extrema, & à medio omnes concluſionis affectiones, veritas, certitudo, claritas, aliæque omnes eius dotes dimanant, ita etiam à Chriſto omnes ſupernaturales ſuppetiæ, à prima ad vltimam vſque, in nos deriuentur.

a *L. cur Deus homo cap. 7.*

4. Hæc generalis doctrina, valet etiã in S. Latrone. Nec diſſimulandum videtur, iuxta non improbabilem ſententiam de qua aliàs, meritum Chriſti habuiſſe in ſancto Latrone locum, ſingulari quadam & eximia ratione quoad modum meriti. Duplex enim Chriſti Domini meritum diſtinguo, quorum alterutro, veriſſimum ſit, omnem omninò gratiam de facto per Chriſtum eſſe conceſſam homini lapſo, etiam ſub priori Teſtamento, vt contra Auguſtinum de Roma malè id inficiatum, latè diſputat æqualis eius Ioannes [d] Turrecrẽ: & pulchrè probat Anſelmus agens de inuerſa

b *Summa de Eccleſ. l. 1. c. 13.*

per

per Lucam Chriſti Genealogia quam Matthæus conſcripſerat. Primum meritum eſt, quod ſe habet per modum cauſæ moraliter efficientis, quæ eſt germana meriti notio. Nam vt Diuus Thomas ratiocinatur [a], meritū eſt cauſa præmij, non per modum cauſæ finalis; (Sic enim potiùs præmium eſt cauſa meriti,) ſed per modum cauſæ moraliter efficientis, nimirum impellendo agens liberum vt velit operanti pręmium conferre. Secundum meritum eſt illud, cui præmium conceditur, non ad modum mercedis, ſed ad modum mercis credito coëmptæ. hoc eſt non ex nuda miſericordia & liberalitate præmiantis, ſed ex iuſtitia miſericordiam præſupponente, ac per modum mercis credito primùm conceſſæ, deinde autem iuſto pretio perſoluto retentæ; vel certè ad modum doni gratuito conceſſi, quod per fructus inde exortos compenſetur, vt optimè vidit Durandus [b], aut ád modum inſtrumenti gratuito commodati artifici, vt habeat vnde nomina priùs apud commodantem cōtracta diſſoluat. Et quamuis hoc ſecundum meritum nō

a *Hom. 1. in Matth.*

b *q. 29. de verit. art. 6.*

c *In 2. d. 5. q 3. n. 8.*

ſit adeò preſſè ac maximè propriè meritum, ſicut illud primum, habet tamen etiam rationem aliquàm meriti, nec dicit puram miſericordiam præmiantis, ſed importat quoque iuſtitiam: propterEáque in toto gratiæ negotio de potentia ordinaria conſiderato, indidem exulat vnde verum meritum, vt patet ex prima gratia actuali & habituali, quæ ſub neutrum prædictum peccatoris meritum cadit. Inter ea verò duo meriti genera, hoc eſt diſcrimen, quod cùm verum meritum importet quaſi conductionem operæ ex parte præmiantis & locationem ex parte operantis, ſecundum tamen meritum prædictum, non importat ex parte præmiantis niſi venditionem miſericordem, hoc eſt factam abſque præſenti pretio, quandoque tamen exhibendo. Ex parte autem operantis, importat ſolutionem, ſeu compenſationem debiti, vnde quia præmiũ non eſt illius meriti principium, non eſt dicendum meritum planè improprium, quamuis non adeò illuſtre ac illud primum.

51. Eo igitur ſecundo meriti modo, Chriſtus

Chriſtus Dominus iuxta propoſitam quorundam ſententiam, gratiam antiquis omnibus promeruit: quia quamuis Deus gratiam illis omnem contulerit ob præuiſas Chriſti actiones, (vbi importatur meritũ aliquod, quandoquidẽ illud *ob*, non ſonat cauſam finalem, vt per ſe liquet:) tamẽ non contulit eam ob actiones Chriſti, quæ præuiderentur præexiſtentes præmio ſeu gratiæ, eámque ad ſe attraherent, quod eſt de ratione propriiſſimè dicti meriti: ſed quæ tantùm præuiderentur ſubſecuturæ; ac proinde iam factam ſupponerent collationẽ gratiæ. Quæ philoſophandi ratio iuxta authores quoſdam, æquè valet pro omnibus antiquis, ſed præſertim pro Chriſti progenitoribus cómodare fortaſſis non parum poteſt, ob neceſſariam eorum præſuppoſitionem ad Chriſtum, de qua aliàs. Quia ergo litrum quod Chriſtus pro nobis Patri appendit, conſummàtũ integrè eſt ex omnibus Chriſti actionibus, à prima in mundum ingredientis voluntate in qua ſanctificati ſumus, ad extremam vſque actionem, & perpeſſionem liberè admiſſam; (corpus enim il-

lud actionũ indiuiſibiliter ſumptarum, habuit rationem pretij noſtri ac redemptionis:) propterea nulli anteriori, ac nè iis quidem qui cum Chriſto vixêre ad tempus, ſed ei ſunt præmortui, nulli inquam talium, Chriſtus meruit gratiam eo nobiliſſimo meriti modo quem expoſui, qui fœliciter in prole Chriſti poſthuma, hoc eſt, nobis omnibus vſurpatus, primùm in ſancto Latrone adhibitus eſt: quia quamuis cùm ei Sol gratiæ illuxit, nondum Chriſtus efflaſſet animam, tamen vltima actio totalis, conſummans eam actionum ſeriem è quibus conflatum eſt noſtrum pretium, iam erat inchoata per bonam ſui partem, ita vt ipſa Chriſti mors iam eſſet in fieri. Itaque gratia Latroni conceſſa eſt, non credito, vt fuerat illuc vſque factum, ſed numerata pecunia. Ad rem tamen noſtram, ſatis ſupérque eſt, quòd Chriſtus fuerit cauſa meritoria primaria conuerſionis ſancti Latronis.

6. Iſta cùm ſint explorata, addendum duntaxat aliquid ſupereſt de duabus cauſis effectiuis inſtrumentalibus, quas aliqui circa Latronis conuerſionem inuexerunt.

uexerunt. Prior eſt vmbra Chriſti Domini in Latronem incidens. Poſterior deprecatio B. Virginis pro Latronis ſancti conuerſione. Refert enim nec reprobat S. Vincentius, [a] fuiſſe qui aſſerent idcirco Latronem ſanctum rediiſſe ad cor, quia vmbra brachij Chriſti Domini in Latronem incidens, fuit ei ſalutis cauſa, non minùs quàm vmbra crucis refoſſæ, ægrum ſanauit auctore Alexādro Monacho [b]: aut quemadmodum vmbra Petri, iis qui ad ipſum accurrebāt ſaluti erat vno eorum contacto. Ita namque Lucæ verba [c] accipienda ſunt, iuxta S. Chryſoſtomi [d] interpretationem: Expendit quippe ſcriptum, *vt veniente Petro, ſaltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus ſuis* Non ait Lucas, vno obumbrato illum fuiſſe ſanatum à certa inualetudinē, ſed ſanatos omnes abſolutè à quibuſuis infirmitatibus, obumbrato quoquam illorum. Quæ eſt ſanè excellens Apoſtoli prærogatiua, quem ſupra viſibilia Chriſti miracula ex magiſtri beneficentia ſic operatum, plerique Patres annotarunt.

a *conc, in paraſc. & ſerm. in fer 4. maioris hebdom.*

b *orat. de crucis inuent.*

c *Act 5.*

d *in eum locum.*

Quia

Quia ergo quod eſt ab Apoſtolis viſibiliter in corporibus præſtitum, hoc à Chriſto Domino inuiſibiliter in animabus factum eſſe, obſeruatum alibi eſt, vt & ipſum Chriſtum quò corporibus ſanitatem adhiberet, animabus ſimiliter impendiſſe auctor eſt Diuus Auguſtinus, [a] propterea Chriſti vmbra animabus eorum in quos incidebat ſaluberrima erat, inter quos Latro ſummo ſuo bono, vim eius beneficam expertus eſt in cruce, ita vt eam ob cauſam tactus ſit & conuerſus, iuxta illos auctores quos dixi à S. Vincentio referri, quibus etiam ſubſcribũt [b] Exquilinus Epiſcopus, Iacobus de Vorag. [c] ac Spinellus. [d] Petro Damiani in quodam ſermone idem tribuit Salmeron. [e] Sed apud Petrum Damiani, nihil inuenio. Quid ſi verò id ipſum vôluit Anonimus cuius Græcam orationem de cruce exhibet Gretſerus, [f] cùm dixit, *Latronem cruce* id eſt, ob crucis viciniam *Paradiſum perfodiſſe*? S. Vincentius [g] hoc eſſe putat quod Oſeas cap. 14. his verbis prædixerat; *conuertentur ſedentes in vmbra eius.*

b *ſerm.44. de verb. Domini.*

b *l 3. catal. c* 128.
c *ſerm* 3. *de Innocentibus.*
d *lib. de Deipara. c.*25.*n.*4.
e *tom.* 10. *tract* 40.
f *tomo* 2. *de cruce.*
g *ſerm in feriam* 4. *maior. hebd.*

7. Hæc vt intelligantur, ſtatuendum

eſt,

eſt, eam fuiſſe poſitionem crucis cui Chriſtus confixus erat, vt facies Saluatoris ad occaſum obuerteretur. Quod Ioannes Molanus [a] de imag. ex Damaſceno, [b] Beda [c] & Sedulio [d] nonnulliſque cõiecturis & Heſſellio & Petro Montano confirmat. Id quod etiam veriſimile eſt conſultò factum à Iudæis, vt Chriſto conſpectum vrbis Hieroſolymitanę quę Caluariæ erat ad orientem, intercluderent, ne eam vrbem conſpectu ſuo pollueret, iuxta impiam ipſorum perſuaſionem. Vnde conſecutum eſt impleri prę-nunciationem Ieremiæ, [e] *Dorſum & non faciem oſtendam eis. in die perditionis eorum.* Fuit enim verè dies perditionis eorum, dies illa, qua auctorem vitæ per immanem nequitiam confixerunt. Hanc porrò Chriſti in cruce obuerſionem ad occaſum attendentes antiqui, ad orientem conuertebantur inter orandum teſte Tertulliano, [f] Origene, [g] Damaſceno, [h] vt ſcilicet Chriſtum facie verſus occaſum obuerſa pendentem, quaſi obuerſantem haberent, Quanquam non ignoro alias præterea prodi cauſas illius inter orandum obuerſionis ad orientem quas tradunt

a *lib* 4. *de imaginib. c.* 4.
b *l.* 4 *fid. orthod. c.* 13.
c *in Lucam c.* 23.
d *lib.* 4. *Paſch.*
e *cap.* 18.
f *c* 16. *apolog.*
g *hom.* 5 *in Num.*
h ſuprà.

l. 3. de SS. beat. c. 3. tradunt Bellarminus & Baronius: [a] præiuerantque Ethnici apud Briſſonium. *b anno Chriſt 58.* [b] Eáq; etiam vultus obuerſione factam *c lib. 1. formul.* Chriſti in cœlos aſcenſionem, manifeſtum eſt ex ſitu veſtigiorum quę impreſſa reliquit conſcendens in cœlum.

Chriſto igitur eam corporis obuerſionem habenti in cruce, qua occaſum reſpiceret, Aquilonaris plaga fuit dextra. Id quod conſideratio ſitus orbis extra dubium ſtatuit, & pulchrè Sedulius *d lib. 5. Paſch.* [c] Chriſtum in cruce ſuffixum deſcribens, his verbis expreſſit.

Quatuor inde plagas quadrati colligit orbis.
Splendidus autoris de vertice fulgor Eous:
Occiduo ſacræ lambuntur ſydere plantæ:
Arcton dextra tenet, medium læua erigit axem;
Cunctáque de membris viuit natura creantis,
Et cruce complexum Chriſtus regit vndique mundum.

Cùm igitur ſanctus Latro, pro vt ſuprà conſtituimus, eſſet Chriſto à dextris, perſpicuè ſequitur, latronem reprobum, qui Chriſto ad læuam pendebat verſus Auſtrum, Sanctum vero Latronem verſus

ſus Boream comparatione Chriſti ſtetiſſe in patibulis. Atque ita circa ſextam, ſiue circa meridiem, ante obſcuratum ſolem, vmbra obiectu corporis Chriſti procreata, à ſiniſtra ad dexteram, ab Auſtro inquam ad Boream porrigebatur, incidebatque in S. Latronem dextrorſum pendentem.

8. Hanc inſtrumẽtalem cauſam auxiliorum latroni ad conuerſionem conceſſorum, ipſiúſque adeò conuerſionis, non eſt exiſtimandum fuiſſe phyſicam. Nam quamuis daremus potẽtiam obedientialem actiuam non modò eſſe poſſibilem, quod apud me ratum eſt, ſed etiam vſurpari de facto & expromi in ſacramentis, & igne vltore, aliiſque entibus ſupernaturaliter efficientibus formam aliquam, quod nuſquam puto verum: Tamen in hoc negotio ſecluditur omnis illa phyſica efficientia, tametſi obedientialis & diuinitus exſerta: Quia ſicut diuina vi, quod non eſt, aſſumi nequit ad obedientialiter cauſandũ; ita quod eſt priuatiuum cuiuſmodi eſt vmbra, non poteſt per adiunctam diuinam cooperationem principalem, ſuſtolli

tolli ad cauſandum: cùm impoſſibile ſit, vel concipere, actum ſecundum realem dimanare ab actu primo qui ſit nihil reipſa, cuiuſmodi eſtens priuatiuum, atque adeò vmbra. Fateor vmbrá adæquatè ſpectatam, non eſſe priuationem. Eſt enim carentia luminis maioris, ex corporis opaci interpoſitione, connotato aliquo tenui lumine, quod ſi deeſſet, non vmbra, ſed tenebræ corpus occupare dicerentur. Tamen lumen illud quod latronem colluſtrabat, & per vmbram de qua agimus connotabatur, nihil ad Chriſtum attinebat: quia neque ab eo prodibat, neque vllam cum eo habebat connexionem, qualem habebat carentia illa lucis maioris à ſole latroni affundendæ, niſi obiectus ſanctiſſimi corporis interpoſiti obſtitiſſet. Ideóque illa carentia, erat aliquis Chriſti effectus, tametſi tantùm negatiuus. Non potuit igitur vmbra latronem cõtegens, quatenus ad Chriſtum pertinens, (qua tantùm ratione tribuitur ei latronis emollitio atque conuerſio;) non potuit inquam ea vmbra induere rationem inſtrumenti phyſici, ſiue reſpectu

ſpectu auxiliorum diuinitùs ea ex cauſa immiſſorũ, ſiue reſpectu cõuerſionis, inde ad Latronis nutũ conſecutæ. Atq; ita ad ſummũ habuerit rationẽ inſtrumenti moralis, eo modo quo vmbra S. Petri in ægrotorum curatione, erat morale inſtrumentum; quatenus Deus ægris illis quibus Apoſtolus obiectu ſui corporis inferebat vmbram, reſtituebat ſanitatem, ad vmbræ illius quaſi attactum, Apoſtoli meritis fœtum. Eodem itaque modo philoſophandum erit in re præſenti, ſi admittamus diffuſionem illam vmbræ Chriſti ad Latronem; quam conſtat obſcuram eſſe & incertam, propter Latronis ſitum æquè ſublimem, & nonnihil à Chriſto ſemotum; ac etiam quia nemo auſit certò affirmare, priuſquàm tenebræ ab hora ſexta terrã occuparent, ſolem aëre puro ac deterſo radios ſuos vibraſſe, vt neceſſe eſſet obiecto vnde vibrabantur corpore vmbram exiſtere.

9. Vt autem incerta ſit ea Latronis per Chriſtum inumbratio, eſt tamen non inueriſimilis; ſaltem ſi intelligamus opacatum à Chriſto Latronem, non vniuerſo corpore, ſed aliqua tantùm ex parte.

Duo autem quæ aduersùs hunc dicendi modum opponit Salmeron, [a] non ægrè diſiiciuntur. Primum eſt multos præterea fuiſſe quos Chriſtus ſuffixus inumbrauerit, ſi latronem dicatur inumbraſſe; neque tamen omnes illi ęquè adducti ſunt ad ſanam mentem. Hoc dico facilè cõteri. In primis quia fieri potuit, vt vmbra Chriſti ſublime pendentis, ad neminem ſubtus iacentem pertingeret, ſed tantùm ad Latronem; qui & ipſe ſublimis pendebat ad Chriſti dexteram, qua tantùm ex parte vmbra diffundebatur. Et contingere etiam potuit, neminem vmbram Chriſti excepiſſe, qui cõuerſione egeret, ſi verum eſt quod S. Bernardinus Senenſis [b] & alij meditantur, B. Virginem ex ea parte Chriſto pẽdenti aſtitiſſe, cui comitabantur piæ mulieres: Et eidem haud dubiè affuerit Ioannes, qui & ipſe iuxta crucem ſtabat. Neque enim quia à pictoribus ad Chriſti læuam locatur, è diametro Virginis, diſiunctus propterea eſt à Virgine, cuius latus ipſum cinxiſſe, alloquium Chriſti ad vtrumque, & negotij adiuncta ſuadent. Vt autem hæc omnia ruerent, excuteremus

[a] *loco ſuperiùs notato.*

[b] *tom. 3 ſerm. 1. de nom. Mariæ art. 3. c. 2.*

cuteremus difficultatem; addendo vmbram Chriſti, cùm rationem inſtrumenti moralis haberet, non habuiſſe vbique parem effectum, ſed eum dũtaxat quem diuinum beneplacitum & Chriſti voluntas ferebat, cui licet quod vult facere, & ex eadem maſſa vas vnum in honorem, aliud in cõtumeliam efformare.

Alterum quod aiebam opponi à Salmerone, æquè facilè euertitur. Negat ille pendente Chriſto, locum vnquam fuiſſe vmbræ, cùm toto eo tempore, hoc eſt ab hora ſexta qua crucifixum Chriſtum docet Marcus [a] tenebræ orbi offuſæ fuerint. At hoc difficultate vacat ſecundùm Ioannem, qui Chriſtum hora tertia crucifixum refert. Ne verò de difficultate elidenda ſolliciti Euangeliſtas collidere videamur; dicendum eſt, horam illam tertiam qua crucifixum dominum aſſerit Ioannes, non eſſe horam vt ſic dicam vſualem, quales duodecim aſſignantur cuiuis diei. Sic enim vrgeret difficultas propoſita; ſed eſſe horam orationis, cuiuſmodi apud Iudæos erant tantùm quatuor diebus ſingulis. Quælibet verò earum, ternarium horarum

[a] *cap. 5.*

vſualium complectebatur, qui totus ac ſolidus nomine proprio, v. g. tertiæ aut ſextæ, vel cùm ad continentem ternariúm vergebat, nomine eius deſignabatur. Id eſt cùm dilapſa ferè tertia, inſtabat initium ſextæ, vſus ferebat (ac etiam nunc fert proportione ad horas noſtras ſeruata,) vt aliquid tunc factum, diceretur geſtum, vel hora tertia, quia reuera intra illius terminos geſtum erat; vel hora ſexta, vtique ineunte & iamiam imminente, quod moraliter rem æſtimando, habetur pro eodem. Atque ita potuit Chriſtus, & hora tertia nempe exeunte affigi cruci, & aliquod medium tempus ad tertiam adæquatè omnino, ſeu velut phyſicè ſpectatam pertinens, ſupereſſe ante tenebras hora ſexta exortas, per quod ſole illucēte exiſteret vmbra. Fuiſſe tempus illud dimidiæ horæ coniectat Maldonatus,[a] qui in hoc nodo extricando multus eſt, vt & Toletus,[b] Suares,[c] Mariana,[d] qui etiã alibi[e] varias refert ſentētias auctorum & multos mendum librarij in loco Marci agnoſcentes.

10. Sic admiſſa ea S. Latronis per Chriſtum inumbratione, piè inſuper cogitare

a Matth. 27. n 45.
b in c. 19. Ioann. an not. 9.
c tom 2. 3 par diſp. 40. ſ. 6.
d lib. pro edit. vulg c. 23.
e in notis ad locum Marci notatum.

gitare

gitare licet, quàm ſalubre ſit ſedere ſub Chriſti vmbra: quam ſibi gratulabatur ſponſa interprete Origene,[a] cùm diceret, *ſicut malus inter ligna ſylu arum, ſic dilectus meus inter filios: ſub vmbra illius quem deſideraueram ſedi.* Ipſum quidem Chriſtum in decore ſuo, & ſecluſa vmbra, viſere geſtiuerat ſponſa. Vt propterea quod S. Bernardus[b] notauit, ſponſa ad ſplendorem Chriſti ſuſpirans, non vmbram deſideraſſe ſe dicat, ſed illum quem deſiderauerat Chriſtum. Sub eius tamen interim vmbra hîc ſedere cogitur, donec inclinentur, ſiue vt ex interprete Hieronymo loquitur Origenes, amoueantur vmbræ, aſpirétque dies plenus, quē diſcuſſis vmbris in cœlo dūtaxát fore, ſolito lepore ac ſuauitate tradit Ambroſius.[c] Eſt verò ea Chriſti vmbra multiplex. Nā & Incarnatio, & eius extenſio ſiue Euchariſtiæ Sacramentum, rationem habent vmbræ, quod alibi verſo per otiū.

Verùm nuſpiam vmbra Chriſti feſſo generi humano ſalubrior, quàm ex cruce. In quam rem iuuat cum Chryſoſtomo[d] Chriſtum ſuffixum cruci, conſiderare ſpecie arboris patulæ, *& tanquam li-*

a *hom. 3. in Cant.*

b *ſerm. 48. in Cant. & ſerm. de natiuit. Virg.*

c 4. *exam. c. 5.*

d *in pſ. 1.*

gnum plantatum ſecus decurſus aquarũ, Quod Pater abſque vllo interceſſore, ferax, frugiferum, bellè germinãs, alticomum, frondoſúmque progenuit. Hoc lignum ſponſa deſiderans dicit in cantico Canticorum, Dixi, aſcendam in palmam, & tenebo ramos eius: Palmam quidem ipſum vocans, propter carnis turpitudinem, infrà; fertilitatem autem diuinitatis, ſuprà. Huius ligni eſum cùm recuſaſſet Adam, in contrarium incidit. Nos autem nunc myſticè comedentes, trãſgreſſionem ex ipſo terminamus; lignum enim vitæ eſt Chriſtus, lignum mortis diabolus, hic enim hominem expellit ex paradiſo; Ille verò latronem ducit in paradiſum. Ramos enim habet, Apoſtolos; fructus, eos qui ſalui fiunt; foliorum comam, orationes; radicem baptiſmum; Agricolam patrem, qui ipſum & ſuprà, & infrà abſque interceſſore peperit. Vis etiam videre eius fructum, quem dedit in tempore ſuo: vide eum crucifixum & latus eius compunctum, ex quo ſanguis, & aqua ſcaturiit. Sanguis quidem ad repræſentandum martyrium, aquam verò in ſignũ baptiſmi.

Quoniam

Quoniam enim compunctũ latus Adam ſupplãtauit, neceſſariò quoq; pũctus latus, eũ regenerauit. Humidum lignum vnum deiecit: lignũ autem ſiccũ mundũ rurſus erexit. Eſus illius mortẽ peperit, eſus huius vitam fecit rurſus germinare. De illo enim dictum eſt. *Non comedite ex illo*; de hoc autem; *Guſtate, & videte quòd benignus eſt Dominus.* Specioſus eſt vt malum: ſuauis eſt vt vinum: fructifer vt olea: multa habet tegumenta, ſicut malum punicum: fructu abundans vt palma: maturus vt botrus. Guſtate & videte; fructus crucis floruit in Patriarchis, germinauit in Prophetis, dedit odorem in aduentu, maturuit in paſſione, comeditur poſt Reſurrectionem.]

11. Ne quid ergo commodi ex hac arbore deſideraremus, etiã eius vmbra, ſaluti eſt. De Chriſto enim cruci ſuffixo, vmbra noſtra ſub qua viuimus in gẽtibus, locum Hieremiæ [a] accepit S. Ambroſius [b] ex eo probans, Hieremiæ queſtus ad Chriſti paſſionem pertinere. [Paſſionem (inquit) Domini Saluatoris, prophetari liquet, & defleri ab Hieremia, non excidium Iudæorum: quod

a *Thre.* 4.

b *Serm* 15. *in Pſal.* 118. initio.

cùm ex aliis, tum ex illo intelligi poteſt, quia in poſterioribus habet. *Spiritus ante faciem noſtram Chriſtus Dominus comprehenſus eſt in interitu noſtro, ſub cuius vmbra diximus, viuemus inter gentes.* Quid hoc manifeſtius, quando & nomen expreſſum eſt, & comprehenſio inter manus perſequentium perfidorum eſt declarata, & vmbra viuificans, & gratia gentibus conferenda deſcripta eſt?] Sed & Iu-
a Apolo. 2. ſtinus [a] Aquilæ & Symmachi interpretationem ſecutus, naſum fronti ſuppoſitum, ſe habere ad modum literæ T. & crucem exprimere, idque in ea quam dixi vmbra à Hieremia expreſſum eſſe, ita tradit varia crucis Symbola recenſens. [Hominis figura non aliter à brutis differt, quàm quòd erecta eſt, manus expandit, & in facie à fronte protenſum naſum præfert, per quem fit reſpiratio, vt planè forma crucis videatur, quod & Propheta ſic indicat. *Spiritus ante faciem noſtram Chriſtus Dominus.*] Quare vmbram Chriſti de cruce pendentis, ſalutarem agnoſcamus. Hic tamen vitanda
b In Sarce Mahometis deliratio, quem Codinus [b]
nicis p. 60. refert blaterantem, vmbram filij Dei de

cruce

cruce pependiſſe. Ita enim vmbra pependit ad ſenſum dictum, vt Chriſtus ipſe non abfuerit.

Quàm bonum ergo eſſet in hac vmbra ſedere, expertus eſt S. Latro, ſub Chriſto crucifixo eiúſque veluti tegmine recubans: & experientur ſimiliter, quotquot abiecta vmbra mortis quam edunt capiti graues arbores; (non illæ, apud Plinium [a], ſed aliæ quas ſcriptura vocat *ligna Syluarum* iuxta Origenem [b]) delegerint ſub hac Chriſti vmbra æſtũ declinare, dum vmbra illa venit quam ſeruus deſiderat, interprete Gregorio [c]. Qui alibi [d] egregiè diſſerit aduerſus illos Behemotij partiarios, de quibus legimus *protegunt vmbræ vmbrã eius* Erit autẽ id præcipuè cordi omnibus illis qui ſe agnouerint vmbram eſſe, nihil ſolidius: iuxta illud Eccl. 34. *hoc ſecundùm hoc* (j. vmbra iuxta corpus,) *viſio ſomniorum antè faciẽ hominis, ſimilitudo hominis in ſpeculo.* Diuinè omnino in hanc rem totam philoſophatur S. Ambroſius [e], quem adſcribo & abeo. [Vitam æternam ſibi promittit propheta dicens; *Viuam & cuſtodiam verba tua.* Viuam quaſi nondum

a L. 17. cap 12.
b Hom. 3. in cant.
c 8. mor. cap. 7.
d 33. mor. cap. 5.
e Serm. 3. in Pſal 118. v. 1.

uiuens. Hîc enim in vmbra viuimus. Ergo iſta vita in corpore, vmbra eſt vitæ atque imago, non veritas. Denique in imagine ambulat homo, & in regione vmbræ mortis conſiſtimus. Sed ſi quis non ad terrena oculos mentis intendat, ſed ad ſpiritalia erigat, vt poſſit dicere ſanctus: *Ante faciē noſtrā Chriſtus Dominus:* dignus erit qui dicat. *In vmbra eius viuemus.* Chriſtus enim vita eſt, & ideò qui in vmbra Chriſti viuit, in vmbra vitæ eſt. Meritóq; alibi dixit ſanctus Domini, *in vmbra alarum tuarum protege me.* Omnes ergo etiā ſancti, in vmbra ſunt, quamdiu ſunt in corpore: nō perfectè vident, ſed ex parte cognoſcunt. Ipſe Paulus ait: *Ex parte enim cognoſcimus.* Ipſe vas electionis, cui Chriſtus oculos reddidit, & ſua illuminauit gratia, non facie ad faciem, ſed per ſpeculum videbat. Et Dauid reuelari oculos ſuos petit, vt remoueretur vmbra, quæ integrum oculorum impediebat obtutum. Regionem autem hāc, mortuorum eſſe, quis dubitet, cùm ſanctus ipſe dicat: *Placebo Domino in regione viuorum?* quia placere hîc perfectè, nemo poteſt, vbi etiamſi fieri poſſit, vt ſua

pecca

peccata non habeat, in ipſa tamen mortuorum regione viuendo, purificatione indiget, quæ à contagione eum regionis huius abſoluat. In vmbra igitur hîc viuimus, & ideò in vmbra cuſtodimus verba Dei. Et vt exẽplo vtamur, vtiq; ante eramus ſub vmbra legis, quãdo cuſtodiebamus ſabbata, quæ ſunt vmbræ futurorum. Sicut hodiéque Iudæi, qui verum ſabbatum non vident, qui exemplari & vmbrę ſeruiunt. Nos quoque ſecundùm Euangelium nunc viuentes, vmbram ſequimur verborum Dei. Nathanael ſub arbore fici videtur; Dauid in vmbra alarum Domini Ieſu ſperare ſe dicit; Zachæus in arborem Sycomori aſcendit vt Chriſtum videret. Nobis quoque expandit manus ſuas Ieſus, vt totum mundum obumbraret. Quomodo non ſumus in vmbra, quos Crucifixus à malignitate ſæculi & corporis ardore defendit: An neſcimus quoniam Verbum Dei veniẽs in hunc mundum, nõ ſicut verbum aduenit quale in principio erat, quale erat apud Deum, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens? venit in nube leui & cùm

eſſet

eſſet virtus Altiſſimi, obũbrauit Mariæ; vt transfiguraret corpus humilitatis noſtræ, conforme fieri corpori gloriæ ſuę.]

12. Sequitur altera effectiua cauſa inſtrumentaria conuerſionis latronis, nempe deprecatio B. Virginis pro eius ſalute. Video enim eſſe qui ita tradant, & diſertè Spinellus.[a] Idem Petro Damiani, in ſermone quodam tribuit Salmeron[b]. Sed apud ipſum Damianum nihil inuenio. Videri poſſet eidem ſententiæ ſuffragatus S. Epiphanius,[c] cuius hęc ſunt verba. [Sponſa cœleſtis Maria, quæ eſt cœlum, templum, & thronus diuinitatis, inexplicabile paradiſi monile. Angeli accuſabant Euam, nunc verò Mariam gloria proſequuntur, quæ mulierum infirmitatem verè glorioſam reddidit, quæ lapſam Euam erexit, & Adamum è paradiſo deiectum in cœlos miſit, quæ paradiſum clauſum aperuit, & per latronem rurſum Adamum complantauit.] Hæc dico videri ſonare ſententiam propoſitam de latrone precibus Deiparæ conuerſo. Cùm enim B. Virgo nemini ſalutem contulerit immediatè, non videtur aliter complantare potuiſſe

a *In opere de Deip. c. 25. n. 3.*

b *tomo 10. tract. 40.*

c *in Deip. laudatione ad finem.*

tuiſſe Adamum per Latronem, quod hîc aſſerit Epiphanius, quàm orando pro latrone, eique impetrando, vt Chriſto bonæ oliuæ insereretur. Verùm locus Epiphanij nihil ad cauſam præſentem confert. Senſus enim eius duntaxat eſt, is ipſe qui pleriſque Patrum de Deipara locutionibus neceſſariò accommodatur: nempe B. Virginem, mediatè ac per filium, omnia illa magna & mira perfeciſſe. Idque apertè ferunt verba continẽter ſubiuncta, quæ alium ſenſum non patiuntur. [Per te enim (inquit) ô Sancta Virgo, medius obſtructionis paries inimicitias diſſoluit: per te pax cœleſtis donata eſt mundo, per te homines facti ſunt Angeli, per te homines appellati ſunt amici, ſerui, & filij Dei, per te homines meruerunt eſſe conſerui Angelorum, & cum eis familiariter conuerſari, per te notitia cœleſtis à terra tranſmittitur in cœlos; per te homines fiduciam habent in cœlo erga Altiſſimum: per te crux reſplenduit per vniuerſam terram, in qua quidem cruce pepẽdit Filius tuus Chriſtus Deus noſter: per te mors conculcatur, & ſpoliatur infernus: per te ce-
cide

ciderunt idola, & excitata eſt notitia cœleſtis: per te cognouimus Vnigenitum Filium Dei, quem Sanctiſſima Virgo peperiſti Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.] Vides hęc omnia non ad immediatum Deiparæ influxum, ſed ad ea quæ per filium præſtitit, pertinere. Itaque eodem ſenſu accipiẽdum eſt quod immediatè ante dictum fuit, de Adam rurſum, per latronem à Deipara complãtato. Atque ità ex eo S. Epiphanij loco haberi non poteſt, an Latronis Sancti conuerſio, ſit Deiparæ precibus tribuenda.

13. Ego veriſimile admodùm cenſeo, ex quo prima Latronis vox in Chriſti fauorẽ erupit, B. Virginem quæ aſtabat, ſuis ad Deum precibus, bonam Latronis mẽtem diuinitùs inditám firmaſſe tacitis precibus, quibus enixè rogabat æternum Patrẽ, vt hoc in Latrone confirmaret, quod in eo operatus fuerat. Sicque B. Virgo in illius peccatoris, qui redemptionis quaſi primitiæ appellatur, ac cæterorum omnium typus & figura fuit, idem præſtiterit quod circa alios paſſim. Qua de cauſa *pons peccatorum à*

terra

terra in cœlum, nominatur in hymnis Græcanicis [a] quos Buteo Latinè fecit. Tamē quod ad primum Latronis tactum per gratiam præuenientē diuinitùs factum, preces B. Virginis interuenerint, quibus ea gratia obtigerit Latroni, quis certò aſſerere audeat? Potuit ſanè Spiritus Sanctus, ſi cooperariam conuertendo Latroni Deiparam delegerat, eam ad id ſpeciali afflatu excitare. Reipſa tamen id feciſſe, confirmari certò nequit, ſed ad ſummum piè cogitari poteſt ad fouendum in Deiparam affectum, quod pleríſque in rebus ad Deiparam attinentibus, ſtudioſiùs hoc tempore nō paucos, quàm ſolidiùs præſtare video.

[a] *pag.* 91. & 117.

Nec plura de cauſa effectiua conuerſionis S. Latronis, cum primaria phyſica, tum primaria morali, ac etiam inſtrumentali. Cæteras verò eiuſdem conuerſionis efficientes cauſas, nimirum gratiæ auxilia, (quomodocumque efficiāt,) & potentiam naturalem diuinitus præuentam, & roboratam ad cudendum ſalutis actum, miſſas facio, quod nihil circa eas peculiare hoc loco occurrat.

14. Pergo ad cauſam formalem extrinſe-

trinſecam, ſiue ad motiua quibus latro inductus eſt, vt voluntatem credendi in Chriſtum conciperet, & è nequitiæ cœno emergere ſtatueret. Qua in parte, difficultatem omnino maximam deprehendet, quiſquis æſtimauerit, quo tempore & loco latro Chriſtum agnouerit & reſipuerit. Grauiter de more S. Leo,[a] [Latronum vnus ad id vſque temporis, par, ſimiliſque conſorti, inſidiator viarum, & ſaluti hominum ſemper infeſtus, vſque ad crucem reus, fit Chriſti repentè Confeſſor: & inter illos acerrimos corporis, animíque cruciatus, quos ſimul & inſtantia, & difficultas mortis augebat, mira conuerſione mutatus, *Memento* (inquit) *mei Domine, dum veneris in regnum tuum* Quæ iſtam fidem exhortatio perſuaſit? quæ doctrina imbuit? quis prædicator accendit? Non viderat priùs acta miracula, ceſſauerat tunc languentiũ curatio, cæcorum illuminatio, viuificatio mortuorum; ea ipſa quę mox erant gerenda, non aderant: & tamen Dominum confitetur, & Regem, quem videt ſupplicij ſui eſſe conſortem.] Docet perſpicuè S. Pontifex, motiuum cõuerſionis

a *Serm. 2. de paſſ.*

uerſionis quo latronem ad ſanã mentem adduxit Spiritus Sanctus, eſſe admodùm obſcurum. Quare in illud ſcrutandum, incumbendum eſt.

15. Vt cauſam aliquam tam ſubitæ támque mirabilis in latrone mutationis aſſignent non pauci, ad narrationem quandam confugiunt quàm c. j. attigi & nunc pleniùs referre operæ pretium eſt. Ac ne quid immutem, repræſentabo ipſa verba Petri Exquilini [a], apud quem explicatiùs traditur quàm apud alios qui eam pariter referunt, cuiuſmodi ſunt S. Anſelmus libro ad ſororem de benef. Dei [b], quod opus extat quoque apud Auguſtinum nomine libri de vita eremit. ad ſororem eiúſque c. 48. habetur illa narratio. Anſelmum in hanc rem laudant. Iacobus de vorag. [c] Lodulfus [d] & Dionyſius Richelius [e], ac Franciſcus Mendoça. ſic igitur habet Exquilinus. [Fuit latro hic, Ægyptius natione; vt habetur in compilatione Damaſceni. Qui tempore quo Chriſtus in Ægyptũ fugatus eſt, prædo erat: & in quodam nemore habitaculum habens, tranſeuntes cum ſociis ſpoliabat. Cùm autem

a 3 *Catal.* 88. *c.* 228.

b *P.* 2.

c *Serm. de Innocent.*

d 1. *c* 17.

e *De vita Chriſti parte* 1. *cap.* 13.

f *T* 2 *in Reg. annot.* 11. *ſect.* 2. *num.* 13.

Ioſeph cum Maria & puero in Ægyptũ fugientes, illac tranſitum facerent, occurrit eis Diſmas, vt eis ſubſtantiam auferret. Viſa verò virginis mãſuetudine, & pueri ſpecioſitate, admiratus ſubſtitit, & quaſi diuinitùs inſpiratus hoc verbum protulit. Non eſſe poſſibile, puerum ab homine genitum, tanta pulchritudine eſſe decoratũ: Et ſi poſſibile eſſet vt Deus haberet filium, elegantiſſimum illũ infantem diceret, ex aliquo numine generatum. Igitur & propter pueri ſpeciem, & matris aſpectum placabilem, non ſolùm ab eorum deprędatione abſtinuit, ſed etiam eos in illa nocte in domum propriam introduxit, & neceſſaria miniſtrauit. Habebat autem vxorem, & filium tot vlceribus plenum vt leproſus videretur. Cùm autem vxor Diſmæ, puero Ieſu balneũ præparaſſet, & virgo Chriſtum balneaſſet; latronis coniux quaſi diuino inſtinctu puerum ſuum in eadem aqua balneauit: ſperans quodammodò ex quadam latente virtute quam in filio Virginis eſſe cogitabat, filium ſuum vlceroſum poſſe ſanitatem ſuſcipere; quod & factum eſt. Mox enim

enim vt puerum vlcerosum aqua illa tetigit, ſine vlla maculã confeſtim de balneo mundatus aſcendit, quod videns Diſmas, puerum Ieſum cùm Matre vt Deos adorauit, & eoſdem vſque ad ciuitatem cum ſecuro comitatu aſſociauit. Dicitur quoque quòd puer Ieſus, in receſſu ſuo latronem allocutus, pro humanitate ſibi impenſa, eidem in regno patris ſui præmiũ ſe retributurum promiſit. Tempore igitur mortis Chriſti, Diſmas cum alio latrone nomine Geſtas, pro facinoribus ſuis à Iudæis capti, cum Chriſto morti crucis adiudicantur. Et Diſmas quidem Chriſtum propter hoc aliter nõ cognoſcens à dextris eius, Geſtas verò à ſiniſtris crucifixus eſt. Et cùm Ieſum omnis populus blaſphemaret; ipſi quoque ambo latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei, vt duo Euangeliſtæ teſtantur. Cùm autem ſol ad meridiem tenderet; & latus Chriſti radio ſuo feriens vmbram eius verſus dextram partem emitteret; gyrante ſole vt vmbra corporis Chriſti ſuper latronem à dextris exiſtentem deſcendit; virtus diuinitatis eius, in corde

illius ſubintrauit. Vidénſque qualiter Chriſtus pro inimicis Patrem obſecrauerat, compunctus eſt: Et continuò in Chriſtùm credens; non ſolùm vt dicit Lucas Euangeliſta conſocium de blaſphemia increpauit; ſed etiam Ieſu miſericordiam implorauit.]

Deeſt fabulæ apud Exquilinũ, quod maximè ad rem facit, & cuius cauſa, tota ea narratio eſt excogitata: Suppleo eam lacunam verbis Anſelmi de latrone incidente in Chriſtum paruulum cũ in Ægyptũ deferretur. [Præda potitus, cum paruulum in matris gremio cõperiſſet, tanta ei in eius ſpecioſiſſimo vultu ſplendoris maieſtas apparuit, vt eum ſupra hominem eſſe non ambigeret, incaleſcénſque amore, amplexatus eſt eum. Et ô (inquit) beatiſſime paruulorũ; ſi aliquando ſe tempus obtulerit mihi miſerendi, tunc memento mei & huius temporis noli obliuiſci. Ferunt hunc eſſe latronem qui ad Chriſti dexteram crucifixus eſt, cùm alterum blaſphemãtem corripuiſſet dicens: *Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es, & nos quidem iuſtè. Nam digna damna factis recipimus,*

mus, hic autem nihil malifecit. Conuerſus ad Dominum, eum in illa quæ in puerulo apparuerat intuens maieſtate, pacti ſui non immemor, *Memento*, (inquit) *mei, cùm veneris in regnum tuum.*] Hæc S. Anſelmus, quæ mihi quidem commentitia & reiicienda videntur.

Non eſt tamen quod cum Richelio & aliis allegatis, hanc fabulam Anſelmi autoritate confirmatam cenſeamus. Diſertè enim S. Anſelmus ad ſororem ſcribens, & ad muliebre ingenium ſtylum demittens, ea profert quæ excitandæ in fœmina pietati accommodata exiſtimauit. Eum ſanè non aliud ſpectaſſe, liquet ex verbis quæ præmittit toti narrationi. *Opinare verum eſſe quod dicitur.* Quaſi diceret, vtcumque ſe habeat narrationis illius veritas, nihil tamen erit quod prohibeat, fructũ ſpiritalem ex ea carpere, & erga Chriſtum affici latronis imitatione. Et idem ferunt verba illa quibus totam narrationem obſignat. *Itaque ad incentiuum amoris, non inutile arbitror hac vti opinione, remota omni affirmandi temeritate.* Vidit nimirum S. Anſelmus, narrationem nullo idoneo teſte ſubnixam,

admittendam non eſſe, ſed eatenus tamen proponendã, quatenus cõferre poteſt ad fructum ſpiritalem, qui ex apologis quoque & indubitatis cõmentis non repudiatur. Nam S. Gregorius Nyſſenus [a] cùm ſpiritualis vtilitas id fert, adhiberi in ſcripturis ſacris Ethnicas fabulas, ſapienter aduertit.

a *Hom 9. in Cant.* in fine.

16. Conuerſi latronis cauſa alia, quã profert Theodoretus [b] vt minimùm incerta eſt, & coniectatione ambigua nititur. Commendato enim Democrito Abderite, qui optimam doctrinam, naturæ perſimilem eſſe aiebat, quod vtráque transformet hominem, atque in melius dirigat, id quod etiam Clemens Alex. [c] memorat: Socratis item exemplo in eam rem propoſito, quem ſtudium ac diſciplina, abolitis laſciuiæ ac incontinentiæ typis, & melioribus philoſophiæ notis impreſſis, longè alium præſtitit quàm in iuuentute fuiſſet; his inquam præmiſſis, ſubdit Theodoretus. [Multa verò in hanc fermè ſententiam ſacræ nos literæ docuerunt. Publicanos enim ſeruator noſter, genus inhumanũ auaritiæ iniuſtitiæque addictum, laſciuiſſimam

b *Initio libri 4 contra Græcos.*

c 4. *Strom.* 598.

uiſſimam præterea meretricem, graſſatorémque iniquiſſimũ, multóſque alios qui in malitia& peccato vitam conſumpſerant, ſanctis concionibus,atque hortamentis eruit de malitiæ ſuæ barathro, perfectiſſimeque virtutis operarios reddidit. [Vides de Theodoreti ſententia, latronem,ſanctis Chriſti concionibus & adhortamentis de malitiæ barathro erutum. Hoc tamen in tam alto,ſcripturæ, & Patrum cæterorum de illis Chriſti adhortationibus ſilentio, ægrè perſuadetur. Non enim Euangeliſtæ, qui extremas Chriſti voces reliquas,tanto ſtudio adnotarunt, has videtur prætermiſſuri fuiſſe,ſi veritate niteretur Theodoreti ſententia.

17. Plerique omnes,iniectam Latroni bonam mentem volunt, ex conſideratione tot tantorúmque mirabilium quibus Deus vnigeniti ſui mortem honeſtatam voluit. Ita disertè Clemens Rom. [a] [Fuerunt(inquit)tenebræ à ſexta vſque ad nonam, & rurſus lux veſpere, ſicut ſcriptum eſt, [b] *non dies, & non nox, & ad veſperam erit lux.* Quæ omnia cùm ſpectaſſent ſceleſti illi qui cum eo erant

a 2. *cõſtit. cap.* 1. in fine.
b *Zach.* 14.

in crucem acti, alter quidem eorũ con-uiciabatur, quaſi propter infirmitatem non poſſet ſibi ſubſidio eſſe; alter verò illius ignorantiam reprehendebat, & ad Dominum conuerſus, vtpote ab eo illuminatus, & cognito, quis eſſet, qui pateretur, orabat, vt ſui poſtea in regno meminiſſet. Dominus autem, donata obliuione præteritorum, introduxit eum in paradiſum, vbi ei myſticis bonis fruendum eſſet.] Apertè item Chryſoſtomus, [a] [quid vides ô latro? Alapas, conſputationes, clauos, lignum, & Iudæorum ludibria, & lanceam militum, quæ iam ſtringebatur. Enimverò non video, (inquit) quę apparent. Angelos circumſtantes video, ſolem fugientem, velum ruptum, terram trementem, mortuos iam fugere parantes.] Idem alibi: [b] O admiranda Latronis cõuerſio! Nunquid nam Scripturas legiſti ab iniquitate non ceſſans? Nunquid nam Prophetas audiſti, homicidia exercens? Numquid diuinum audiſti ſermonem, quando ad cædem gladium acuebas? Vnde eruditus es talia philoſophari de Chriſto? Iudæi crucifixerunt, qui nouerunt legem, & Prophetas

a *orat. in paraſc.*

b *homil. 2. de cruce & latro.*

tas legerunt: & tu horum ignarus, Deum vocas, condemnatum, & adoras crucifixum? Quis te erudiuit, ô latro, talia de eo dicere? Non me, (inquit) lex docuit, ſed ſol occultans lumen ſuum. Vidi quidem crucifixum, ſed terræ motum ſenſi, & propter parricidas Iudæos elementa indignantia intellexi. Et petræ quidem ſcindebantur, & corda hominum non metuebãt. Sciſſæ ſunt petræ, diſruptum eſt velum templi, & Iudæorum ſecreta patuerunt.] S. Athanaſius [a] non diſſimiliter. [Quid ais latro? Ignoras quæ pateris? oblitus es clauorum, & non ſentis dolores? Tãquam ſi in templo quopiam orares, non in ligno penderes ita ſupplicas? vidi, (inquit) templum Dei & ſupplicare deſideraui. Cognoui ex inſcriptione, eius dignitatem. Vidi cõdemnationem, regnum ipſius enunciantem. Animaduerti in accuſatione gratiã diadematis refulgentem. Si enim dum crucifigitur, iam regnat, qualis futurus eſt iam coronatus? Regnum eius creatura manifeſtat. Sol crucifixum videt, & apparere non audet: eripit crucifigentibus lucem pro Domino ſuo pugnans, noctẽ-

[a] *ſerm. in paraſc.*

noctéque extraordinaria, Iudçorum temeritatem condemnat. Terra agitata turbatur, ſuoque concuſſu, Dominum in cruce ſuſpendentes ſuſpendit, quomodo non afficiat? Regem iniuria affectum titulus clamat. Creatorem teſtãtur, quæ in literis lego: ***Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum***] Aſtipulatur Græcus hymnus ad Deiparam, inter eos quas Buteo Latinè vertit, (Theotochion vocabant;) Ita enim habet. [Latro videns authorem vitæ pendentem in cruce, dicebat, niſi Deus eſſet abſconditus, is qui nobiſcũ eſt crucifixus, Sol nequaquam radios releuaſſet, nec terra mota reſediſſet, ſed tu cui parent omnia, ſis mei memor in regno tuo Domine.] Eadem denique habet S. Hieronymus.

[a] *Matthei* 27. [a] Et ſanè quid aptius ad diffractionem non abiecti à Deo animi quàm tot mirabilia tunc patrata non læua mente, perſpicere? Vſurpabo hîc egregium locum Auctoris de operibus Chriſti Cardin. [b] [Quem non fragor ille mundi terreret; quando terra tremuit, Sol expalluit, & radios lucis ſuæ Sol contenebratus abſcondit? Ipſa monumenta, lapides

[b] *ſerm. de reſurr.*

ſibi

ſibi ſuperpoſitos prodiderũt, & indignata ſuperior & inferior plaga, tenebris & motibus, compaſſionis ſuæ & vehementis anguſtiæ indicauerunt affectum: nec ſuſtinuit intueri mundus perfidię Iudaicæ ſcelus: & viſa ſunt inſenſata elementa, ſenſu vti abundantiore, quàm homines, quibus ſecundùm naturã ratio inerat, & crudeliores extitère feris, abutentes intellectu.] Verè omnino de Iudæorum exoculatione & obfirmatione philoſophatur antiquus hic ſcriptor. Nam planè ex voluntaria intellectus cæcatione, & quæſito ſponte eius abuſu, obfirmatio aduerſus Chriſtum exorta eſt in Iudæis. Latro ergo non abuſus intellectu, & tot prodigia dehiſcentis propè orbis conſiderans, agnouit Deum indutum laceri corporis ſordido amictu. Ita plerique.

Non eſt tamen opus longa oratione vt hæc ſententia conuellatur, cámque videtur præcludere voluiſſe S. Leo, verbis ſuprà allegatis, cùm miratus vnde Latro fidei concipiendæ occaſionem ſumpſerit, animaduertit ea ipſa quę mox erant gerenda, tenebras inquam ſubitas,

&

& de meridie fugientem Solem, terræmotum, diſruptionem, aliáque huiuſmodi oſtenta nondum adfuiſſe. Ex narratione certè Euangelica perſpicuum eſt, latronem viuo adhuc Chriſto conuerſum. Et tamen ſi ſolis defectionem ac tenebras excipias, quas etiam Lucas conuerſioni Latronis ſubiungit, cætera illa prodigia, mortuo iam Chriſto contigerunt. Quare neque hîc ſiſtere licet.

18. Aliam cauſam profert S. Hilarius, [a] ſic ſcribens de Chriſto, & eum precante Latrone. [Latro rogat vt ſui in regno ſuo meminerit, & credo eum ad hanc beatæ confeſſionis fidem, auditus trãſeunte palmas clauo, gemitus accendit, & regnum Chriſti, per dolorem infirmitatis in Chriſti corpore didicit.] Quomodo gemitus Chriſti in cruce, latronem ad credendum permouerit, niſi ſi ratione fortitudinis in tanta perpeſſione patefactæ? Et ſanè S. Ambroſius, [b] tractans illud *ſonuerunt & turbatæ ſunt aquæ eorum, conturbati ſunt montes in fortitudine eius*, hæc verba habet, quibus viam aperit huic ſententiæ circa cauſam conuerſi Latronis. [Sonuerunt, & turbatæ ſunt

a *lib. 11. de Trinit.*

b *in Pſal. 45.*

ſunt aquæ in Domini paſſione. Vnde & dictum eſt. *Quare fremuerunt gentes & populi meditati ſunt inania.* Et alibi ſcriptura dicit: *periit memoria eorum cum ſtrepitu* Diabolus ſonum quærit, Chriſtus ſilentium. Denique *ſicut agnus coram tondente ſe, ſic non aperuit os ſuum.* Et alibi: *Non clamabit, neq; contendet, nec quiſquam audiet in plateis vocem eius, donec eijciat in victoria iudicium.* Quæ eſt iſta niſi de ſerpente victoria? In hac fortitudine Filij Dei, cõturbati ſunt montes, cùm diaboli & miniſtri eius, viderent mortuos reſurgentes. Iſti ſunt montes qui turbantur. Illi, montes qui transferuntur in Paradiſum, quibus dicitur: *Hodie mecum eris in paradiſo*]Significat Ambroſius, & bonos & malos montes, turbatos & commotos, ac etiã tranſlatos eſſe. Sunt enim & montes mali qui herbas ferunt in Satanæ pabulum, & ſunt veluti colles pr*ę* monte illo peſtifero, qui vniuerſam terram corrumpit. Sũt etiam montes excelſi ceruis, ſiue montes paſcuæ Dei, in quã rẽ multa pulchrè philoſophatur S. Gregorius [a] hi igitur & boni & mali montes, Chriſto patiente turbati & commoti, ac etiam excuſſi ſiue

[a] *partim 30. moral. c. 28 & 29. partim lib. 33. c. 1. & 2.*

ue tranſlati ſunt , iuxta Ambroſium. Nam conturbati & tranſlati ſunt Iudæi, de phreneſi in rabiem verſi aduerſus Chriſtum. Cõturbatus item & commotus Latro Sanctus, ſed in meliùs. Quam tranſlationem & mutationem animi factam inſpecta per Latronem fortitudine Chriſti in cruce,conſecuta eſt tranſlatio in Paradiſi quietem,deriuata ex ea Chriſti fortitudine in cruce.Chriſti in paſſione fortitudinem qua latro turbatus & tranſlatus eſt,accipio apud Ambroſium, non effectiuè tantùm (vt ita dicam) ſed etiam obiectiuè. Hoc eſt, exiſtimo non tantùm docere verbis illis Ambroſium, Chriſtum fortiter operatum in Latronis anima,eũ turbaſſe & mutaſſe; ſed etiam Latronem inſpecta tanta Chriſti fortitudine, diuinitùs inde illuſtratum , concepiſſe voluntatem credendi & induendi nouam mentem. Cur Ambroſium ita accipiam,facit quod ſoleat Ambroſius S. Baſilij ſenſa conſectari. At Sanctus Baſilius eundem locum verſans , ita planè exponit turbationem montium in Chriſti fortitudine, vt dicat eos conſpecta tanta fortitudine quantam prodidit Chriſti

Chriſtus in cruce, conturbatos & mente quaſi emotos fuiſſe. [Principes ſeculi huius (inquit) ac patres, perditæ ſapientię montes, dicuntur conturbati in Chriſti fortitudine, quam ipſe in agone quo decertauit per crucem, contra eum qui poteſtatem mortis habebat, oſtendit: & veluti generoſus quiſpiam athletes, exutus veſtibus, principatus ac poteſtates vicit, oſtentuíque illos habuit confidenter, atque in ligno de illis triumphauit.]

Eadem Chriſti fortitudine, permotum præter cætera Latronem, percepta illa oratione qua pro inimicis ad Patrem ſummum animi robur iniuriis infractum prodidit, exiſtimauit Euthymius [a] & Bloſius. [b] Specimen denique tam illuſtre animi non conſternati nec malis cedentis, exhibuit in cruce Chriſtus, vt latronem & quoſcumque probos æſtimatores, permouere validè potuerit ac debuerit. Nam & Centurio in morte clamantem, & Tartaro triſte Celeuma inſonantem audiens, permotus eſt vt Dei filium confiteretur, quem cruci ſuffixum, animam exhalaſſe conſpexerat.

a *Matthæi* 27.
b *medit. de paſſ.*

19. Negari non poteſt, eximiam omnino

nino ac inſignem fortitudinē à Chriſto cruce proditam, quâ ſuſtinendo, quâ aggrediendo, quæ ſunt fortitudinis perfectiones. Nam quamuis abſcondita ibi fuerit fortitudo eius, effectibus tamen inſignibus planum fecit, ſummam animi fortitudinem in eo negotio à ſe adhibitam. Tanta enim patiens perfecit, vt auſit Chryſoſtomus [a] laudatus à Damaſceno, [b] profiteri, paſſionem Chriſti, abiecto *paſſionis* nomine, *actionem* eſſe appellandam, tam multa, tam ſtrenuè ac fortiter perfecit in ea Chriſtus. Certè propheta denuncians filiæ Sion aduentare ſaluatorem in multitudine fortitudinis ſuæ gradientem, mercedem quam pro nobis Deo Patri exhibiturus eſt, cum eo eſſe conteſtatur, & opus eius coram illo. Nouam inquam coſmopœiam, iiſdem proportione gradibus diſtinctam quibus mundi ſenſibilis opificium, diſtinctum à Deo eſt: quod ſigillatim, & decurſis primi ſenarij quo Deus mūdum fabricauit, diebus ſingulis, ac ad iſtud inſtituū aptatis, pulcherrimè proſequitur Rupertus [c].

a *hom.* 1 *in acta.*
b 3 *fid. c.* 15.
c *lib.* 5. *de diu. offic. à cap.* 9.

20. Et exhibet ſe quidem Chriſtus in cruce vermem externa ſpecie, non hominem.

minem. Verùm hic vermis, aut vt Septuaginta verterunt, Scarabæus, id quod notauit etiam Gregorius,[a] clamauit de ligno, & hoſtibus in quos conclamauit, cladem extremam intulit. Hic eſt *tenerrimus ligni*[b] *vermiculus qui octingẽtos interfecit impetu vno.* Hic vermis ille de quo per prophetam Dominus, *Noli timere vermis Iacob: Ego enim poſui te quaſi plauſtrum triturans nouum, habens roſtra ſerrantia triturabis montes & comminues, & colles ſicut puluerem pones.* Hic vermis, qui voluptariorum cucurbitam radicitùs exeſam ſiccauit, vt D. Auguſtinus[c] latè verſat, ſummam Chriſti in cruce fortitudinem egregiè ſuſpiciens. Hic deniq; vermis vt Euthymius[d] animaduertit, qui demiſit ſe eò vſque, vt hamo immitteretur, & in eſcã cederet aduerſarij, ſed magno eius malo. Nã capiẽs captus eſt, & vna cùm hac eſca exitium ſuum ac ruinam glutiuit. En quanta eius fortitudo, qui ſe vermem profitebatur in cruce per tempus paſſionis: & quòd ſe non hominem addebat præ infirmitate, ad externam ſpeciem referendum eſt, cámque carnis infirmitatem qua velut virgultum de ter-

a 30. mor. c. 29.

b 2. Reg. 23.

c Epiſt 49.

d In Pſal. 21.

ra ſitienti exortum; fragile omnino ac infirmũ, obuerſatus eſt in paſſione. Cæteroqui enim & alibi ſemper in vniuerſa vita, & in vitæ meta præſertim, virum ſe, & antonomaſticè *hominẽ* prodidit. Ita vt qua ratione olim autore Ariſtotele [a] Olympionices reportata victoria abiecto anteriore nomine, dicebatur homo abſolutè, eadem ratione Chriſtus, maximè cruci confixus, ac moriens, *hominis* & *viri* nomen iure præcipuo ſibi vendicat quod multis de more ſcripturis illuſtrat S. Gregorius, [b] tractans, & ad Chriſtum trahens, illud de Elcana *fuit vir vnus.*

a 5. Ethc.

b L. 1 in 1. reg. initio.

Agnouiſſe id Iobum, obſeruat Olympiodorus. [c] Virtutem enim patiendi ſuã præ Chriſti virtute & fortitudine patiendi in cruce cenſuit fœmineam, & indignam quæ maſcula haberetur, quamuis *adamas fortitudinis* à Chryſoſtomo [d] audiat. Itaque interprete Olympiodoro eraſum voluit è dierum albo diem illum, quo fuſus in lucem nomine pueri maſculi donatus eſſet: è noctium item ſerie expunctam noctem illam, in qua de ipſo dictum eſſet, conceptus eſt homo,

c In catena cap. 3.

d Hom 5. de patient. Iob.

mo, quod maſculum nomen profiteretur debitum vni Chriſto, præ quo nihil ſe ſubiiſſe admodùm aſperum, aut durum, agnoſcit alibi non ſemel, àc luculenter verbis illis quæ in hũc ipſum ſenſum accepit S. Auguſtinus [a] *auditu auris audiui te priùs. Nunc autem oculus meus videt te* patientem: *ideò ipſe me reprehendo, & pœnitentiam ago in fauilla & cinere.* Quaſi diceret; Nunc agnoſco, quæ patior, & abſque condignitate pati mihi videbar, tenuia omnino & exilia eſſe, nec digna fortis paſſionis nomine. Idcirco ipſe me reprehendo.

a *Lib. 1. de peccat. mer. c. 11.*

In ſimilitudinem huius lapidis durantur aquæ, de ſe non molles tantùm, ſed cuiuis incurrenti ceſſiles, vt interpretatur S. Gregorius. [b] hæc origo totius fortitudinis quorumcunque patientiſſimorum, ſiue lento ſiue ſubito martyrio exceſſerint; quod à Zacharia expreſſum, Hieronymus & Rupertus [c] annotarunt, illum eius locum exponentes. *Vidi per noctem* (tempore inquam paſſionis) *& ecce vir aſcendens ſuper equum ruffum, & ipſe ſtabat inter myrteta, quæ erant in profundo, & poſt eum equi ruffi, varij & albi.* Sunt

b 29. *mor. cap. 27.*

c *cap. 1.*

hæc perilluſtria fortitudinis in Chriſto ſuffixo ſpecimina, quorum tamen potior pars in latronis externos ſenſus non incurrit. Nempe illatum fortiſſimè mũdo ac Satanæ exitium, eáque generoſæ mentis erectio qua propoſito ſibi gaudio placandi Patris, & releuandæ miſeriæ humanæ, fortiſſimè ſuſtinuit crucem, confuſione contempta: in qua fortitudine cõturbatos dæmones, Chriſto ſeſe ad paſſionem accingente, aiebat Baſilius.

21. His ſi permotum latronem quis contendat, haud grauatè aſſentiar, ſi ſenſus ſit, non tam ex illis fortiter factis vel toleratis, quæ ſenſus externos feriebant, (quamquam & ex iis quoque iuuari potuit;) quàm ex præclaris Chriſti in cruce actibus ad viſum corporeum non pertinentibus, permotum præcipuè latronem, vt voluntatem credendi conciperet, & nouam vitam viuere, induceret in animum. [Crux illa (inquit S. Auguſtinus [a]) ſchola erat. Ibi docuit Magiſter latronem, lignum pendentis, cathedra factum eſt docentis.] Deo itaque in ſchola abdita introrſum docente,

a *Serm.* 87. *de diu.*

te,ſubitò colluſtratus latro, liquidò perſpexit, hunc quem ſecum pendentem & confixum contuebatur, omnibus cõtumeliis proſciſſum, vna propè plaga vniuerſum corpus æquante ſaucium, ipſiuſmet quóque ſannis & conuitiis oneratum,agnoſceret cœli ac terræ dominum eſſe, verum Regem ſæculorum, anterioribus Patribus tantoperè expetitum,& deſiderium collium æternorum, qui factus pro nobis Patri obediens, demiſiſſet ſemetipſum ad probroſiſſimam vſque mortem, acerbiſſimis cruciatibus angoribúſque coniunctam, vt ea ratione de ſuperbiſſimo humani generis hoſte triumphum ageret, & ſuis vulneribus totius naturæ plagas ſanaret; ſua abiectione ſuſtolleret depreſſionem noſtram; infirmitate denique illa ſua & humilitate, in qua iudicium eius ſublatum eſt,fortitudinem conciliaret nobis, ſuprà quàm naturæ modulus ferat aut exigat. Hæc latronem Spiritus ſancti vnctio docuit. His ille imbutus non liberis indiciis, ac veluti radiis à ſole iuſtitiæ affuſis colluſtratus, perſpexit quãta eſſet inſultantium in Chriſtum cæci-

tas, quanta rabies ſæuientium in authorem vitæ, nec ægrè ſuo quoque vnguine benedictionum dulcedinis cœlitùs inſperſarum delibuta latronis voluntas, illecta confeſtim eſt, vt liberè ipſamet dederet ſeſe, vellétque in Chriſtum credere, & aliam mentem induere: Quod & præſtitit omni illicò compendinatione præciſa, & conculcato vano timore ex aſtantium iudiciis, ac emotione mentis exprobranda.

22. Hanc permoti tã mirabiliter latronis, germanam cauſam, ſapienter attigit S. Leo, eo loco quo difficultatem mutati in latrone animi expendit vt iam retulimus. Cùm enim oſtendiſſet, non vidiſſe Latronem miracula à Chriſto patrata, forſitan nec audiuiſſe: Sed neque ea quæ mox ſecuta ſunt oſtenta, illum impuliſſe in eam mentem cùm necdum exiſterẽt: hæc inquam cùm præmiſiſſet S. Leo, ita concludit. [Inde ergo oriebatur hoc donum, vnde accepit fides ipſa reſponſum.] A Deo inquam, ad crucifixi Chriſti ſpeciem oculis obuerſantem, Latronis animum interiùs colluſtrante, & afficiente prout illi congruum erat, vt

vellet

vellet credere & reſipiſcere. Eodem planè confugit Cyrillus Hieroſol. [a] expendens ſubitam Latronis mutationem & conuerſionem, Subdit enim [Quę virtus te illuminauerit ô Latro; quis te docuit adorare contemptum, & ſimul cruci affixum? ô lumen perpetuum illuminans obſcuratos!] Hæc eſt fragrantia illa vitalis, in qua cucurriſſe S. Latronem, tractum in odore vnguentorum Chriſti, affirmat S. Bernardus [b] annuítque S. Anſelmus, cuius illa ſunt ad Deũ inſignia. [c] [Trahe me dulciſſime Domine, trahe me, & deſiderium meum poſt te, vt ego ſentiam virtutem crucis tuæ in me. Sentiam ſaluator meus, virtutem, & odorem qui eſt de cruce tua: ſicut ſentiebat latro ille qui dicebat: *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Viderat forſitan latro iſte te, antea cæcos illuminantem, vel mortuos ſuſcitantem, & non adorauerat te. Tũc verò quando videt te pendere in ligno, adorat te dicens. *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum.* hoc fecit in illum crux tua, quod non potuerunt facere miracula tua. Veriùs enim, & perfectiùs cognouit iſte te in

a *Catech.* 13.

b *ſerm.* 23. *in Cant.*

c *Alloq. cœleſti* 13.

cruce pendentem, quàm in templo docentem, aut miracula faciẽtem. O quanta eſt virtus crucis tuæ? quanta eſt gloria pendentis in ligno? Latro iſte vbi vidit tuum lignum, mox cognouit tuum regnum: & vbi te pẽdere aſpexit, ibi quòd regnares intellexit. O quantus odor de cruce exibat, qui omnem infidelitatem ab eo repellebat. O quàm dignè vocabat te Dominum ſuum, qui veraciter ſciebat ſe ſeruum tuum, quia oculis ſuis intuebatur pretium, quo redimebas penitus mundum vniuerſum.]

Mutati per gratiam & ad credendum excitati Latronis, ordo ac modus ſingularis: fidei inde conceptæ partus ad miraculum eximius, educitur.

CAPVT VII.

VT omnia præmiſſa perſpectiora fiant, operæ pretium eſt veſtigare progreſſum quo diuina gratia conuerſionem Latronis operata eſt, & quid

quid in eo peculiare præſtiterit diuina manus,explorandum. Verùm quia duo in Latrone diuinæ benignitatis ac potentiæ opera cõcurrerunt, nempe inductio ad fidem in Chriſtum, & ad dolorem de anteriore vita concipiendum, ſeorſim de vtroque diſſeremus,initio facto à motione ad fidem, quæ anterior eſt,& ad omnem ſupernaturalem actum liberum præſupponitur.

Præmittendum ergo eſt ex rudimentis doctrinæ de fide, ante credendi voluntatem, duplicem notitiam iudicatiuam eſſe agnoſcendam: Alteram naturalem,ſupernaturalem alteram.Prior eſt quæ naturaliter formatur ex penetratione motiuorum extrinſecorũ. Inde enim exiſtere naturale aliquod iudicium, exhibens conuenientiam & honeſtatem volitionis indicentis actum fidei, nemo diffiteatur qui aduerterit iudicium illud quod dico,in præſentia, euidens eſſe & niti motiuo naturali ſufficienter penetrato, eruíque ex ratiocinatione naturaliter euidente,qua monſtratur, quæ ſufficienter proponuntur; (cuiuſmodi ſanè ſunt ea pro quibus extrinſeca motiua

ſuppetunt, tam varia præſertim, támque luculenta,) omnino eſſe credibilia. Vnde optimè ſubſumitur, bonum eſſe velle præſtare illis aſſenſum, ob reuelantis au-ctoritatem. Nam ſi obiectum, eſt benè & honeſtè credibile, quod ratiocinatione illa concluſum eſt, rectè ſequitur, actum quoque ipſum credendi, honeſtum eſſe, ac proinde volitionem eius indicendi, quàm honeſtiſſimè ſuſcipi, quod eſt obiectum prioris illius iudicij quod naturale & euidēs eſſe ſtatuebam: Eſtque conſequenter neceſſariū quoad ſpeciem, & liberum quoad exercitium.

Sed hoc naturale iudicium, nequaquam idoneum eſt ad aſſenſum fidei excudendum, & affectum credendi ingenerandum in voluntate. Nam voluntas per affectum credendi ſuſtollitur ſupra altitudines terræ, & ſupra totum naturæ ordinem. Igitur ad eum affectum concipiendum neceſſe eſt, vt intellectus ſufficienter illuminetur, & luce affectui illi proportionata, ac proinde ſubſtantialiter ſupernaturali perfundatur. Atqui iudicium illud quod naturaliter exoritur ex motiuorum penetratione euidenti, natu

naturale eſt; quippe fundatũ in euidentia naturaliter percepta: Ideóq; quamuis ſufficiat ad excudendum actũ voluntatis naturalem, & proportionatum tali iudicio (nempe actum volendi credere propterea motiua,) vel ad actum volendi credere per fidem quæ præſtari poſſit ab homine ſaltem adiuto, non tamen ſufficit ad actum volendi credere merè propter Dei auctoritatem obſcuram.

2. Concedendum itaque eſt, aliud iudicium volitioni credendi præuium, vt plurimùm occaſione naturalis illius iudicij à Deo immiſſum, quod voluntati in affectum credendi ſupernaturaliter erupturæ, præluceat. Ita apertè S. Auguſtinus [a] vbi ſecernens ab actu credendi, cogitationem præuiam voluntati credendi, ait hanc quoque eſſe ex gratia, quod firmauit Conc. 2. Arauſic. [b] cùm autem hoc iudicium nequeat eſſe actus fidei, (quomodò enim ante voluntatem credendi, daretur actus credendi?) ac proinde homo priuſquam credere velit, nequeat moueri ab authoritate Dei reuelantis, vt iudicet honeſtum eſſe credere: Cùm item iudicium illud nequeat

[a] *lib. de præd. SS. c. 2.*

[b] *c. 7.*

queat aſſignari prudentiæ infuſæ, quæ vel in fide fundatur, vel à fide ipſa non differt; reſtat vt fateamur, iudicium illud eſſe inſtinctum Dei interiùs mouẽtis vt D. Thomas loquitur, [a] ſiue diuinam illuminationem, ſpectantem ad gratiam præuenientem, ac proinde factam in nobis ſine nobis; (hoc eſt abſque libera cooperatione noſtra,) ac denique claram & euidentem. Non enim eſt niſi de credibilitate obiecti, & honeſtate volitionis credendi rem euidenter credibilem. Itaque obiectum eius eſt, honeſtas volendi credere: motiuum verò eſt veritas obiectiua eo iudicio percepta, ſiue veritas honeſtatis volendi credere.

a 22. q. 2. art. 9 ad 3.

Hic eſt primus veluti greſſus ſupernaturalis, qui notandus eſt in intellectu hominis in quo concipiendus eſt actus fidei: poſſumúſque non incommodè admittere hunc actũ euidentẽ concipere illos oculos quos fidei prælucere ait D. Auguſt. verbis illis. [b] [Habet fides oculos ſuos quibus quodãmodo videt, verũ eſſe quòd nondũ videt, & quibus certiſſimè videt, nõdũ ſe videre quòd credit.] Videt enim homo per hoc iudicium, &

b Epiſtol. 222.

clarè

clarè abſque offuciis vllis contuetur, honeſtùm eſſe, velle credere rem obſcuram nec niſi credibilem, quantum eſt ex vi motiuorum naturaliter penetratorum. Ratione item huius actus euidentis, ad actum fidei obſcurum prærequiſiti, fides à Damaſceno [a] appellatur, *nubes lucida*; Nubes ob tenebricoſitatem, lucida ob actus ad eam præuij & cum ea connexi claritatem. Hæc igitur eſt prima ſupernaturalis lux perfundens intellectum. Notitia autem quæ anteceſſit, pertinet ad ſolam gratiam externæ prædicationis & cognitionis naturaliter ad eam excitatæ, in qua perperàm hærebat Pelagius, & ante Pelagium Ticonius referente & improbāte Auguſtino [b]. Deus tamen qui ſuauiter omnia diſponit, ex hoc ſilice ignem vt plurimum excudit, & per occaſionem naturalis illius actus, vegetans & erigens naturam, quæ non poſſet vlteriùs ſuſtolli, immittit illud ſupernaturale iudicium quod deſcripſi, abrepto intellectu vt ſic pronunciet de honeſtate volitionis credendi. Dixi vt plurimum ita accidere, quia Dei potentia nō aſtringitur vllis legibus, potéſtque facilè

a *oratio. de Transfig.*

b 3 *de doctr. Chriſt. c. 33.*

facilè intellectum fœcundare ſupernaturali illo fidei pariendæ ſeminio, quamuis nulla præceſſerit naturalis notitia intra ſuum ordinem idonea, qualem primo loco deſcripſi hauſtam ex iis quæ extrinſecùs apparent, & naturaliter inde excitatam.

3. Iudicio illi ſupernaturali quod propoſui, dixíque pronunciare de honeſtate voluntatis credendi, ſubiungitur ipſa credendi volitio, quæ triplex poſſet diſtingui. Nempe prima naturalis, commenſa naturali iudicio cōcepto ex euidenti penetratione motiuorum extrinſecorum. Secunda ſupernaturalis non libera, quæ eſt guſtus quidam & prima ſuauiatio boni, immiſſa à Deo, blandè titillante voluntatem, vt vltrò ipſa dedat ſeſe. Nam ſicut ex parte intellectus, ponitur præuentio quædam diuina qua neceſſariò iudicatur honeſtum eſſe velle credere, ita quod optimè aduertit S. Bernardus,[a] neceſſe quoque eſt, voluntatem perfundi diuinitùs, ac præueniri in benedictionibus dulcedinis. Tertia denique volitio eſt ſupernaturalis, ſed libera, prodiens ex voluntatis dominio. Nam

a *Serm.* 1. *de Pentec.* ſub finem.

Nam ex quo voluntas præuio lumine radij intellectualis, fœcundata eſt ſeminio inſpirationis non liberæ, facta eſt potens ad huiuſmodi volitionem cooperante Deo excudendam, qua immediatè feratur in actum diuinæ fidei, vt elicibilem ex puro motiuo diuinæ authoritatis. Eſtque is actus, omnino neceſſarius ad aſſenſum fidei fabricandum, qui cùm ſit obſcurus ac ineuidens, indicendus eſt per voluntatem determinantem intellectum vt erumpat in actum, ad quem neque ex terminis per ſe perſpicuis determinatur, neque ex euidentia præmiſſarum, quæ ex hoc negotio prorſus exulant.

4. Ex his perſpicuum eſſe poteſt, quo ordine & progreſſu, fides actualis in aliquo anteà infideli exoriatur. Pręmittitur enim auditio myſterij de quo cõcipienda eſt fides: quæ auditio pertinet ad gratiam extrinſecam, & dicitur gratia reuelationis ſeu prędicationis, quam Pelagius non reiecit, ſed malè in ea hæſit. Quanti autem ſit vſus ea gratia ad hoc negotium videndum, latè Medina [a] demõſtrat. Prædicatione poſita, & naturali verbo

[a] *Toto lib. 3. parænes.*

verborum auditione, ac in intellectu excitata ſimplici rerum annunciatarum apprehenſione, item naturali; ſubſequitur propoſitio motiuorum queis homo indúcatur vt iudicet prudenter, res illas eſſe credibiles, non deſcendendo in particulari ad modum quo credendæ ſunt. Et huc vſque natura ſibi ſufficit. Hinc autem iam incipit gratia diuidi à natura, & ſeorſum ab ea progredi. Nam ſi natura ſibi relinquatur, iudicium ex motiuis illis extrinſecis expreſſum, tale erit vt ſollicitet ad volendum credere ex vi eorum: Vnde aſſenſus ſubſequens, atque adeò etiam volitio aſſenſum illum indicens, erit naturalis. Si autem iudicium, motiuorum penetrationem ſubſequens, aſſurgat ad altiorem & certiorem credendi modum, quàm ſit is ad quem motiua ex ſe ipſis poſſunt impellere; nimirum ſi iudicium illud, pronunciet veritatem propoſitam dignam eſſe, cui voluntas indicat credendum firmiùs, quàm ferat vis illius anterioris diſcurſus; Itémque dignam eſſe veritatem propoſitam, cui aſſenſus præbeatur ob meram Dei autoritatem,
quam

quamuis neque ea auctoritas,neque eius connexio cum veritate propoſita, clarè videatur; Tunc Iudicium illud eſt opus gratiæ internæ prçuenientis, eſtque neceſſarium, etiã quoad exercitium. Item eſt ſimplex,non diſcurſiuum, habétque pro motiuo veritatem illam quam exhibet. Notitiam verò motiuorum extrinſecorum, ſupponit tantùm vt conditionem non præcisè neceſſariam, ſed ad ſuauiorem progreſſum.Huic ſupernaturali iudicio adiungitur in voluntate proportionalis præuentio,ſiue ſuauitas,quæ iuncta iudicio prędicto integrat gratiam excitantem,ſiue vocationē,ex illa intellectus illuminatione & voluntatis inſpiratione conflatam, qua homo ſollicitatur ad volēdum liberè decernére actum fidei. Quòd ſi ipſe ei ſollicitationi non reſiſtat,eámque nō abiiciat,(poſſe enim eam abiicere ſanxit Tridentinum,[a])ſubſequitur ad illam volitio libera, indicens exercitium actus fidei in quem demum erumpitur, Deo per gratiam adiuuãtem roborante potentiam, & ad operandum ſupra naturæ vires ſuſtollente.Hoc prògreſſu concipitur. & paritur fides in iis

[a] *ſeſſ. 6. can. 4.*

qui primùm credunt. Eundémque progreſſum obſeruari in iis qui ex habitu operantur, nec tum primùm credũt, ſed fidem habitualem qua pollent, ad actum reducunt, perſuaſum habeo, vt facilè confirmari poſſet contra quoſdam recentiores, niſi id alienum eſſet à re præſenti, quæ ad fidem à S. Latrone primùm conceptam dirigitur.

5. Sic iactis fundamentis firmiſſimis, de modo quo ſecundùm receptũ vſum, & conſuetam legem, fides concipitur ab iis qui primùm fide imbuuntur facilè inſuper erit ſuperſtruere, id de quo nũc agimus: nempe quàm ſingulari, imò admiranda, & miraculi plena ratione, S. Latro excitatus ſit ad fidem. In primis enim nulla præceſſerat auditio externa, vt videatur hîc abrumpi & deficere lex ab Apoſtolo fixa[a] *Quomodo credẽt ei quem non audierunt?* Qui verò eum priuſquàm in vincula coniiceretur, prædicantem Chriſtum audiiſſe, & miracula patrantem conſpexiſſe prodũt, in dubio etiam relinquentes an credidiſſet iam ante in Chriſtũ, de ſuo capite hæc omnia comminiſcuntur contra Euangelicam narrationem,

a Rom. 10.

tionem,quę eius anteriores blaſphemias non tacuit. Apertiſſimè verò contra Patres,qui diſertè,cum priùs crediđiſſe negant,aut miracula conſpexiſſe,vel etiam aliquid inaudiſſe de Chriſto, quaſi hic homo eſſet ille Meſſias tantoperè expectatus,iuxta illud S. Leonis, [a] [vſque ad crucem reus, fit Chriſti repentè confeſſor.] S. item Gregorius [b] ait, Latronem ſubita repletum gratia, fidem accepiſſe in cruce.Eadẽ diſertè Eucher. [c] & Gaufridus Vindocin. [d]: Itaque planè rudis Chriſtianæ fidei, raptus eſt ad patibulum:nec ſi quid audiuerat,vel viderat ad Chriſti decus & honorem faciens, illud altè in pectus demiſerat,vel aſſenſu pręſtito exceperat, vt ſannæ illæ à iam pendente in Chriſtum intortæ,apertè monſtrant.

a *ſerm.2. de paſſ.*
b 18 *mor. c.23.*
c *ſerm. de beato Latrone.*
d *ſerm.10.*

Iam verò præter deficientem hoc loco externam prędicationem,eíque connexam auditionem naturalem, de communi lege antecedentem ad ſuſceptionem fidei, defecit quoque ea motiuorum extrinſecorum vbertas, quæ ſolet recens fidem capeſſentes permouere,& remótiſſimè aptare ſubiectum, vt exci-

piendæ diuinæ ad fidem diſpoſitioni, ſit accommodatum. Nam quamuis perſuaſio ex motiuis fidei extrinſecis concepta, (quippe naturalis,) non ſit diſpoſitio connaturalis ad fidem, eſt tamen aliqua ſubiecti in alio genere ac ordine præparatio, quam Deus ſuauiter diſponens omnia, ſolet premittere, vt homo per lumen ſupernaturale præueniens quod prælucet, & gratiam cooperantem quæ ſemper eſt ad manum, in actum fidei poſſit erumpere. Atque ita videmus, Ethnicos qui Chriſtianis inſtitutis imbuuntur, vel hæreticos cùm ad fidem reuocatur, huiuſmodi motiuorum denſis aciebus velut expugnari, qualia plurima proferunt Patres illi, qui feruente perſecutionum æſtu, apologias pro religione Chriſtiana ediderunt, & latè recenſentur à Medina, [a] nempe Iuſtinus, Athenagoras, Minutius, Arnobius, Clemens Alex. Tertullianus, Lactantius, Euſebius, Cyrillus Alex. Et ex recentioribus, Viues, [b] Hieronymus Saiouarola, [c] Petrus Ribad. [d] Gregorius de Valentia, [e] & paſſim hæreſeologi, aſſignantes veræ Eccleſiæ notas, & ſigna, quæ ſpiſſo volu

a 1. p. ar. in c. 4.
b in opere de veritate religionis Chriſtianæ.
c libris 4. eiuſdem argumēti
d l. 1 de principe à c. 5.
e in Analyſi.

volumine cõplexus eſt Thomas Boſius.

6. Hæc omnia ſi externã faciẽ ſpectemus, defuerunt hoc loco. Imò contraria omnia obuerſabantur latroni. Nó enim tantùm carebat pellicientibus ipſum argumentis, ſed habebat auocantia quamplurima: Iudicium præſertim ſapientiſſimorum Hebraici populi, quos Chriſto inſultantes conſpiciebat; imbecillitatem morientis; præſumptionem ex ſupplicio irrogato, & ad mortem turpiſſimam cōndemnatione; aliáque nō pauca auocamenta, à fide de huius hominis diuinitate. Itaque planè oportuit, Deum in tãta extrinſecæ doctrinæ & manuductionum ad fidem ſterilitate, ſingulari modo & ad miraculum accedente, latroni interiorem aurem aperire per ſe ipſum: & in ſchola interna, per inſtinctũ potentiſſimum, (tametſi ſuauem & eluctabilem,) aptare profligatiſſimam illuc vſque, & hactenus à fidei ſanctitate alieniſſimam, perditiſſimi hominis voluntatem, ad indicendum fidei aſſenſum. Quod externæ auditionis ac doctrinæ ſupplementum, quamuis alibi interueniſſe, admittat Diuus Thomas [a] non ta-

[a] *Quodl. 2. art 6.*

men arbitror, alibi vſpiam repertum iri tale ac tantum. Nam alibi alicui mediocritati externæ doctrinæ, & motiuorum extrinſecorum parcitati, adiungitur ſupplementum inſtinctus diuini, explens quod aberat ex parte, illius ad fidem manuductionis quæ mutila tantùm interuenerat. At hîc omnis illa manuductio deſiderata eſt, vel propè omnis. Quare nulla ratione negari poteſt, quin latronis ad veram fidem deductio, cum tam tenui apparatu, vel etiam nullo, præter ordinarium morem, plena miraculi & omnino eximia videri debeat.

Augeſcet verò ſupra modum admiratio, ſi nihilominus præcellentiam fidei à S. Latrone cõceptæ accuratè perſcrutemur. Qua in parte duces habemus SS. Patres, qui copioſi & frequentes ſunt buccinatores laudum fidei à Latrone conceptæ, vt propterea ſatius videatur dimiſſis commentationibus noſtris, ipſas quorumdam Patrum cogitationes verbis eorum conſignatas appendere Theoph. Alex.[a] illud Latronis ad Chriſtum, *memento mei*, vocat voçem *fidei plenam*. Breuiter, ſed plenè ſi ſenſum ſpectes,

a *Epiſt. 2. Paſch.*

ctes, paucarum vocum.

7. Eam parcitatem verborum, ſuppleo ex Chryſoſtomo.[a] [Vis Latronis citiùs audire virtutem? Quando eum Petrus negabat in terra, Latro cõfitebatur in cruce. Primus diſcipulus, puellæ viliſſimæ minas tolerare nõ potuit, & Latro ſuſpenſus, vndique populum circumſtantem deſpiciens, oculis fidei, cælorũ Dominum pura mente cognouit, dicens; *Memento mei Domine cùm veneris in regnum tuum.* Nec tranſitoriè iſtum prætereamus Latronem, neque erubeſcamus talem accipere magiſtrum: quẽ non erubuit Dominus noſter primùm introducere in paradiſum. Nec pudeat nos eius magiſterium, qui cæleſtem cõuerſationem, ante omnes meruit primus. Nõ dixit ad eum ſicut dixit ad Petrum: *veni ſequere me, & faciam te piſcatorem hominum*: nec dixit ad eum, ſicut dixit ad duodecim diſcipulos: *Sedebitis ſuper duodecim ſedes, iudicantes duodecim tribus Iſraël.* Nihil admirationis oſtendit; non mortuos reſuſcitauit, Dæmones nõ fugauit, non martyres prouocauit, nec vllum ei fecit Dominus de cœlorum re-

[a] *Hom. de Latro.*

gno ſermonē, nihil de gehenna locutus eſt; & ante omnes eius imperiū confitetur.] Eadem verbatim repetit alio loco.[d]

a Hom 1. de cruce & Latrone.
b Hom. 2. eiuſdem argumenti.

Rurſus verò alibi [b], cauſam veſtigauit cur Deus nemini anteriorum SS. paradiſum promiſiſſet, non Abrahamo, non Moyſi, non alij vlli veterum, ſed tantùm Latroni: & Abrahamo quidem, terram quam monſtrabat, Moyſi verò terram quoque lacte & melle manantem, pollicitus ſit, reſpōdet in hunc modum. [Credidit Abraham Deo, ſed credidit ei de cœlis loquenti, & per ſanctos Angelos ſermonem proferenti, & ex propria authoritate legem danti. Credidit & Eſaïas, ſed in gloria conſiſtenti: *vidi enim,* inquit, *Dominum ſedētem ſuper thronū excelſum & eleuatum.* Credidit & Ezechiel, ſed & ipſe Dominum ſuper Cherubin contemplatus eſt. Crediderunt reliqui prophetæ, ſed diuerſo modo Dominum gloriæ intuentes, ſicut videre poſſibile humanæ erat naturæ. Credidit, ſicut dixi, & Moyſes, ſed de medio ignis loquenti, & in tubæ clangore, & in tonitru quæ & infidelem poterant prouocare. Hæc autem dico, non vt Sanctis

dero

derogem; abſit; ſed propter eum qui ſolus per verbum meruit paradiſum. Iſte ergo vidit Saluatorem; non ſuper throno regali, non adorari in templo, non loquentem de cœlis, non per angelos diſponentem: ſed in pœna ſociatum Latroni. Videt in tormentis, & tanquam in gloria adorat; videt in cruce, & rogat quaſi in cœlis ſedentem. Videt condemnatum, & regem inuocat, dicens: *Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Crucifixum vides, & Regem prædicas? In ligno pendere cernis, & cœlorum regna meditaris? O admiranda Latronis conuerſio. Nunquid nam ſcripturas legiſti, ab iniquitate non ceſſans? Nunquid nam prophetas audiſti, homicidia exercens? Nunquid nam diuinum audiſti ſermonem, quando ad cædem gladium acuebas? Vnde eruditus es talia philoſophari de Chriſto? Iudæi crucifixerunt, qui nouerunt legẽ, & prophetas legerunt: & tu horum ignarus, Deum vocas condemnatum & adoras crucifixum? Quis te erudiuit, ô Latro, talia de eo dicere?] Non eſt quò vltra efferri poſſit fides S.Latronis, cùm ante-

feratur fidei Abrahæ, quem fidei noſtræ Patriarcham, indigetat S. Irenæus.[a]

a L. 4. cap. 38.
b Serm. 45.
c Hom, 1. de Latrone.

8. Pulcherrimè item de latronis fide, Ambroſius[b], ſeu veriùs Maximus Taurin.[c] {Tantã gloriã latroni fides præſtitit. Fides enim eſt quæ peccata cooperit, quæ vincit crimina, quę facit de latronibus innocẽtes. Quãuis enim delinquentium grandis culpa ſit, fidei tamẽ maior eſt gratia. Plus enim crediſſe Chriſto, quàm ſæculo deliquiſſe, & plenioris eſt meriti veniam ſperaſſe de Domino, quàm culpam contraxiſſe de mundo. Sicut enim perfidia criminoſum fecit, ita fides perfecit innocentem. Denique Iudas poſteaquam fidem perdidit, innocentiam apoſtolatus amiſit. Omnium enim criminum reus factus eſt, poſteaquàm virtutum omniũ Dominum denegauit. Sicut ergo ſufficit iſti ad ſcelera, deſeruiſſe Chriſtũ, ita illi ſufficit ad innocentiam, Domino crediſſe. Facit igitur & fides innocẽtes latrones, & perfidia Apoſtolos criminoſos. Magna igitur & perfecta fides, in illo latrone fuit. Magna planè eſt & admirabilis fides, quæ Chriſtum crucifixum glorificari magis credidit,

didit, quàm puniri. In hoc enim forma totius ſalutis eſt. Saluatorem tunc maieſtatis Dominum recognoſcit, cùm videtur humilitatis patientia cruciari. Vnde ait Apoſtolus: *Si cognouiſſent, nunquam Dominum maieſtatis crucifixiſſent.* Hæc inquam perfecta fides eſt, Chriſtum in cruce reum non credere: vnde ille latro iuſtificatus eſt, quia Saluatore in patibulo conſtituto, Iudæis inſultantibus, & vel criminoſa dicentibus, *Libera teipſum ſi potes*, ille certus de diuinitate eius, & ſecurus de voluntate, ſe magis poſtulat liberari. Magna, inquam, fides in illo latrone fuit, & ſanctis Apoſtolis comparanda, niſi quòd & fortè præceſſerit: Præceſſit enim deuotione, qui præceſſit & præmio. Prior enim latro ad paradiſum, quàm Apoſtoli peruenerunt. Denique Petrus Dominum ſequitur, & iſte comitatur. Dominus autem ſecundùm fidem & meritum, tribuit & remunerationis obſequium. Omnes enim, ſicut legimus, in paſſione Saluatoris diſcipuli trepidarunt. Omnes eum penè, cùm traderetur reliquerunt: factum eſt ſicut ſcriptum eſt: *Percutiam paſtorem, & diſper*

diſpergentur oues gregis. Denique fidem Petrus nec admonitus potuit cuſtodire; totiens lapſus eſt, quotiens ne laberetur admonitus.]

9. Non ſemel in eodem campo excurrit Auguſtinus.[a] [Tūc latro pendens cum Domino (inquit alicubi,) credidit in Chriſtum, quando de illo diſcipuli titubauerunt. Contempſerunt Iudęi, mortuos ſuſcitantem, non contempſit latro ſecum in cruce pendentem.] Et alibi. [b][Recolamus fidem Latronis, quam non inuenit Chriſtus poſt reſurrectionem in diſcipulis ſuis. Pendebat in cruce Chriſtus, pendebat & Latro. In medio ille, illi à lateribus. Inſultat vnus, credit alter, iudicat melius ille. Ille enim qui inſultabat, hoc dixit. *Si Filius Dei es, libera te.* Et alius ad illum. *Tu non times Deum? ſi nos propter facta noſtra meritò patimur, ipſe quid fecit?* Et conuerſus ad eum. *Memento*, inquit, *mei Domine dum veneris in regnum tuum.* Magna fides! huic fidei quid addi poſſit ignoro. Titubauerunt qui viderunt Chriſtum mortuos ſuſcitantem, credidit ille, quem videbat ſecum in ligno pendentem. Quando illi

a *Serm. 109 de temp.*

b *ib. ſerm. 144*

tituba

titubauerunt,tunc ille credidit,Qualem fructum Chriſtus, de arido ligno percepit?]Et alio loco.[a][Acquiſiuit latro in dolore, quod Petrus perdiderat in timore, ſcelus admiſit,crucem aſcendit, cauſam mutauit,Paradiſum comparauit. Meritò omnino cauſam mutauit, qui non contempſit in Chriſto ſimilitudinem pœnę: Iudæi contempſerunt miracula facientem, ille credidit in cruce pendentem. Conſortem crucis agnouit Deum, & in regnum cœlorum Latro violentus credendo vim fecit. Tunc in Chriſto Latro credidit, quando fides Apoſtolica trepidauit.][b] Pulchrè denique ad illud, *labia mea non prohibebo*,poſt aliqua de iis qui labiis tantùm non corde annunciant.[Sona labiis propinqua corde. Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Qualis ille latro inuentus eſt pendens in cruce cum Domino, agnoſcens in cruce Dominum. Alij non cognouerunt miracula facientem, agnouit ille in ligno pendentem. Erat ille confixus omnibus membris, manus clauis inhærebant, pedes transfixi erant, totum corpus

a *Serm. de Ss. Caſto & Æmilio.*

b *in Pſal. 39.*

pus

pus adiũgebatur ligno, Corpus illud non vacabat cæteris membris, lingua vacabat & cor. Corde credidit, ore confeſſus eſt. *Memento*, inquit, D*omine, cùm veneris in regnum tuum.* Salutem ſuam longè futuram ſperabat, & poſt longum tempus accipere contentus erat. In longum ſperabat, dies non eſt dilatus. Ille dixit: *Memento mei dum veneris in regnum tuum.* Ille reſpondit: *Hodie mecum eris in Paradiſo.*]

10. S. Paulinus [a] tranſmittens ad eum, magnum (vt ait) in modico munus, & in ſegmento penè atomo haſtulæ breuis munimẽtum ſalutis præſentis, & pignus ęternæ; perexiguam inquam particulam crucis dominicæ, ſperare ſe ait, vt illius inſpectio, fidem Seueri etiã de recordatione beati illius Latronis accendat, qui benè verſo latrocinio, longas in magnis laboribus Sanctorum vias, de momenti fide, & momento confeſſionis anticipans, non immeritò ante ipſos Apoſtolos & Martyres, præparatum ipſis ab initio regnum primus inuaſit, & pius cœli prædo diripuit. Quia Chriſtum crucifixum ſimilitudine ſuæ pœnæ videns in eo

a *epiſt.* 11. *ad Seuerũ* in fine.

eo ſtatu, de quo etiam diſcipulorum fides turbata nutauerat, Dominum tamen Majeſtatis (vt erat) confeſſus eſt: & petens in regno Dei memoriam ſui fieri, gloriam reſurrectionis ante ipſam reſurrectionem credidit: quam Apoſtoli, poſteaquam facta eſt, non tantùm videndo, ſed experiendo crediderunt.]

Eucherius [a] fidem S. Latronis egregiè expreſſit, expendens Latronis meritum. [Non ſine cauſa tantum meruit; videamus quo tempore fidelis apparuit. Ecce inter ſigna, atque virtutes, atteſtantibus miraculis, & acclamantibus, aliquoties in diſcipulis mens iam robuſta titubauit: & nunc Chriſti ſuppliciis quodammodo contradicentibus, in Latrone fides nouella conualuit. Sub ipſo paſſionis tempore, ab ancilla interrogatus vnus ex diſcipulis Beatus Petrus, peculiariùs Chriſto cognitus ita reſpondit: *non noui hominem iſtum:* & iſte qui ante nõ nouerat, exclamat: *Memento mei Domine, cùm veneris in regnum tuum.* Quàm ſingularis, & quàm ſtupenda deuotio! ſub illo tempore credidit reus, quo negauit electus. Laudabilius

[a] *homil. de latrone.*

lius hoc itaque in Latrone, ac magnificentius fuit, quòd hominem addictum, & inter extrema deficientem ſupplicia Dominum credidit, quàm ſi inter virtutũ opera credidiſſet. Non itaq; ſine cauſa tãtũ meruit. Aduertamus pleniùs quo tempore Dominum cõfitetur. Feruebat impietas perſequentium, exultabat impietas blaſphemantium, contritio liuoris, & vulnera, Chriſtum ſolũ hominem demonſtrabant: Sacrarum manuum in lignum crucis extenſio, & reuerenda confixio, quæ cõdemnabat Adæ, & Euę manus, ad interdictum ligni cibum, ingemiſcenda ſæculis tranſgreſſione porrectas: Hæc inquam confixio per omnia infirmitatem hominis aſſerebat. Illiſæ per latus lanceæ treměda perfuſio, quãtum oſtendebat hominem, tantum abſcondebat Dominum. Apoſtolis poſt diuina miracula deſperantibus, ſolus hic non adquieſcit ſcandalo mortis & crucis. Solus hic teſtis eſt maieſtatis, qui ſocius probatur doloris, & ideò adhuc in Latrone poſitus inuiſibilem Dominum Angelicis iam oculis videt. Illuminauerat credo naſcentem fidem Latro-

nis,

nis, iam credentis in Chriſtum propiùs diuinitas corporea, quæ ſe largiùs ſub momento illo peragendæ redemptionis infuderat. Videamus autem qualis fuerit ipſa deprecatio confitentis: *Memento* (inquit) *mei Domine, dum veneris in regnum tuum.* Non dixit, ſi Deus es, de præſenti ſupplicio eripe me; ſed magis quia Deus es, de futuro iudicio libera me. Quàm citò eum repleuit Sancti Spiritus eruditio? per quam futuri examinis diem cogitās, intolerabile probat eſſe quod metuit. Prædicat ſæculis iudicem, Regémque ſæculorum. Nondum diſcipulus, & iam Magiſter, atque ex Latrone Confeſſor.] Totidem verbis, hæc & alia eodem Eucherij ſermone contenta, reperire eſt congeſta in adſcriptum Auguſtino ſermonem.[a]

11. Religio ſit prætermiſiſſe elegantiſſimè de S. Latronis fide ſic diſſerētem S. Bernardum.[b] [Clamabat Latro de cruce, *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Ergo ne per ſupplicium ille vadit in regnum? Quis indicauit tibi, quoniam oportebat pati Chriſtum, & ſic intrare in gloriam ſuam?] &c. Mira res,

a *ſerm. 120 de temp.*
b *ſerm. 2. de Epipha.*

& omni admiratione digna. Propterea rogo vos, intuemini, & videte, quàm oculata ſit fides, quàm lynceos oculos habeat, diligentiùs conſiderate. Cognoſcit Dei Filium lactentem, cognoſcit in ligno pendẽtem, cognoſcit morientem. Siquidem Latro in patibulo, Magi in ſtabulo cognoſcunt, ille clauis affixum, iſti pannis inuolutum. Centurio verò vitam agnouit in morte. Iſti Dei virtutem in teneri corporis infirmitate, ille ſummum ſpiritum in expiratione: Iſti Dei verbum in infantia cognouere.] Rurſus alio loco [a] & ſubobſcurè ſub typo ſpõſæ, & diſtinctè, expreſſo Latronis nomine, quid in Christo cõtueretur fides eius, ſic aperit. [Inter hæc aduertẽda prudẽtia ſponſæ & profunditas ſermonum eius, quæ ſub figura pellium Salomonis, ſcilicet in carne rimata eſt Deum, in morte vitam, ſummam gloriæ, & honoris inter opprobria, & ſub nigro denique habitu crucifixi, candorem innocentiæ, ſplendorémque virtutum. Sicut illæ vtique pelles, cùm eſſent nigræ, atque deſpectæ, pretioſa & præcandida prædiuitis Regis in ſe ornamenta ſeruabant. Meritò nigredinem

[a] *ſerm 28. in Cant.*

dinem non contemnit in pellibus, decorem qui ſub pellibus eſt, aduertens. Et ideò quidam illam contempſerunt, quia hunc minimè cognouerunt. *Si enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Non cognouit Herodes, & ideò deſpexit. Non cognouit ſynagoga, quæ nigredinem illi paſſionis, & infirmitatis improperans; *Alios* (ait) *ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere. Chriſtus Rex Iſrael, deſcendat de cruce, & credemus ei.* Sed cognouit Latro de cruce, licèt in cruce, qui & innocentiæ puritatem confeſſus eſt: *Hic autem* (inquiens) *quid mali fecit?* Et gloriam Regiæ Majeſtatis ſimul eſt proteſtatus: *Memento mei* (dicens) *dum veneris in regnum tuum.*]

Gaufridus Vindocinenſis,[a] non modò credentem ſed etiam pro fide pugnantem Latronem proponit, quod erat incenſæ eius fidei argumentum omninò illuſtriſſimum. Et idem habet Arnoldus Abbas,[b] qui optimè quoque expendit circumſtantias huius actus credendi. [Exacuebant (inquit) linguas venenatas, blaſphemantes Chriſtum Iudæi, & conclamabant, & euomebant conuicia, &

a *ſerm.* 10.

b *tract. de Chriſti verbo.*

quaſi victores inſultabant pendenti. Fugerant Apoſtoli, ſola plebs maledicta firmatis nequam ſermonibus celebrabat ludibrium. Romanis militibus, ſeditionibus tumultuoſis cedentibus, pro poteſtate miniſterium potiùs exhibentibus quàm conſenſum. Sed & alter latro oblatranti plebi aſſentiens, quòd nec ſe nec alios ſaluos poſſet facere, teſtabatur; irridebátque comparticipem ſuum qui in eum quem in eadem ſecum damnatione videret, ſpem poneret, & nugatorium omnino videbatur, illum credere Regem vel Deum, quem ſecum oppreſſerat idem opprobrium, & ſimile tormentum. Erat itaque vnus irriſor, alter Confeſſor; vnus exprobrator, alter veterator.]

12 Quare vt finem aliquãdo faciam, actus fidei à Latrone diuinitùs tacto editus, fuit planè exellentiſſimus, ſiue materialia obiecta ad quæ porrectus eſt ſpectes, ſiue credendi firmitatem atque adhæſionem inconcuſſam. Nam quod prædicti Patres aduerterũt, Latro Chriſtum, Regem ac Dominum cæli terræque, verùm Dei filium, viuorum & mortuorum

tuorum iudicem, nube carnis circumte-ctum, & pro generis noſtri ſalute ſuffi-xum, agnouit: idque Regium nomen ſuffixo homini conceſſum indicat, iuxta S. Chryſoſtomum[a] profunditatem verbi demiratum. [Dic mihi (inquit) regnum commemoras. Quid enim regium vides? claui & crux eſt quod inſpicis. Sed ipſa Crux (inquit) regnum eſt, & ideò eum Regem nomino, quia crucifixum inſpicio. Imperatorum eſt pro omnibus mori, & Regis optimi: pro communi vtilitate nunquam recuſare ſupplicium. Ipſe dixit, quia *paſtor bonus animam ſuam ponit pro ouibus ſuis*. Et ideò Imperator bonus, animam ſuam pro his quos regit offerre feſtinat. Quoniam igitur animam ſuam pro nobis poſuit, ideò eũ Imperatorẽ voco, *Memento mei in regno tuo*.] Vox itẽ *Domini*, qua latro Chriſtũ decorauit, perſpectã illi fuiſſe Deitatẽ Chriſti deſignat, vt philoſophatur Anaſtaſ. Sinaïta[b]. En planè lynceã latronis fidẽ. [Hæc eſt fidei plena deuotio, ait S. Maximus, [c] vt cùm de vulneribus Domini profluens ſanguis cernitur, tunc de poteſtate eius venia poſtuletur: cùm videtur eius hu-

a *Hom* 1. *de cruce & latrone.*

b *Lib.* 7. *hexameri*, initio.

c *Hom.* 1. *de Latrone.*

militas,tũc magiſtimeatur eius diuinitas: cum morti addictus putatur, tunc Regis illi honorificentia deferatur. Iſte enim fidelis Latro, non credidit moriturum, quem annunciat regnaturum; non putat ſubdendum inferis,quem dominaturum confitetur in cœlo; non arbitratur eum apud Tartarum detineri, à quo etiam ſe poſtulat liberari. Cernat eius licèt hiantia vulnera; ſpectet eius ſanguinẽ profluentem, Deum tamen credit, quem reum neſcit; iuſtum fatetur, quem non meminit peccatorem. Ait enim illi alteri exprobranti latroni *Nos quidem rectè, digna enim factis recipimus, hic autem nihil mali geſſit.*] Egregiè item ac ſubtiliter apud S. Chryſoſtomũ autor [a] quidam, agnitã,& publica profeſſione à latrone expreſſam Chriſti diuinitatem, his verbis aperit. [Vide rem mirã:Latro ſocio latroni dicit, *Neque tu times Deum?* Deum ipſum prædicat, qui cum illis vltrò crucifixus eſt, ac toleranter pro humano genere patitur. De ipſo enim Saluatore dicere illum, *Neque tu times Deum,* ex iis quæ ſequuntur intellige: *Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es? &*

a Tomo 6. Græcol. orat. de cæco.

es? & nos quidem iuſtè, nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali geſſit. Hæc ideò dico, vt pro pietate laborare diſcatis, & cùm domi tùm publicè æmulationem præ vobis ferre, ac pro Chriſto decertare, vt & ab ipſo iuſtitiæ coronam accipiatis, ſicut & iſte probus Latro. Audi enim quibus verbis ſocium latronem blaſphemantem affatur: *Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es.*] Sic ille, qui poſtmodùm Arrianos Chriſti diuinitatem blaſphemantes, obiecta hac latronis confeſſione, ſuffundit.

Rectè præ cæteris, Sphæram obiectorum materialium ad quę porrecta eſt fides Latronis, ponderat Maldon [a]. ex quo profecit Alardus Gazæus ad Caſſianũ [b]. Tanta verò firmitate Latro omnia illa credidit, vt nihil veritus Iudæorum aſtãtium contumelias ac cruciatuum acceſſiones, intrepidè eructauerit quod infundente Deo combiberat, & quod corde credebat ad iuſtitiam, ore confeſſus ſit ad ſalutem. Hæc quod in prædictis Patrum teſtimoniis, expreſſa ſufficienter videantur, non eſt quod fuſiùs proſequar.

a *Matth.* 27. *num.* 45.
b *De inſtit. l.* 12. *c.* 11.

13. In hac meta obiter monendum eſt, nonnullos ex Patribus allegatis, ita fidem S. Latronis ſuſpicere, vt videantur velle eum ſola fide ſaluum factum. Hoc in Lutheri ganea ſtrenuiſſimus compotor Martinus Kemnitius [a], Diuo Auguſtino [b] affingit; ſed eadem impudenti mendacitate qua publicarum libidinum victimas, frontis perfrictione ſuperare ſolet. Videſis reuictam à Bellarmino [c] eius malignitatem. Omnium autem duriſſimè locutus videri poterit S. Chryſoſtomus, [d] cuius hæc eſt oratio, poſt multa quibus fidem eſſe opus Dei, & præſtare omnibus operibus, eſſéque ſummoperè ac primo loco neceſſariam, demonſtrarat. [Eum qui operatur opera iuſtitiæ, ſine fide non poſſum probare viuum fuiſſe, fidelem autem abſque operibus poſſum monſtrare, & vixiſſe, & regnum cœlorum aſſecutum. Nullus ſine fide vitam habet; Latro autem credidit duntaxat, & iuſtificatus eſt à miſericordiſſimo Deo.] Hoc aliquis de Geneuenſibus poppis, facilè rapuerit ad errorem de nuda ac planè ſola fide iuſtificante; tanquam Chryſoſtomus ſuffragatus

a In 2. p. exam. pag. 90. & ſequentibus.
b Lib. 4. contra Donat. c 22.
c Lib. de bapt. ca 6.
d Serm. de fide & lege Nat.

gatus ſit inſulſo errori per ipſos Apoſtolos conſoſſo in inſtabilibus illis & indoctis ſcripturarum deprauatoribus. Sic enim iſtorummet majores, appellat S. Petrus, [a] quod occaſione frequentium apud S. Paulum præconiorum fidei ſupra nuda opera legalia, quatenus expertia gratiæ & Spiritus vitæ euangelicæ, abſurdiſſimum errorem inueherent in Eccleſiam, contendentes inane eſſe, fidei vitam bonis vllis operibus prodere, & vnam fidem ſatis ſupérque eſſe ad ſalutem: quos priſcorum illorum erronum centones, mangones iſti reconcinnant immeritiſſimò, cum poſſent ex Iacobi & Iudæ epiſtolis quæ eò propè vniuerſæ collimant, vt S. Auguſtinus [b] latè proſequitur, plenam illius erroris conſciſſionem & contritionem petere: Apoſtolus autẽ, fidei non operibus tribuens iuſtitiã noſtrã, aliud rêuera noluerit, quàm radicem iuſtitiæ noſtræ prodere. [Ideò ſæpè dicit; (ait de eo Auguſtinus, [c]) nõ ex operibus, ſed ex fide nobis iuſtitiam deputari, cùm potius fides per dilectionem operetur, ne quiſquam exiſtimet ad ipſam fidem meritis operum perueniri,

a *Epiſt. 2. cap. 3.*

b *L. de fide & operibus à cap. 14.*

c *Lib. de geſtis Pelagij c. 14.*

cùm ipſa ſit initium, vnde bona opera incipiunt, quoniam vt dictum eſt *quod ex ipſa non eſt, peccatum eſt.* Hinc & Eccleſiæ dicitur in Cantico canticorum, *venies & tranſies ab initio fidei.*]

14. Cæterùm Patres prolatos ab hoc errore longiſſimè abeſſe, & fidei nomine, non fidei cadauer, quale Sectarij adamant, ſed fidem viuam & Charitate formatam intellexiſſe, adiuncta docent. Nominatímque Chryſoſtomus qui maiore inuidia flagrabat, eo ipſo loco qui difficultatem faciebat, continenter ſubdit, quam fidem, ſolam, in latrone agnoſcat ſalutis parentem. Ait enim. [Atque hîc ne mihi dixeris, defuiſſe tempus, quo iuſtè viueret, & honeſta faceret opera. Neque enim de hoc contenderim ego: Sed illud vnum aſſeuerauerim, quòd ſola fides per ſe ſaluum fecerit. Nam ſi ſuperuixiſſet, fideíque, & operum fuiſſet negligens, à ſalute excidiſſet. Hoc autem nunc quæritur, & agitur, quòd & fides per ſe ſaluum fecerit, opera autem per ſe nullos vnquam operarios iuſtificarunt.] Agit apertè de fide viua, quam idcirco tantùm, ait ſolam ſuffeciſſe; quia

præclu

præcluſa exequendi facultate, bona & fidelis voluntas, ei ad parandam ſalutem ſatis fuit. Prætérquàm quòd, quia fides eſt radix totius in nobis ſupernaturalis plantationis, non raró fidei ſolius fit mẽtio cùm neceſſaria ad ſalutem enumerantur, non excluſis idcirco connaturalibus eius germinibus. Sicut Patrem plerúmque ſolum inuocamus, non excluſis reliquis ſanctiſſimæ Triadis perſonis. Quo exemplo loca de fide ſaluante enodat Rupertus [a]. Accipienti verò ſolàm fidem in illis Patrum ac præſertim Chryſoſtomi dictis, ac ſenſum Nouatorum, illud dumtaxat ex ipſo Chryſoſtomo occino. [Quid refert ſi iuſtus fias ſed ſola fide?] ſed crãbem toties recoctam, tædet reponere. Legeſis Bellarminum [b], Sanderum [c], Vegam [d], Turrianum [e], Sotum [f], Stapleton [g]; Maldonatum, [h] Valentiam [i], Iuſtinianum [k], & Hæreſcologos alios abſque numero.

15. Illud præterea circa prolatas Patrũ ſententias de fide Latronis ſalutẽ operata, obſeruari velim, eos nõ tradere alium fidei actũ ad ſalutem eius interueniſſe, quàm ipſiuſmet Catholicæ fidei primaria,

a *Lib 7. de glorif. Trinit. c. 17.*
b *L. 1. de iuſtif. à c. 13.*
c *Toto propè l. 4. de iuſtif.*
d *L 8. in Conc. c 2. & 3. & l. 11. c. 23. & in trib primis qq. de iuſtific.*
e *4 contra Magdel. à cap. 4. ad 11.*
f *2. de nat. & grat. à cap 7.*
g *8 de iuſt.*
h *ioan. 3. num. 59.*
i *1. 2. d 8. q 5 p 4 §. 1.*
k *Iaco. 2. ad v. 14.*

ria, fidei myſteria & promiſſiones diuinas ad iuſtificationem noſtram pertinentes attingentis. Nec aliam prætereà fidem ad hoc depoſcere, cōntra quam faciunt

a 1. 2. d. 210. c. 4. & 5. Gabriel Vaſques [a] & nōnulli Vaſquem ſecuti, quibus viſum eſt, etiam de lege ordinaria, fidem ſpecialem à Catholica diſtinctam præexigi ad iuſtificationem. Nam præter fidem Catholicam promiſſionum ad iuſtificationem noſtram ſpectantium, agnoſcunt aliam fidem particularem earundem promiſſionum, à Catholica diſtinctam, qua quis abſolutè & ſecluſa conditione quam fides Catholica importabat, nempe ſi per ipſum non ſteterit, firmiſſimè, non ex motiuo primæ autoritatis, ſed ex peculiari gratiæ motione, perſuaſum habet, conferendam ſibi gratiam ſanctificantem.

Hoc reiicio ſecutus doctrinam Tri-

b Seſſ. 6. c. 6. dentinæ Synodi [b], iuxta quam fides ad ſanctitatis adeptionem præmittenda, ea tantùm eſt, qua [creduntur vera eſſe, quæ diuinitùs reuelata & promiſſa ſunt, atque illud in primis à Deo iuſtificari impiū per gratiam eius per redemptionem quæ eſt in Chriſto I E S V.] Iuxta quam

quam doctrinam, quiſquis aſſentitur vniuerſalibus promiſſionibus à Deo factis de remittendis peccatis, ſi per nos non ſteterit, eáſquè ſibi applicat ſub eadem conditione, habet eam fidem quæ neceſſaria eſt ad primæ ſalutis conſecutionem. Nulla enim præterea fides ad primam ſanctificationem conſequendã iure exigi poteſt, ſiue diuinam inſtitutionem, ſiue naturam ipſam rei ſpectes, vt conſtabit expendenti fundamenta ob quæ fides ad ſalutem primam liberè obtinendam depoſcitur. Atqui fides illa quam propoſui, eſt ipſamet fides Catholica. Nam aſſenſus, propoſitioni vniuerſali & ſingulari ſub ea contentæ ac ſufficienter propoſitæ præſtitus, ſpectat ad eandem fidem. Igitur fides ad ſalutem primam conſequendam requiſita, eſt ſola fides Catholica. Illa autem alia ſpecialis & abſoluta fides, non modò non exigitur, ſed neque admittenda eſt. Quo enim fundamento nixus perſuadebit ſibi quiſquam, indubitatò ac firmiſſimè conferendam ſibi ſanctificationem, cùm omnis illa perſuaſio niti debeat diuina promiſſione, quæ tantùm eſt cõditionata?

ta. Quare tantùm ſuppetit fundamentum ad credēdum quod per Deum non ſtabit, ſi non ſtet per nos: de cuius conditionis expletione, ambiguus ſemper eſſe quilibet poteſt ac debet; vnde redundabit formido in aſſenſum cadentem circa obiectum conditione illa veſtitum. Et verò alioqui quilibet ſanctitatem adipiſcens, teneretur ſpeciali fide credere ſe ſanctum eſſe. Illa enim ſpecialis fides certiſſima & abſoluta, quæ ad ſalutem adipiſcendam neceſſaria ſtatuebatur., non euaneſceret adepta ſalute, ſed ferretur ad credendum obtigiſſe ſibi quod abſolutè crediderat obuenturum. Atqui eiuſmodi fidem de adepta ſanctitate, nemo cuiquam conceſſerit ſecluſa reuelatione. Igitur fides illa, etiam prout ad primam ſalutem præuia, explodenda eſt, meritóque à Patribus, in Latrone ad ſanctitatem ſe diſponente, non agnoſcitur.

Inſignia reliquarum Theologicarum virtutum decora, in conuerſione S. Latronis.

CAPVT VIII.

1. EX duplici gratiæ opere in Latrone, primum quod ad intellectus perfectionem pertinet,& poſteriori voluntatem perficienti, neceſſariò præcurrit, expeditum manet. Quamuis enim in ſuperioribus, voluntatem quoque Latronis excitatam diuinitùs ad fidei actum indicendum oſtenderimus, quæ aliqua etiã, nec modica eſt perfectio voluntatis captiuantis intellectum in obſequium fidei, & Deo per ſpirituales fulgetras illucenti non obluctãtis, (quod ſanè poterat): Tamen quòd ea voluntatis perfectio, tota ſpectet actum fidei intellectu excudendum, nomine fidei continetur, & ad illam reducitur, tanquam eius acceſſio quædam. Itaque ſequitur expendenda voluntatis conuerſio ad Deum, quæ in voluntate ſiſtit: Ea inquam tractãda ſunt

S.La

S. Latronis actualium virtutum decora quæ voluntatem perficiunt. Iis porrò tractandis, gratiæ quoque in Latrone reliqua opera, & integrum iuſtificationis apparatum, qui ex intellectus & voluntatis ad Deum conuerſione contexitur, expoſita dabimus. Et quia principem locum inter eos voluntatis actus, tenent ij qui ad duas poſteriores virtutes Theologicas pertinent, ab illis auſpicabimur.

2. Præmiſſo itaque fidei aſſenſu prælucente, voluntas per actus aliquos ſuos quibus & à priore ſtatu auertitur, & ad Deum gratiæ auctorem conuertitur, diſponenda eſt ad ſanctitatem. Agit de eis luculenter Stapleto.[a] Nobis ſatis erit in S. Latrone obſeruare quæ vniuersè in adultis ſalutem primam capeſſentibus interuenire docet Tridẽtina Synodus[b]. Nẽpe inprimis diuinę iuſtitię timorem, quo homo peccatorẽ ſe eſſe intelligens, vtiliter concutitur, tanti damni ſui metu & æterna clade intentata. Tum ſpem & animi erectionem ex conſideratione diuinæ miſericordiæ, vnde fiducia exiſtit propitiãdi ſibi numinis propter Chriſtũ. Deniq; amorem Dei iuſtitiæ fontis, cum

[a] lib 5. de iuſtific. proleg. 1.

[b] ſeſſ. 6. c. 6.

cũ peccati odio & deteſtatione coniunctum. Quibus actibus in noua lege ex inſtitutione Chriſti adiungendus eſt alius, qui ad ſanctitatis comparationem ex natura rei ſpectatam non pertineret; nempe propoſitum ſuſceptionis ſacramentorum peccato ſordentium conditioni accommodatorum: Nimirum baptiſmi, ſi agatur de peccatore nondum renato; aut pœnitẽtiæ ſi qui ad iuſtitiam & ſanctitatem diſponitur, ex adoptionis matre vt cum S. Dyoniſio [a] loquar, editus ſit. Hoc poſtremum non defuiſſe Latroni, imò ſuſceptum reipſa ab eo fuiſſe baptiſmum, fuerunt qui aſſererent, cum quibus infrà agam. Nunc ſtatuendum dumtaxat eſt, ſi per Baptiſmum luſtratus non fuerat priuſquàm patibulo configeretur, quod nobis exploratum videtur, haud dubiè viguiſſe in latronis voluntate robuſtum propoſitum, ac ex ſe efficax, aut formale & explicitum, aut implicitum & in dilectione incluſum, quo ſi per obſtaculorum quibus premebatur remotionem licuiſſet, obire eam luſtrationẽ diuino præcepto indictam, fixum haberet: quod ſatis ſupérque eſſe ad ſa-

[a] c. 2. Hierar. Eccleſ.

V

lutem comparandam, indubitatum eſt, & in Gratiani & Valentiniani laudatione à S. Ambroſio apertè expreſſum; itémque à S. Bernardo, [a] ac Gratiano, [b] & confirmatum ab Innocentio. [c]

3. Alij actus recenſiti, micant illuſtriſſimè in Latronis conuerſione. In primis timor, qui quamuis poſſit interdum non interuenire (non enim quod Vega notauit; [d] & Stapleto, [e] Concilium, omnes actus quos ex eo enumerauimus, propoſuit tanquam planè neceſſarios & ſemper interuenientes.) Quod tamen idem Stapletonius obſeruat, eiuſmodi actus eſt timor, vt cum contraria diſpoſitione nemo ſalutem primam adipiſcatur; & vt plurimùm, eſt prima malè ſecuri peccatoris concuſſio; nec aliter ordinariè concipitur ſpiritus Dei in eo, iuxta illud Iſaiæ. *Indulſiſti genti Domine, indulſiſti genti: Nunquid glorificatus es? Elongaſti omnes terminos terræ. Domine in anguſtia requiſierunt te, in tribulatione murmuris, doctrina tua eis. Sicut quæ concepit, cùm appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus ſuis, ſic facti ſumus à facie tua, Domine. Concepimus & quaſi parturiuimus & peperimus ſpiritum.*] Et hac ipſa

a *epiſt.* 77
b *de conſecr. diſt.* 4.
c *cap.* debitum, *de baptiſmo, & cap.* Apoſtolicam *de presbyt nõ baptizato.*
d *l.* 6. *in conc c.* 12.
e 5. *de iuſtific. proleg.* 1.

ipſa ex cauſa, timor Domini, Eccleſiaſtici 1. dicitur *in vulua concreatus cum fidelibus*, vt rectè exponit ibi Palacius. Pulchrè S. Gregorius [a] tractans illud, *vbi eras quando ponebam fundamenta terræ*, timorem vocat fundamentum ſalutis, anteriori fidei fundamēto ſuperpoſitum: vt ſit quidem fides fundamentum primum totius ſpiritualis fabricæ; eo autem fundamento iacto & ſuperſtitè, cùm contigit dirui quod ſuperſtructum diuinitus fuerat, (vt fit in vulgaribus improbis, qui ſalua fide indulgent affectibus grauiter noxiis); id vnde inchoanda eſt reædificatio ſpiritualis, atque adeò fundamentum alterum, ſit timor. [Si peccatoris animus (ait eo loco S.Gregorius,) puluis eſt, quia in ſuperficie attollitur, & tentationis aura raptatur. Vnde ſcriptum eſt: *Non ſic impij non ſic; ſed tanquam puluis quem proicit ventus à facie terræ*; nihil obſtat terram intelligi animam iuſti: de qua ſcriptum eſt: *Terra enim ſæpè venientem ſuper ſe bibens imbrem, & generans herbam, opportunam illis à quibus colitur, accipit benedictionem*: ſed huius terræ fundamentum, fides eſt. Huius terræ fundamentum iacitur, quando in

a 28 *mor.* c. 9 & 10.

occultis cordis prima ſoliditatis cauſa diuinus timor inſpiratur. Iſte necdum credit æterna quę audit. Huic cùm fides datur, ad ædificium ſubſequentis operis, iam fundamentum ponitur. Ille æterna iam credit, nec tamen metuit: venturi iudicij terrorem deſpicit: peccatis ſe carnis & ſpiritus audẽter inuoluit. Huic repentè cùm futurorum timor impenditur, vt bonæ vitæ ſurgat ædificium, iam fundamenta conſtruuntur.] Vides timorem eſſe ſalutis fundamẽtum, quia inde duci ſolet initium reuerſionis peccatorum ad cor. Ait quidem Laurent. Iuſtinia. [a] Deum, vt plurimùm, ordiri à beneficiis non à terroribus: tamen exprimit ibi progreſſum Dei erga hominem, extra conuerſionem, in qua vt plurimùm, initium ducitur à timore.

[a] *ſerm. exhortato. ad conuerſ.* ſub medium.

4. Propono hunc timorem inter actus Theologicos quos hîc excutiendos propoſui, non quòd omnis timor ſit eiuſmodi; ſed quòd timor qui eſt initium ſapientiæ, quóque peccatores ad ſalubrem deditionem incitantur, ſit verè actus virtutis Theologicæ. Eſt enim timor ſummi mali noſtri, hoc eſt Dei vltoris,

toris, nec tantùm æternos cruciatus inferre potentis, ſed etiam æternum amittendi: quæ iactura eſt ſummum malum noſtrum, terminátque verè, Theologicam virtutem ſpei. Hoc quod apud pleroſque non nihil implexum eſt, iuuat extricare. Quod commode præſtituri videmur, ſi ſtatuamus, præter timorem mundanum ſemper malum, quo homo propter eos qui occidunt corpus, vel bona fortunæ diripiunt, recedit à Deo & eius legem infringit; dari alium ſecundum timorem vi obiecti ſui ſemper bonum, qui aut eſt filialis; aut reuerentialis; ac tertium, qui & bonus & malus eſſe poteſt, dicitúrque ſeruilis. Is quem dixi ſemper eſſe ex ſe bonum, eſt timor ille quo refugimus malum diuinum, ſiue offenſam prout aliquo modo redundat in Deum. Hic timor dicitur filialis. Item ille quo homo ex comparatione ſui cum diuina magnitudine, retruditur quodammodo in ſuum nihilum, & quod pulcherrimè dixit Vmbertus, [a] fugit & reſilit à Dei altitudine in propriam paruitatem: hunc vocāt reuerentialem, nō ob exhibitam Deo reuerentiam; Sic

[a] *l. 5 erudit. religioſ. parte 1. c. 15.*

enim ſpectaret ad religionem; ſed quia homo præ tantæ majeſtatis agnitione, recedit quodammodò ab ea, diſcítque non altum ſapere, & abhorret familiariùs ſiue licentiùs quàm Deum deceat; cum Deo verſari, relabitúrque in ſuam paruitatem, ſecum habitans, & noſcens quàm ſit ſibi curta ſupellex. Timor denique indifferens, is eſt, quem vocant ſeruilem; quo videlicet pœna refugitur tanquam malum proprium, quod ſeruis familiare eſt auerſari. Eſt autem hic timor malus, ſi ei adiungatur conditio ſeruilitatis, importata per actum concomitantem his verbis expreſſum: *peccarem, niſi pœnam quam imminentem video, reuocaret.* Ille enim affectus actualiter vigens ad peccatum, non poteſt bonus eſſe. Si tamen ea códitio deſit, & homo ex amore proprio honeſto moueatur, non eſt vnde vitium tali actui affricetur. Ac proinde timor pœnarũ, quas quis ſcit peccato decretas, bonus eſt: quod rectè inde probat Durandus, [a] quia ſicut amor bonorum nobis commodorum, ſi modum teneat, poteſt & bonus & ſupernaturalis eſſe, ita & timor damnorum.

a in 3 d. 34. q. 4 n. 9.

5. Ex

5. Ex his timoribus is quē ſemper bonum dixi quatenus declinat culpá, quia eſt quoddam malum Dei, eſt actus charitatis Theologicæ. Eſt enim eiuſdem honeſtatis ac virtutis, ferri in bonum, & auerſari malum oppoſitum: Vnde reſpectu huius timoris ſic expreſſi, Deus ſeu bonum diuinum, ſe habet vt obiectum *quod*. Si autem culpa refugiatur quia cõtinet inæqualitatem cum diuino iure, qua ratione Deus non eſt niſi obiectum *cui*, illius timoris; ſic timor culpæ quia non reſpicit fugam pœnæ, non eſt timor ſeruilis, contra Durandum[a]. Eſt igitur timor filialis longè nobilior ſeruili, pertinétque ad pœnitentiam, virtutem ſpecialem, cuius eſt indemnitati vel reſtaurationi diuini iuris proſpicere: Vnde malum quod hic timor refugit, redundat aliquo modo in Deum, quamuis hic timor immediatè ac directè Deum non attingat, (ſicut facit timor à charitate Theologica elicitus;) ſed verſetur circa ius diuinum, intendátque æqualitatem humanorum actuum cum eo iure. Iam timor quo homo reſilit in ſuam paruitatem, eſt actus temperãtiæ, vt Scotus

a *Suprà n. 7. & 8.*

[a] rectè pronũciauit, & quotquot eum ab humilitate elici aſſerunt, quod facit Richardus,[b] & præiuerat D. Auguſtinus.[c] Tãdem timor pœnę honeſtus ac bonus, (nam ſeruilem, cum ſeruilitate, miſſum facio, tanquam ſemper turpem): interdum eſt actus charitatis propriæ, interdum verò actus ſpei. Nam ſi ſit tantùm de pœna ſenſibili, purè prout ipſa eſt malum noſtrum, ſic timor ille ſpectat ad charitatem propriam, cuius ęquè eſt noſtrum malum refugere, ac proſequi bonum. Quanquam ſi malum illud ſpectetur tanquam pertinens ad puram prouidentiam naturalem, timor eius erit naturalis actus. Erit autem actus ſupernaturalis, ſi reſpiciat pœnã vt infligendam manu Dei vltoris, occurrentis animo ſub ratione autoris gratiæ, & vindicis ſcelerum ab homine ad eum ordinem erecto admiſſorum. Tunc enim eum actum eſſe charitatis proprię ſupernaturalis, non autem ſpei, cõtra Suarem[d], & Ægidium Coninc[e], ac Malderum[f], omnem huiuſmodi timorẽ aſſignantes ſpei Theologicæ, perſpicuè euincitur ex eo quod ſpes Theologica debet immediatè verſari circa

a in 3. d. 34 q vni c. 1.
b ead. diſt. art 2. q 4.
c ſerm 17 de Sanctis, & l 1 de ſerm Dom. in monte c 4.
d diſp. 1. de ſpe S. 4 n. 11
e Diſp 2. de pœnit. num 6
f 2. 2. q. 19. art. 4.

circa Deum, quod non facit actus auerſans pœnam ſenſus, præciſè vt eſt malum noſtrum. Vnde ſicut actus quo captamus bonum noſtrum creatum, præciſè ibi ſiſtendo, eſt actus charitatis propriæ, à Theologica quauis virtute diſtinctæ, ita & timor ille. Si autem timor pœnæ honeſtus ita eliciatur, vt non verſetur circa pœnam quatenus nobis ſenſibiliter malam & afflictiuam, ſed circa Dei amiſſionem; ſic timor ille eſt actus ſpei Theologicæ. Nam timor de Deo ſummo bono noſtro amittendo, eſt immediatè circa Deum, habétque pro obiecto, ipſammet remotionem boni, obuerſantis ſpei Theologicę. Quemadmodum enim vnio & coniunctio Dei nobiſcum, integrat immediatum obiectum ſpei Theologicæ, complétque rationem obiectiuam increatam, quæ nuda, non eſſet bonum noſtrum, ſed tantùm prout habet adiũctam aſſecutionem: Ita amiſſio Dei, habet ſe per modũ vinculi, quo Deus habet rationem obiecti immediati huius timoris, eſtque malum noſtrum ſummum, quod meritò omni niſu refugiendum ſit, etiamſi nullam pœnam in-

ferre intelligatur. Eodem modo philoſopharer de timore pœnarum, ſi refugerentur quatenus adiunctã habent amiſſionem illam Dei boni noſtri; ita vt pœnæ non eſſent niſi obiectum materiale. Quia enim actus non penſantur niſi penes formale, meritò actus ille ad ſpem Theologicam pertineret, ad quam non ſpectaret timor pœnarum quas quis immediatè refugiat.

Perſpicuũ ex his eſſe poteſt, quã ratione timor ille qui ad iuſtificationẽ diſponit, eſtque Dei per gratiam ſanctificantem ſuperuenturi veluti prodromus, nẽpe timor pœnarum, poſſit accenſeri actibus Theologicis; quamuis negandum non ſit in ingeniis indocilibus, quæ callum improbitatis obduxerint, vt plurimùm, timorem quo primùm honeſtè corripiuntur, & concutiuntur, auelluntúrque ab inolito vſu ac conſuetudine prauitatis, eſſe timorem illum qui eſt immediatè de pœna, nec eſt actus Theologicus, ſed charitatis propriæ, ſiue naturalis, ſiue ſupernaturalis, prout prælucens notitia tulerit, & boni expetiti ad ſtatum hominis comparatio, poſtularit.

Eſt

Eſt tamen omni eo modo actus optimus, vel hoc nomine, quòd à peccato abſtrahit. Hæc de multiplici timore, ad tanti momenti veritatem quam proponere aggredimur penitiſſimè perſpiciẽdam, diſtinctè præmiſiſſe, videri potuit operæ pretium.

6. Timorem ergo, adeò pretioſum actum, & veluti introductorium charitatis, S. Latroni ad perfectiores actus præiuiſſe, aduertit Viualdus [a]; & teſtatum facit illa eius ad collegam ſimul confixum increpatio, quem à lacerando conuitiis Chriſto, timoris Dei, eiúſque iudiciorum mentione ingeſta reuocare ſategit. *Neque tu* (inquit) *times Deum?* Timebat igitur ipſe Deum, alioqui caſſa & iuſtæ reprehenſioni obnoxia fuiſſet reprehenſio impij, & ad Dei timorem concipiendum inuitatio. Nihil ſiquidem turpius, quàm probrum quo ipſe ſordeas in alio damnare, & in culpam ſuã diſertum eſſe, ea in alio vituperanda. At damnabat bonus Latro improbum, quòd eum deficeret timor Dei, eúmque docebat timorem Dei, vt ait S. Chryſoſtomus [b]: qui propterea vocat eum, *in iudicio reum*,

a *De vera contrit. c. 116.*

b *Orat. de cæco.*

in

in cruce iudicem, & timoris Dei doctorem. Idẽ alibi [a], timori huic ſancto vniuerſã Latronis fœlicitatem, ſic adſcribit. [Quid fuit latrone miſerius? ſed repente euaſit omnium beatiſſimus. Atqui mille cædes fecerat, nam & erat crucis ſupplicio damnatus, & ad mortem ducebatur, omnes eum accuſabant, totum tempus erat conſumptum, & vita tranſacta fuerat in ſcelere: ſed quoniam exiguo tempore Chriſtum ita vt oportet, timuit, beatus factus eſt.]

a *In Pſal.* 127.

Eo autem conceptu facilior fuit in S. Latrone Dei timor, quòd inſtantẽ iamiam mortem, in eius veluti faucibus conſtitutus, experiebatur, & quæ pœnarum abyſſus malè morientem oppreſſura eſſet, colluſtrante intellectum eius Spiritu ſancto, perſpiciebat. At hæc non modò perdito & latroni, ſed etiam benè moratis mentibus, & quæ vitam pro humana fragilitate cum laude exegerint, ſeges timoris non exigui ſolet eſſe, quod docet S. Gregorius. [b] [Ante Dei oculos (inquit) quanti ſit reatus attendendum, & cùm de his omnibus ſemper iudicia diſtricta pertimeſcant, tunc tamen hæc vehe

b 24. *mor. cap.* 17.

vehementer metuunt, cùm ad ſoluendum humanæ conditionis debitum venientes, diſtricto iudici appropinquare ſe cernunt. Et fit timor tanto acrior, quanto & retributio æterna vicinior. Ante oculos autem cordis nihil inane tunc tranſuolat de phantaſmate cogitationis: quia ſubductis è medio omnibus, ſe & illum tantummodò conſiderant, cui appropinquant. Creſcit pauor vicina retributione iuſtitiæ, & vrgente ſolutione carnis, quanto magis diſtrictũ iudicium iam iamque quaſi tangitur, tanto vehementiùs formidatur. Etſi ea quæ ſciunt, nunquam ſe prætermiſiſſe meminerunt, formidant tamen illa quæ neſciunt; quia videlicet ſemetipſos diiudicare & comprehendere omnino nõ poſſunt, atque vrgente exitu, ſubtiliori terrentur metu. Vnde Redemptor noſter ſolutioni carnis appropinquans, & membrorum ſuorum ſeruans ſpeciem, factus in agonia cœpit prolixiùs orare. Quid enim pro ſe ille cùm in agonia eſſet, peteret, qui in terra poſitus, cæleſtia cum poteſtate tribuebat? Sed appropinquante morte, noſtræ mentis in ſe certamen

tamen expreſſit, qui vim quandam terroris ac formidinis patimur, cùm per ſolutionem carnis æterno appropinquamus iudicio. Neque enim tunc cuiuſlibet anima immeritò terretur, quando poſt puſillum inuenit, quod in æternum mutare non poſſit.] Idem S. Gregorius alibi [a], ad illud, *Ora pro ſeruis tuis ad Dominum, vt non moriamur*, obſeruat magiſterium S. Spiritus eſſe, vt timendo mens agat, ne quod timet inueniat : atque idcirco iis quibus ſe infundit, protinus extremorum pauorem immittere, & illud Pſaltis intonare; *Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrabit.* Neque aliter accendendos, & calore ac ſplendore redonandos carbones, depoſito rigore & frigore, docemur ex illis eiuſdem Pſaltis, interprete Auguſtino. [b] *Præ fulgore in conſpectu eius*, id eſt in cõparatione fulgoris, qui eſt in conſpectu manifeſtationis eius, *nubes tranſierunt, grando & carbones ignis Et intonuit de cælo Dominus, & Altiſſimus dedit vocem ſuam, grando & carbones ignis. Et miſit ſagittas ſuas & diſſipauit eos, fulgura multiplicauit & conturbauit eos. Et apparuerunt fontes aquarum, & reuelata ſunt funda*

a *L. 5. in 1. Reg c. 2.*

b *In Pſal. 17.*

fundamẽta orbis terrarum. Ab increpatione tua Domine, ab inſpiratione Spiritus iræ tuæ.] Et huic ergo ſuo diſcipulo, verèq; θεοδιδάκτῳ magiſter optimus, ſanctã & ſaluberrimã timoris diuini doctrinam inſtillauit.

7. Verùm iuſtitiæ timor, ſi nudus ſit, præſertim in homine multis magníſque ſceleribus inquinato, cuiuſmodi erat Latro, ad deſperandum potius abripit, exanimátque peccatorem: vt propterea ſcripturæ quas cõgerit Fulgentius,[a] & frequentiſſimè Patres, de diuinæ iuſtitiæ conſideratione, & timore eius cum miſericordiæ contuitione, ac ſpe veniæ per eam concipiendam, admoneant peccatores; inculcéntque non eſſe alteram ab altera diuellendam, vt miſericordia nudè obiecta ſecuritatem malam, iuſtitia verò ſola, defectionem animi ingeneret. Paucos in hanc rem Patres audire non erit inopportunum, aut fructu vacuum.

a *Lib. 1. de remiſſ. peccat. c. 11.*

Origenes[b] in myſtica Dei ſpecie obiecta prophetæ, Deum & ignis & electri ſpecie viſum docet, ignis quidem, vt qui æternã combuſtionem inferre poſſit, ideóque metuendus ſit: Electri verò, hoc

b *Hom. 1. in Ezech.*

hoc eſt argento & auro pretioſioris metalli, vt ſuam oſtentet bonitatem, & ad fidendum audendúmque erigat. Ea ipſa ex cauſa Ægyptij, autore Clemente Alexandrino[a], in ſacris locabant Sphyngas, vt ſignificarent, Deum & timendum, & amandum. Eſt enim Sphynx, homo ſimul & ferox beſtia.

a 5. *Strom.* 627.

Chryſoſtomus[b] fusè id varijs locis verſat. Vnicum eius locum nunc proferam, qui ſic habet. [Vtrumque periculoſum eſt, & confidentia & deſperatio. Nam confidentia ſtantem euertit; & iterum deſperatio, poſt lapſum non admittit exurgere. Et ideò Paulus exhortatur ex hac dicés: *Qui ſe putat ſtare, videat ne cadat.* Habens exemplum vtriúſque perſonæ. Diſcipulus cùm ſe ſtare putaret, cecidit: meretrix cùm ſe cecidiſſe arbitraretur, exurrexit. Mens humana facilè labitur, & omnibus mutabilis ſenſus eſt; & ideò nos vndique tutari properemus.]

b *Hom de prodit. Iuda.*

8. S. Auguſtinus[c] multus omnino eſt in hanc ſententiam. Decerpo laciniam. [Ex vtróque homines periclitantur, ſperando & deſperando, contrariis rebus. Sperando decipitur qui dicit, bonus

c *Serm* 47. *de verb. Dom. & tract.* 31. *in Ioan.*

bonus eſt Deus, miſericors eſt Deus, faciam quod mihi placet,quod libet;laxabo habenas cupiditatibus meis,impleam deſideria animæ meæ. Quarę hoc? quia miſericors eſt Deus,manſuetus eſtDeus. Spe illi periclitantur. Deſperatione autem,qui cùm inciderint in grauia peccata, putantes ſibi iam non poſſe ignoſci pœnitentibus, & ſtatuentes ſe ad damnationem ſine dubio deſtinatos, dicunt apud ſeipſos, iam damnati ſumus,quare non quod volumus facimus? animo gladiatorum,ferro deſtinatorum. Ideò moleſti ſunt deſperati. Iam enim quod timeant non habent, & vehementer timendi ſunt. Iſtos deſperatio necat, illos ſpes. Inter ſpem & deſperationẽ, æſtuat anima. Metuendum eſt ne te occidat ſpes, & cùm multum ſperas de miſericordia,incidas in iudicium.Metuendum eſt rurſus ne te occidat deſperatio, & cùm putas iam non tibi ignoſci quæ grauia commiſiſti, non agas pœnitentiam & incurras iudicem ſapientiam quæ dicit, *Et ego veſtræ perditione ſuperridebo.* Quid ergo egit Deus cùm periclitãtibus vtróque morbo? Illis qui ſpe periclitantur,

hoc dicit. *Ne tardes conuerti ad Deum, neque differas de die in diem. Subitò enim veniet ira eius, & in tempore vindictæ diſperdet te.* Illis qui deſperatione periclitantur, quid dicitur? *In quacumque die iniquus conuerſus fuerit, omnes iniquitates eius obliuiſcar.* Propter illos qui ſpe periclitantur, & dilationibus illuduntur, fecit Deus diem mortis incertum. Quando veniat vltimus dies neſcis. Ingratus es, qui hodiernum habes, in quo corrigaris?] E contrario autem, ob eos qui deſperatione præcipites aguntur, neminem quantumuis criminoſum, aut ſerò venientem, repellit à venia.

a epiſt. 31. n. 29. Clerus Romanus apud Cyprianum [a] [ſicut reſpici debet Diuina clementia, ſic reſpici debet & diuina cenſura. Et ſicut ſcriptum eſt; *Donaui tibi omne debitum, quia me rogaſti*; ſic ſcriptum eſt: *Qui me negauerit coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo & coram Angelis eius.* Deus enim vt eſt indulgens ita eſt præceptorum ſuorum exactor, & quidem diligens: & ſicut ad conuiuium vocat, ſic habitum nuptiarum non habentem, ligatis manibus & pedibus extra ſancto-
rum

rum cœtum foras iactat. Parauit cœlum, ſed parauit & tartarum. Parauit refrigeria, ſed parauit etiam æterna ſupplicia. Parauit inacceſſibilem lucem, ſed parauit etiam perpetuæ noctis vaſtam æternámque caliginem.]

9. S.Gregorius [a] Pœnitẽtis mens tunc benè dirigitur, ſi diuina iudicia metuat, & de Dei omnipotẽtis miſeratione confidat. Timor quidem ſine ſpe in deſperationem præcipitat, ſed cùm ſpei coniungitur, ſalutem mentis operatur. Quare & ſummo ſtudio inuigilare optimus doctor debet vt peccantem terreat, & territum ad veniæ ſpem reducat. quatenus per metum peccare deſinat, & per ſpem impetrandæ indulgentię, diuinæ miſericordiæ portum quærat.] a L.5.in 1. Reg.c.2.

Et pulcherrimè [b] alibi, tractans perforationem maxillæ Leuiathan. [Pius ac iuſtus eſt conditor noſter. Sed nemo dicat, quia pius eſt, venialiter pecco. Et nemo qui peccauerit, dicat: quia iuſtus eſt, de peccati remiſſione deſpero? Relaxat enim Deus facinus quod defletur. Sed perpetrare quiſque timeat, quod ſi dignè deflere poſſit, ignorat. Ante culpam b 33. mor. c.15.

ergo, iuſtitiam metuat: poſt culpam tamen de pietate præſumat. Neque ita iuſtitiam timeat vt nulla ſpei conſolatione conualeſcat; neque ita confidat de miſericordia, vt adhibere vulneribus ſuis dignæ pœnitentię negligat medicinam, ſed quē præſumit ſibi piè parcere, ſemper etiam cogitet & diſtrictè iudicare. Sub pietate itaque eius, ſpes peccatoris gaudeat, ſed ſub diſtrictione illius, pœnitentis correctio contremiſcat. Spes igitur præſumptionis noſtræ, habeat etiam morſum timoris; vt ad corrigenda peccata iuſtitia iudicantis terreat, quem ad fiduciam veniæ, gratia parcentis inuitat. Hinc enim per quendam ſapientem dicitur: *Ne dixeris, miſerationes Domini multæ ſunt, peccatorum meorum non memorabitur.* pietatem namque eius, protinus & iuſtitiam ſubdit, dicens. *Miſericordia enim & ira ab illo*] Et paulo poſt.[a] [Vnde etiam
a c 16. per Moyſem admonet, dicens, *Non accipies loco pignoris ſuperiorē aut inferiorem molam.* Accipere namque, aliquando dicimus auferre: vnde & aues illæ quæ ſunt rapiēdis auibus auidę, accipitres vocantur. Vnde Paulus Apoſtolus, dicit: *ſuſtine-*

tis

tis enim ſi quis deuorat, ſi quis accipit, ac ſi diceret; ſi quis rapit. Pignus verò debitoris, eſt confeſſio peccatoris. A debitore enim pignus accipitur, cùm à peccatore iam peccati confeſſio tenetur. Superior autem & inferior mola, eſt ſpes & timor. Spes quippe ad alta ſubuehit, timor autem cor inferiùs premit. Sed mola ſuperior & inferior ita ſibi neceſſariò iunguntur, vt vna ſine altera inutiliter habeatur. In peccatoris itaque pectore inceſſanter debet ſpes & formido coniungi: quia incaſſum miſericordiā ſperat, ſi non iuſtitiam timeat: incaſſum iuſtitiam metuit, ſi non etiam de miſericordia confidat. Loco igitur pignoris mola ſuperior aut inferior tolli prohibetur: quia qui peccatori prædicat, tanta diſpenſatione componere prædicationē debet, vt nec derelicta ſpe timorem ſubtrahat, nec ſubtracta ſpe in ſolo eum timore derelinquat. Mola enim ſuperior aut inferior tollitur, ſi per prædicantis linguam, in peccatoris pectore, aut timor à ſpe, aut ſpes à timore diuidatur.]

10. Præclarè S. Bernardus,[a] duos domini pedes myſticè interpretatus miſe- [a] *ſerm. 6. in cant.*

ricordiam & iudicium, oſculúmque eis impreſſum commendans, ait. [Non paruus fructus eſt, in primo hoc oſculo quod ad pedes accipitur: Tantùm curato, vt neutro frauderis illorum. Porrò enim ſi iam dolore peccati iudicij timore compungeris, veritatis iudiciíque veſtigio labia impreſſiſti. Quod ſi timorem dolorémque, Diuinæ intuitu bonitatis & ſpe conſequendæ indulgentiæ temperas, etiam miſericordiæ pedem amplecti te noueris. Alioquin alterum ſine altero, oſculari non expedit, quia & recordatio ſolius iudicij in barathrum deſperationis præcipitat, & miſericordiæ fallax aſſentatio, peſſimam generat ſecuritatē. Datum eſt & mihi miſero nōnunquam ſedere ſecus pedes Domini Ieſu, & modò hunc, modò illum tota deuotione amplecti, in quantum me ſua benignitas dignabatur admittere. At ſi quando miſerationis oblitus, ſtimulante conſcientia, iudicio paulò diutius inhærerem; mox metu incredibili ac miſerabili confuſione deiectus, & tenebroſo circumfuſus horrore, hoc ſolum palpitans de profundis clamabam:

Quis

Quis nouit poteſtatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare? Quod ſi eo relicto, pedẽ miſericordiæ plus tenere contingeret, tanta è contrario incuria & negligentia diſſoluebat, vt confeſtim & oratio tepidior, & actio pigrior, & riſus promptior, & ſermo incautior, & omnis denique vtriuſque hominis ſtatus inconſtantior appareret. Proinde magiſtra inſtructus experiẽtia, non iudicium iam ſolum, aut ſolam miſericordiam, ſed miſericordiam pariter & iudicium, cantabo tibi Domine. In æternum non obliuiſcar iuſtificationes iſtas. Cantabiles mihi erunt ambæ pariter in loco peregrinationis meæ: quouſque miſericordia ſuperexaltata iudicio, miſeria conticeſcat, ac ſola cantet tibi de cætero gloria mea, & non compungar.] *Pſal. 89.*

Conſentit planè Petrus Damiani [a] exponens oſculum pedibus Domini appreſſum à Sancta illa peccatrice. Denique S. Agobardus Lugdunenſis Epiſcopus, ſcribens ad Ebonem Rhemenſem Præſulem, hoc ſpei & timoris cõiugium egregiè commendat; & hanc eſſe ſuperiorem & inferiorem molam ex diuino

[a] *Serm. de S. Magdal.*

mandato non auferendam, loco pignoris pulchrè demonſtrat, id quod iam ex D. Gregorio retulimus.

11. Itaque cùm vniuerſè peccatores ad cor redeũtes, Spiritus ſanctus ex quo primùm timore concuſſit, & à peccati amore abduxit, ſpe firmat atque ſolatur: Tum nominatim in S. Latrone idem ſeruauit, erigens eum ad inſignem ſpem quam alicubi S. Auguſtinus, [a] ſpei ipſorum diſcipulorum anteponendam docet. Quod repetit, & ita [b] confirmat tractans illud, *Defecerunt oculi mei dum ſpero*, negans ea verba in Chriſtum loquẽtem cadere. [Defecerunt oculi eius in corpore, id eſt in membris eius. Hæc vox membrorum eſt, hæc vox corporis eſt, non capitis. Quomodò eam ergo in eius corpore membríſque inuenimus? Quid aliud dicam? Quid aliud cõmemorem? Quando paſſus eſt, quando mortuus eſt, omnes diſcipuli deſperauerunt, quòd ipſe eſſet Chriſtus. A Latrone Apoſtoli victi ſunt, qui tunc credidit, quando illi defecerunt. Vide eius membra deſperantia, attende duos illos quos poſt reſurrectionem inuenit in via colloquentes

a *tract. 9. in Ioan.*

b *in pſ. 68.*

tes ſecum, quorum vnus erat Cleophas, quando detinebantur oculi eorum ne eũ agnoſcerent. Quomodo oculis agnoſcerẽt, à quo mente titubabant? Factum erat aliquid in oculis eorum, ſimile mentis ipſorum. Loquebantur enim inter ſe, & cùm ab eo compellarentur, vnde loquerentur, reſponderunt. *Tu ſolus peregrinus es in Hieruſalem & neſcis quæ facta ſunt: quomodo Ieſus Nazarenus potens in factis & dictis, occiſus eſt à Senioribus & Principibus Sacerdotum, & nos ſperabamus, quia ipſe erat redempturus Iſraël.* Sperauerant, & non ſperabant. Defecerunt oculi eorum, ab ſperando in Deum ipſorum. Ipſos ergo in ſe transfigurauit dicendo. *Defecerunt oculi mei ab ſperando in Deum meum.*] Idem egregiè alio loco [a], & Latronis ſpem, & repenſum ei præmium, ſic exhibet. [Qualem fructum Chriſtus de arido ligno percepit? Quid enim Dominus dixerat. *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo.* Tu differs te, ego agnoſco te. Quãdo hoc ſperaret Latro, adductus de latrocinio ad iudicẽ, à iudice ad crucem, de cruce ad Paradiſum? Deinde ipſe attendens merita ſua, non dixit. Memento

a *ſer.* 144. *de temp.*

mei vt liberes me hodie, ſed cùm veneris in regnum tuum, tunc memor mei eſto: ſi mihi torménta debeatur, vel quouſque veneris in regnum tuũ. Et ille: nõ ſic inuaſiſti regnum cœlorum, vim feciſti, credidiſti, rapuiſti, hodie mecum eris in paradiſo. Non te differo, tantæ fidei reddo hodie quod debeo. Latro dicit. *Memento mei, cùm veneris in regnum.* Non ſolùm credebat reſurrecturum, ſed etiam regnaturum. Pendenti crucifixo, cruento ligno hærenti, cùm veneris, inquit, in regnum tuum. Et illi, nos ſperabamus, vbi Latro inuenit, diſcipulus

a *Serm. 76. de diuerſ.* perdidit.] Rurſus alibi tractans illud Lucæ 24. *Nos autem ſperabamus*, Latronis ſpẽ longè anteponit ſpei diſcipulorum. Sic enim diſcipulos illos affatur. [Sperabatis. Hic eſt diſcipulatus veſter: in cruce latro vos vicit? vos obliti eſtis eum qui docebat: ille agnouit cum quo pendebat. *Nos ſperabamus*. Quid ſperabatis? *Quia ipſe erat redempturus Iſraël.* Quod ſperabatis, & illo crucifixo perdidiſtis, hoc Latro crucifixus agnouit. Ait enim Domino: *Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Ecce quia ipſe erat redempturus

Iſraël.

Iſraël. Crux illa ſchola erat, ibi docuit magiſter latronem. Lignum pendentis, cathedra factum eſt docentis.]

12. S. Chryſoſtomus [a] ingentia deſperationis damna proponens, & Satanam ac Iudam deſperationis exemplaria ſtatuens, Paulum è contra atque latronem, exhibet tanquam expreſſas ſpei imagines, & ſtimulos labantibus animis erigendis peridoneos. Sic enim diſſerit. [Neque ipſi à ſpe cadamus (inquit) ſed neque omnino pigritemus. Vtraque enim hæc pernicioſa, deſperatio quidem exurgere nō ſinit, & ſtantem cadere facit. Et neglectus quidem ex ipſis detrudit cœlis, deſperatio in ipſam malitiæ deducit abyſſum, ſicut fiducia deductum inde, velociter trahit. Conſidera verò vtriúſque vim, diabolus ante hæc bonus erat, pigritans verò & deſperans cecidit, tantáq; obrutus malitiâ eſt, vt in poſterum non reſurgeret. Quod enim bonus erat, audi quid dicit: *vidi ſatanam veluti fulgur cadentem de cœlo* Fulguris enim ſimilitudo, & claritatem priſtiſtinæ conuerſationis oſtendit, & naturæ acumen. Paulus blaſphemus erat, & perſecutor,

a *Hom. 10. de pœnit.*

ſecutor, & contumelioſus: vbi verò deſudauit, &ſpe non decidit, exurrexítque, par Angelis effectus eſt. Iudas Apoſtolus erat, ſed pigritans factus eſt proditor. Latro item poſt tantum malitiæ, vbi de ſpe non lapſus eſt, ante omnes paradiſum ingreditur.]

Luculenter S. Bernardus, aut quiuis alius autor tractatu de paſſione Domini, in illud *Ego ſum vitis vera*, [a] præmiſſis nonnullis de dulcedine reſponſi à Chriſto dati ad Latronis petitionem. [Quàm ſubitò ex hoſte factus eſt amicus, ex alieno familiaris, de extraneo proximus, de latrone Confeſſor? O quanta latronis fiducia! Omnis mali, nullius boni conſcius ſibi, tranſgreſſor legis, vitę ſimul & ſubſtantiæ raptor alienæ, poſitus in ianuis mortis, in fine vitæ, deſperatus de præſenti vita, ſpem vitæ futuræ quam toties demeruerat; nunquámque meruerat concipere, eam requirere non reformidat. Quis hîc deſperet, latrone ſperante? Sed operæ pretium eſt diligenter intueri qualis fuerat latro iſte, ne ſi cauſam ſpei neſciamus, in præſumptionis vitiũ incidamus. Omnes amici, proximi,

a cap. 9.

proximi, & noti, fratres quoque, imò & ipſi diſcipuli vnanimes,& electi de mũdo à Domino Ieſu Chriſto, in tantarum preſſurarum moleſtia, in tanta confuſione & tantis opprobriis percuſſo paſtore, velut erraticæ oues ſunt diſperſi. Fugerat quoque ille diſcipulus quem diligebat Ieſus,ille ardens à longè ſequebatur, ſignorum immemores diuinorum, quæ Saluatorem toties viderant operari, imò & ipſi in nomine ipſius fuerant operati. Et tunc Latro inter tot improperia, & miſerias, imò & inter tot tormẽta crucis & mortis,priùs nõ cognitũ confitetur,& ab eo fiducialiter petit auxiliũ, qui auxilio videbatur indigere. Quẽ diſcipulorũ tanta audacia inflãmauit? fugerunt omnes eum,quem hactenus fuerãt confeſſi, dum viueret.Iſte verò quẽ viuentem negauerat, confitetur morientem.] Vtique conteſtans eũ eſſe in quẽ reponere ſpem ſuam eius imitatione omnes debeant.

13. Vides porrò in prædictis teſtimoniis,vnde præcellentia ſpei à latrone cõceptæ petenda ſit. Nam & in fine vitæ deterrimè trãſactæ, cùm maximè deſperatio infeſta eſſe ſolet, ſpem concepit; & à

& à crucifixo ſperauit, qui ſibi ipſe opitulari impos videbatur; & cuius ſpem in Deum abiiſſe irritam, blaſphemi Iudæi exprobrabant; & denique non terrena & caduca, non liberationem à præſenti ſupplicio ſpei ſuæ præfixit, ſed quod eſt obiectũ ſpei directum & primarium, ad ęternitatẽ ſuſpirauit, eámque Chriſti miſeratione conſequendam, concepit fiducia. [Iſte Latro (ait S. Maximus Taurin.[a]) deuotione fidei tam repentè mutatus eſt, vt præſentem pœnam deſpiceret, ac de futura veniam precaretur, & magis crederet vtile ſibi eſſe de æterno iudicio petere, quàm de temporali ſupplicio poſtulare. Reminiſcens enim ſcelerum ſuorum, & pœnitudinem gerens, plus incipit dolere quod ſperat, quàm ſentire quod patitur. Potuit enim niſi de futuris amplius cogitaſſet, qui in Chriſtum ſemel crediderat, de præſenti magis ſupplicio deprecari.]

a *Hom 1. de Latro.*

Et eſt ſanè ſpes vt alter S. Maximus[b] ſcitè dixit; *germen pulchrum fidei.* Ac proinde ſeruat cum fide proportionem, proque fidei vigore ac feruore, viget ipſa quoque & feruet. Ac quemadmodum

b *Centur. 2. ex varijs c. 74.*

modum (Antiochi verba ſunt) [a] ſpes, fidei roſcida aſpergine perfuſa, fructum affert plurimum, vixque vlla alia eſt virtus æquè ſublimis, ac ſpes per fidem firmam conſtabilita: Ita viciſſim ſpes, [fidei ſanguis eſt, (ait Clemens Alexand. [b]) in qua continetur, quemadmodum fides ab anima: cùm autem ſpes ſpirauerit, perinde ac ſi ſanguis effluxerit, vitalis fidei facultas diſſoluitur.] Cùm igitur ſeruent inter ſe proportionem fides ac ſpes, tanta autem fuerit in S. Latrone fidei eminentia, quantam ſuprà monſtrauimus; nemo non videt, luculentam planéque inſignem ſpem ab eo proditam, in conuerſione cui fides illa præluxit.

a Hom. 1.

b Lib. 1. pædag. c. 6.

14. Tantùm de ſpe S. Latronis. Quia verò vt pulchè dixit S. Auguſtinus, [c] domus Dei credēdo fundata, per ſpem erigitur, per dilectionem perficitur; (eſt enim cœleſtis ædificij culmen charitas, ait S. Ephren. [d] & dilectionem ſpei ſubiunxit Tridentina Synodus deſcribens apparatum ad ſanctitatem, ſiue proponens perfectam conuerſionem:) propterea S. Latronis dilectio attigenda ſequitur,

c Serm. 22. de verb. Apoſt.

d Serm. de vita religioſa.

quitur, quam fuiſſe in eo planè excellentem, deprehendet quiſquis in duo charitatis Theologicæ munia animum intenderit. Nam & ad Deum ſuauiſſimè ſtringendum fertur charitas, eſtque id obiectum eius primarium: & quia in Deum tendit, circa alia quoque cum Deo connexa & neceſſitudinem aliquã cum eo habentia, occupetur neceſſe eſt. Vnde quia agnoſcit proximum ad Dei ſimilitudinem effictum, aliquid eſſe Dei, ad proximum quoque porrigitur, quatenus aliquo modo vnum cum Deo. Quamuis enim bonitas quæ in Deo eſt, non ſit intrinſeca proximo ſed extrinſeca, tamen ſicut bonitas finis eſt ratio amandi media quibus non ineſt, & excellentia prototypi eſt ratio adorandi imaginem, prototypo extrinſecam; ita bonitas Dei quamuis proximo extrinſeca, mouet ad amorem proximi prout extrinſecè quaſi informati per diuinam bonitatem: Quod non obſtat, quominus amor ille ſit verus amor amicitiæ, etiam reſpectu proximi, tanquam amici ſecundarij & minus principalis. Neque enim habitudo illa ad Deum, excludit

funda

fundamentum veræ amicitiæ reſpectu proximi, cuius bonum captatur in eo amore abſque retorſione ad nos. Quatenus ergo latro Deum ſuum, quatenus proximum, amauerit, ſi diſpiciamus, non erit obſcura perfectio charitatis quam in cruce & conuerſione ſua prodidit.

15. Deum ſuum, & quidem nubilo tempore, quæ eſt proba amoris puri ac ſynceri, non veritus hominum ſermones, non cruciatuum aggrauationem, perfectiſſima dilectione proſecutus eſt. [Mira res; (exclamat S. Maximus [a]) confitetur latro quem diſcipulus abnegauit. Mira, inquam, res; latro honorificat patientem; quem Iudas prodidit oſculantem. Ab hoc pacis blandimenta venduntur, ab illo crucis vulnera prædicantur. Ait enim; *Memento mei Domine, cùm veneris in regnum tuum.* Et mox. [Mira res; Plus in cruce Latro Chriſtum diligit, quàm Iudas diligit in cœna. Ille per cibum ſupplantat magiſtrum, hic credidit Dominum per dolorem, ſicut ait propheta: *Qui edebat panes meos adamplıauit aduerſum me ſupplantationem.*]

a *Hom.* 1. *de Latro.*

Rationem verò amoris ardentiſſimi

quo in Chriſtum flagrabat Latro, hanc proponit eodem loco S. Maximus. [Intellexit quòd pro alienis peccatis has plagas ſuſciperet, pro alienis ſceleribus hæc vulnera ſuſtineret: & ſciuit quòd illa vulnera in Chriſti corpore, non eſſent Chriſti vulnera, ſed Latronis: atque ideò plus amare cœpit, poſtquàm in corpore eius, ſua vulnera recognouit. Ait enim propheta: *Quoniam ipſe infirmitates noſtras portat, & pro nobis dolet: Nos autē exiſtimabamus, eum eſſe in dolore; liuore eius nos ſanati ſumus.* Plus ergò in cruce poſitus, liuorem eius cernens Latro, diligit Deū.] Accedebat potentiſſimum Latroni incentiuum amoris, quòd Dominum gloriæ, non ſceleribus ſuis eò adactum; (nihil enim eum mali geſſiſſe teſtimonium ipſe perhibuit;) non vi aut iniecta aliunde neceſſitate compulſum, ad id probri & calamitatis deiectum, illuminante Deo perſpiciebat. Nam ne ipſe quidem Pater, cuius mandatum Chriſtus ſæpè præfert, amantiſſimo filio, & ſupra omnium creaturarum vniuerſitatem dilecto, acerbiſſimam & contumeliæ pleniſſimam mortem indixiſſet, niſi ex voluntare

rate Chriſti, in cuius nutu poſitam fuiſſe duriſſimi alioqui præcepti laxationem non obſcurè ipſemet profeſſus eſt, cùm liberum ſibi eſſe dixit myriadas Angelorum deuocare, & vim impendentem potenter auertere, ſi luberet. Cognouit igitur hic Latro vt verbis S.Maximi concludam, [omnem Dei paſſionem ex ipſius fieri voluntate, & in poteſtate eius eſſe, vel morti animam tradere, vel ad vitam iterũ remeare, ſicut ipſe ait. *Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.* Vſque adeò autem illũ liberũ ab inferi legibus iudicauit, vt etiã ſe ab iis poſceret liberari.]

16. Quam itaque amoris fornacem pluſquàm ætnæam in Latronis pectore ſuccenſam dixerim, cùm illuminante Spiritu ſancto, non per recogitationem dumtaxat, quod tamẽ pleriſque ſanctorum faces admouit æſtuoſiſſimi amoris, ſed ſuiſmet oculis, ac corporeo contuitu, hauriret illam tantam ſui noſtrique omnium cauſa, deiectionem Domini gloriæ, illam corporis innocentiſſimi lacerationem: hinc vigente corporis mole ac deorſum degrauante, inde trabalibus

clauis quibus fixus hærebat, depreſſione prohibentibus; Illam denique ignominię & doloris abiſſum, ex furore Iudęorum, ex militum petulantia, ex latronis collegæ inhumanitate, omnibus vt videbatur, imo vt erat veriſſimũ, in Chriſti vexationem coniuratis: quam tamẽ ipſe molem malorum, cum poſſet vel nutu auertere patientiſſimè noſtri cauſa excipiebat. Hæc cum coram Latro perſpiceret, nec tãquam aliquid procul poſitum, vt nobis crucifixum recolẽtibus aſſolet, perfunctoriè conſideraret; ſed oculis ſuis vſurparet ipſe, quod ad viuidam cognitionem confert plurimùm, incenſam in eo amoris pyrã ingentem nõ dubitabit, qui ſe eo loco illíſque circũſtantiis, cum ea fide quá Latronem colluſtratũ vidimus conſtituerit; & quomodo ſe afficiendum cenſeat, animaduerterit.

Cadant ſanè huc aptè illa Anſelmi [a] ad Chriſtum ſuffixum: [Et tu Domine Iesv fortiſſime zelotes quid gratiarum retribuam, vt dignè retribuam, ego homo puluis & vile figmentũ; Quid enim pro mea ſalute facere debuiſti, & non feciſti? Ab imo pedis vſque ad ſummum

a in ſpecu. Euang. ſermo.

ver

verticis, te totum in aquas paſſionum demerſiſti, vt me totum extraheres de illis, & intrauerunt vſque ad animã tuam: Nam & animam tuam in mortem perdidiſti, vt meam perditam mihi redderes. Et ecce me duplici debito obligaſti. Nam & pro eo quòd dediſti tuam, debitor tibi ſum: & pro mea quidem anima bis à te mihi data, ſemel in creatione, & ſemel in redemptione, quid magis iuſtè tibi reddam, quàm ipſam, non habeo. Pro tua autem pretioſa anima, ita contribulata, quid ab homine dignè rependi poſſit, non inuenio. Nam etſi cœlum & terram & omnem ornatũ eorum pro ea poſſem rependere, certè nec ſic vſque ad menſuram debiti vllatenus attingere poſſem. Vt autem ipſum quod & debeo, & poſſibile mihi eſt, retribuã, tui Domine muneris eſt. Diligendus es mi Domine toto corde, tota anima, tota virtute, & tua mihi ſequenda veſtigia, qui pro me mori dignatus es. Et quomodo fiet iſtud in me, niſi per te? Adhæreat anima mea poſt te, quia tota virtus eius pendet ex te. Et nunc Domine Redemptor meus, te vt verum Deum adoro, in

te confido, in te ſpero, & quibus poſſum deſideriis ad te ſuſpiro. Adiuua imperfectum meum.] Hæc mihi videntur S. Latronis ad Chriſtũ fuiſſe ignita alloquia.

17. Et accedebat ad calorem, imò flammam ex obſcura fidei luce in eius pectore exardeſcentem, nouus ardor, ex eo quòd Spiritus ſanctus luce extraordinaria affulgeret, & per luculentum ſapientiæ donum, nouas amoris faces admoueret Latroni. Donum quippe actuale ſapientię eſt iudicium ex ſpeciali Spiritus ſancti motione profectum, quo ſuppoſita veritate myſterij alicuius per fidẽ directè percepti, pronunciatur quaſi reflexè (& quidem euidẽter, & abſque diſcurſu,) de conuenientia myſterij illius reſpectu Dei fontis gratiæ ac gloriæ, vel reſpectu noſtri vt ſubuectorum ad finem ſupernaturalem, nõ quòd hoc iudicium de tali conuenientia feratur ex eo quòd Deus ita reuelauerit, vt Gabriel Vaſques voluit: [a] ſic enim eſſet actus obſcurus fidei, quæ hoc quoque modo de rebus creditis pronunciare poteſt, veluti reflexè per nouum & vlteriorem actũ ſuum: ſed quòd perſpecto introrſum myſterio, quod

a 1.2 d. 87. n 5.

quod actualem fidem terminat, ſuggerantur intellectui à Spiritu ſancto rationes, hauſtæ ex ipſa myſterij ſubſtantia, vel ex eius effectibus ſupernaturalibus, aut congruentiis ob quas myſterium illud iudicetur Deo conueniens; percipiendo illam conuenientiam myſterij, & ipſummet myſteriū eodem actu doni ſapientiæ, quo myſterij veluti ſapor guſtatur. Vnde & nomen doni ſapientiæ hauſtum videtur, quòd ſcilicet myſterium interuentu huius doni ſapiat palató animæ. Hoc donum circa crucis myſterium, largè & copioſè accepit Latro, [Idémque Spiritus (verba ſunt S. Cypriani in ſimili [a]) qui longè ante prophetas docuerat, etiam nunc humilium mentibus ſe infundens, dilatabat humani intellectus anguſtias, & aperiebat interiores oculos, vt viderētur inuiſibilia, intelligerētur ea ad quæ humanus non attingit ſenſus, nec rationis penetrat intellectus] Imbutus igitur atque perfuſus hoc dono S. Latro, & exquiſitè penetratis iis quas dixi rationibus poſtremi ac ſummi è tribus myſteriis clamoris; (ſic enim Chriſti paſſio à S. Ignatio nominatur [b]

a *ſerm de nat. Chriſti.*

b *epiſt. ad Ephes.*

a orat. 3. de natiuit. Virg. approbante Damaſceno [a]) incredibili amore flagrabat erga ſummam illam Dei bonitatem quæ in hoc myſterio exuberat, & validum amoris illius indicium profert Baſil. Seleuc. [b] quòd dolorum ſuorum ex perfoſſione per clauos prorſus oblitus, encomiis Chriſti intendat.

b orat. 17.

Nihil verò ad huius in Chriſtum amoris expreſſionem illuſtrius, quàm apologiæ quam pro Chriſto contexuit, conſideratio. Illam ab Euangeliſta paucis verbis cõprehẽſam, ita dilatat Laur. Iuſtini[c]. [Hic quem contumeliis præſumis appetere, nihil mali geſſit. Sãctus eſt, innocens, impollutus, ſine peccato, abſque crimine, & damnatus iniuſtè. Vita illius immaculata eſt, ſermones veri, ſapientia pleni, cor humile & feruidum charitate, Amator eſt pauperum, mȩrentiũ conſolator, via errantium, periclitantium ſalus, lux mundi, peccatorum venia, magiſter optimus, Doctor prȩcipuus, ſingularis animarum medicus, tutiſſimus naufragantium portus, ſtrenuus pugnãtium dux, & verè peregrinantium comes indiuiduus. Neminem ſpernit, nullum abijcit,

c de triũph. Chriſti agon. c. 18.

ijcit, nulli vnquam nocuit, neque alicui oneroſus fuit. Clemens eſt, in doloribus patiens, in contumeliis imperturbabilis. Non eſt planè inuentus ſimilis illi in vniuerſa terra, qui incomprehenſibiliter conſeruaret legem Excelſi. In noſtra quippe natura, abiectus & contemptibilis apparet, ſed in ſua ſublimis, & glorioſus eſt. Habet vtique regnum, Regia inſignitus eſt poteſtate, & Angelorum ſemper vallatus eſt militia.]

18. Parcos in hac parte fuiſſe ſcriptores canonicos, non eo inficias, quia Spiritus ſanctus in pleriſque myſteriis ſatius cenſuit multa ſacris piorum commentationibus permittere, quàm omnia euulgare, vt eſſet vnde pia ſtudia accuerentur, & odoræ ſagacitati veſtigationis noſtræ, ſtimulus non deeſſet. Quapropter non rarò SS. Patres excurrunt in ea myſteriorum adiuncta, quæ quamuis à Scriptore Sacro non expreſſa, tamen Spiritu ſancto doctore, patrata intelligunt. Sic Autor libri de operibus Chriſti cardinalibus apud Cyprianum, [a] imbutum dulcedinibus quibuſdam Mariæ cor, in paruuli recẽs vtero fuſi ſacris ba-

[a] *ſerm. de natiuit. Chriſti.*

ſiis repræſentat, cōfœderatis cum Chriſti corde affectibus, plena vtrimque iucunditatis miſcere colloquia, quæ non licet homini loqui. Sic principum gemmam S. Ludouicum Francorum Regem, ſcriptis prodidit, qui ei erat à confeſſionibus, Gaufridus à Bello-loco,[a] (quamuis ea quæ nuper eſt Gaufridi nomine edita nihil tale habeat,) Peruſium Italiæ ciuitatem, peregrini habitu contendiſſe, vt viſeret fratrem Ægidium, ordinis Minorum, inter illius æui viros pios ordine eminentiſſimo locandum. Ibi cùm alter alteri ad primum conſpectum accidiſſet, inter mutuos amplexus aliquantiſper hærentes, transfundentéſque errantes animas brachiis arctiſſimè appreſſis, vt vix diuelli poſſe viderentur, taciti, ſed quod S. Ambroſius de ſilente Suſanna dixit,[b] magna & negotioſa ſilentia agitantes, nec verbum exteriùs prolocuti, alter ab altero digreſſi ſunt, cordium alloquiis ſaturati. Idem planè Latroni ſancto ad ſacrum Chriſti latus pendenti contigiſſe, Arnoldus Abbas ſubolfeciſſe videtur [c]. Sed & S. Auguſt.[d] ingreſſum Latronē per anguſtā portā lateris Chriſti

a *in vita S. Regis apud Surium 25. Aug.*

b *1. offic. c. 3.*

c *tract. de 2.*

d *l. de tēp. barbarico c. 8.*

ſti tũc apertã, piè commentatur, vtiq; vt ad cor Domini quod ſubibat, loqueretur, eóſq; cũ illo ſermones ſereret, quos piè potiùs meditari, fas ſit quã chartis cõmittere, aut verbis noſtris expromere.

19. Non poſſunt certè quæ piè hac in parte excogitantur, infirmari, aut falſitatis inſimulari, ex eo quòd in ſcripturis non ſunt prodita. Nam vt præmiſi, & rectè expendit Gabriel Biel, [a] certum eſt, Euangeliſtas multa attigiſſe tantùm, prætermiſſis pleriſque adiũctis: alia prorſus prætermiſiſſe, quæ tamen quòd per prophetas apertè fuerint prænunciata, aut certa maiorum traditione teneantur, nemo ſanus in dubium reuocet. Exẽpla profert Gabriel, quòd Euangeliſtæ deſcribentes comprehenſionem, ſilentio obuòluerint, quàm violenter, illi veſte, illi crinibus, illi barba traxerint, retraxerint, impulerint Chriſtum. Quod circa colaphiſationẽ tacuerint eius atrocitatem & quãtitatem, cùm tamen tanta talíſque fuerit, vt Chriſti facies veluti leproſa videretur. Flagellationem item ac coronationem, leuiter delibarunt, intacta totius corporis conſciſſione, & vulne

[a] *tract. de paſſ. parte 2. art. 2.*

vulnerum peruaſione. Citra expoliationem veſtium ſub crucifixionem, preſſerunt ſilentio innouationem vulnerum, & dilacerationem corporis, ex abſtractione veſtium, concreto inibi ſanguine quaſi glutine, tenaciter carni adhærentium. In crucifixione, nullus Euangeliſtarum prodidit cuiuſmodi fuerit extenſio corporis, per quam omnia oſſa dinumerari, potuiſſe Dauid tanto antè viderat. Ipſam clauifixionem, & manuum pedúmque perfoſſionem, impacto ferro, ſolus Ioannes obiter & alio loco, (per occaſionem videlicet dubitantis Thomæ) expreſsè retulit. Et idem eſt de aliis pleriſque, in quibus per Euangeliſtas omittẽdis, Spiritus ſanctus quòd S. Grego.[a] rectè obſeruauit circa ſcripturę obſcuritatem, conſultum voluit ſapori noſtro, & fructui. Dulciùs enim ſapit, & meliùs nutrit ac paſcit animum, quod aliquo eiùs labore inuentum eſt, quàm quod deſidi ingeritur, eſtque per ſe obuium. Vt igitur locus eſſet piis commentantium ſtudiis, quæ noſtra intererat expreſsè prodi, ea Spiritus ſanctus chartis committi autor fuit, cætera vt non premeren

a hom. 6 in Ezech.

merentur, prouidit. Et ita factum cenſeo in his Chriſti cum Latrone ſermonibus, quos mihi videor illis S. Ephræmi [a] verbis vtcumque adumbrare [Adoro te Domine, benedico ac laudo te, pie. Supplico tibi, ſancte, procido tibi, hominum amator Deus; & glorifico te Chriſte: quòd tu qui vnigena es, vniuerſorum Dominus, ſolus abſque peccato, pro me indigniſſimo peccatore in mortem es traditus, mortem autem crucis; vt ſcilicet à peccatorum vinculis animam peccatoris liberares. Et quid tibi Domine pro his omnibus retribuam? Gloria tibi benigniſſime, gloria tibi miſericordiſſime, gloria tibi patientiſſime, gloria tibi qui cunctis peccata remittis, gloria tibi, qui deſcendiſti vt ſaluares animas noſtras, gloria tibi, qui in Virginis vtero incarnatus es, gloria tibi qui nobis natns es, gloria tibi qui noſtri cauſſa tentatus es, gloria tibi qui vinctus es, gloria tibi qui flagellatus es, gloria tibi qui conſputus es, gloria tibi qui illuſus es, gloria tibi qui crucifixus es, &c. Et iterum venturus es in gloria Patris Sanctorúmque Angelorum, ad iudicandum omnem animam, quæ te ac ſanctas tuas

[a] *Serm. de paſſ Domini.*

paſſiones aſpernata eſt, in hora illa formidabili atque tremenda, quando mouebuntur virtutes cœlorum: quando ſimul venient Angeli & Archangeli. Cherubim & Seraphim, cum metu atque tremore in conſpectu gloriæ tuæ: quando rurſus contremiſcent fundamenta terræ, & expaueſcet omnis ſpiritus præ incomparabili gloria magnæ majeſtatis tuæ. In illa hora gratia tua, obſecro, abſcódat me ſub alis ſuis liberetúrque anima mea ab igne illo horribili, ſtridore dentium, tenebris exterioribus, & fletu ſempiterno. Vt dicere poſſim benedicens ac gratias tibi agens: gloria tibi Domine, qui ſecundùm multitudinem miſerationum magnę pietatis tuæ, me peccatorem ſaluare dignatus es.]

20. Meſſuit itaque Chriſtus Dominus in Latrone, iam ex ipſa cruce, fructus ſementis illius, quam auctore Saluiano [a], per paſſionem, iniecto tam luculenti támque exaggerati amoris ſemine, facere voluit in hominum cordibus, vt ſcilicet tantoperè amati à Chriſto, redamarent Chriſtum incenſiſſimè, & ex igne ignem cóciperent. [Ipſe Saluator (ait ibi Saluianus) ideò vt ait Apoſtolus, mo-

a *l. 4. de prouid.*

riendo pro nobis commendare voluit omnibus charitatem ſuam, vt nos ad reddendam pietatem tanta viciſſitudine pietatis ſuæ traheret: ſicut illas naturæ admirabilis gemmas ferunt, quæ ferro propiùs admotæ, duriſſimum licèt chalybem affectu quaſi ſpirante ſuſpendunt: ita etiam ille, .i. ſumma & clariſſima regnorum cœleſtium gemma, hoc ſcilicet voluit; vt dum ſe licèt duriſſimis nobis, deſcendens de cœlo propiùs adiungeret affectu ſuo; nos quaſi amoris ſui manibus admoueret, vt agnoſcentes vtique dona ſua ac beneficia, intelligeremus, quid nos pro Domino tam bono facere conueniret; cùm ille pro malis ſeruis tãta feciſſet.] Hunc amoris æſtum S. Latro, camino illi paupertatis, imò amoris Chriſti quàm proximè admotus in ſe à Chriſto procreatum, demonſtrauit non vno modo, & ſupra quàm foris prodidit, ardentiſſimè concepit interius. Quia verò charitati in Deum adſcribebam timorem illum qui filialis eſt, & Dei offenſam quia cum diuino bono pugnat áuerſatur, accipe ex Chryſoſtomo [a] quàm hic fœtus charitatis Sancto Latro-

[a] *in Pſal.* 127.

ni

ni non defuit. [Vis etiam eos dicam qui in vitio acriùs perſtiterunt, deinde repentè mutati ſunt, & omne illud vitium exuerunt? Quid fuit Latrone miſerius? Sed repĕtè euaſit omniũm beatiſſimus. Atqui mille cædes fecerat. Nam & erat crucis ſupplicio damnatus, & ad mortẽ ducebatur, omnes eum accuſabant, totum tempus erat conſumptum, & vita tranſacta fuerat in ſcelere: ſed quoniam exiguo tempore Chriſtum ita vt oportet, timuit, beatus factus eſt. Ita etiam meretrix, licèt ſui corporis formam pretio venũdaret, & expoſita eſſet omnium contumeliæ, & ideò eſſet omnium miſerrima, beata extitit quando Deum vt oportet, timuit. Nullum eſt enim malum quod non extinguat Dei metus. Nam quemadmodum ignis quodcumque ferrum ceperit, contortum, vel rubigine confectũ, id clarum reddit ac pulchrum, ferruginem abſtergens, & quod in eo erat peruerſum & inflexũ, perfectiſſimè corrigit: ita etiam Dei metus, vel exiguo tempore facit omnia, & eos qui ab ipſo tincti ſunt, nulla re humana frangi ſinit.]

21. Nihil procliuius, quàm vt charitas

ritas in Deum,(de qua hactenus,)odium peccati eiúſque deteſtationem inferat, tanquam mali aduerſántis bono diuino quod charitas propoſitum habet, eúmque proinde voluntatis affectum, meritò Concilium Tridentinum initio adductum, recenſens ordinarios actus ex quibus apparatus ad ſanctitatem contexitur, & ſolemnem ordinem quo peccator ad illos actus excitatur diuinitùs, amori ſubiunxit peccati odium, tanquam connaturale germen, & effectum naturæ ordine poſteriorem. Idcirco enim odimus aliquid, quia bono quod diligimus incommodat, aut illud remouet; eſtque menſura odij, modulus amoris ex quo progeneratur. Non eſt quidem vniuersè neceſſarium, ad conuerſionem legitimam & ſanctitatis conciliatiuam, adhibere formale peccatorum odium. Poſſe enim virtuale interdum ſufficere, ſaltem per accidens, probatiores Scholaſtici rectè ſtatuunt [a]. Vt plurimùm tamen, charitas dolorem de violato numine è pectoris ſilice extundit. Et ita planè factum in conuerſione latronis, qui eodem met amore quo beneficentiſſimum Domi-

[a] *Suar. t. 4. 3. p. d. 4. & 9. Val 1 2. d. 8. q. 5 p. 4. §. 1. adducens Vegam, & Sotum.*

num ſerò agnitum proſecutus eſt, vt demonſtrauimus, ſcelera item ſua, quæ illi obuerſata allocutio collegæ docet, exoſa habuit. Quamuis enim non deſint aliæ viæ & rationes iuſtiſſimæ peccatum auerſandi; tamen qui ſincerè & ex animo Deum amat, ſolet eo quem ſignaui calle progredi: quia qui eiuſmodi eſt, plus abhorret à peccato, quia eſt quoddam Dei malum, quàm ob quamcunque aliam cauſam: magíſque inde proditur affectus in Deum, quàm ſi peccatum ex aliquo alio capite diſpliceret, ac etiam plus quàm ſi ex affectu iuris diuini læſi ſarciendi vel tuendi refugeretur; quod eſt motiuum pœnitentiæ virtutis ſpecialis à charitatè ſeiunctæ, nec eſt confundendum cùm motiuo charitatis peccatum idcirco aduerſantis quia eſt Deo malum, eíuſque amicitiam violat: vt apertè conſtat ex humanis, in quibus plerúmque abhorremus ab iniuria & violatione iuris eorum quos alioqui non amamus vel etiam odimus. Et ſunt pleríque qui inimicitias cum alio profeſſi, nolint tamen erga eos iniuſti eſſe. Imò vnumquémque ſiue iure ſiue iniuria inimicitias

micitias exerceat, neceſſe eſt ita erga inimicum affici, vt velit iniuſta eius violatione abſtinere. Idem ergo reſpectu Dei attendere debemus, & duplex motiuum deteſtandi culpam, ſecernere, vnum quatenus eſt contra ius diuinum, præcisè à bono interno Dei, de quo ſequenti capite. Alterum quatenus eſt contra bonum diuinum intrinſecũ quod ſecundum motiuum, virtuti Theologicæ & in Deum ipſum immediatè tendenti deſeruit: alterum autem ſpectat ad virtutem pœnitentiæ moralem.

Ex illo ergo pretioſiſſimo motiuo charitatĩ Theologicæ præfixo, auerſatum latronem ſcelera ſua, incenſio charitatis qua in Deum flagrabat, perſuadet; quãuis neque illud alterum peccatorum deteſtandorum motiuum, ab eius conuerſione excluſum velim, vt infrà patebit. Priuſquàm verò ad alia tranſeo, nõ poſſum hoc de quo hactenus actum, S. Latronis in peccata tam ſubitum tamque incenſum odium, non ſuſpicere, & potentem in eo excitando Dei manum nõ demirari. Quod enim Gregorius Nazian. [a] de S. Cypriano prius Mago rectè

[a] *Orat.* 18.

dixit, hîc quoque valet, nempe [non tam honorificum eſſe formam virtutis effigiémque conſeruare quàm mutata vitæ ratione animum ad pietatis ſtudium cõtuliſſe. Illud enim conſuetudinis eſt, hoc rari omnino exempli.] Hoc in latronis vitæ mutationem, per eius conuerſionem quam expēdimus, cadit belliſſimè.

22. Iam verò amorem in proximum, qui eſt alter charitatis ramus, perſpicuè prodit illa correctio qua criminum & ſupplicij collegam, in procinctu ruendi in Tartarũ de Chriſto detrahentẽ, amicè de ſcelere coarguit. Abyſſus abyſſum inuocans iuxta Gloſſam vnã Auguſtini[a] eius amicitiæ renunciatũ voluit, ſi Chriſtũ inſectari pergeret. Pulchrè Chryſoſtomus[b] [pugnat latro cum ſocio latrone, & ait; Ad hoc vſque tẽpus quo cruci affixi ſumus, inter nos conuenimus, & iter vnâ fecimus: Veruntamen ab ipſa cruce, finditur mihi via: ſi mecum iter facere velis ad vitam, veni: ſin minus, vade vias tuas. Hactenus cùm te comitarer, prima via tecum ibam: iam verò crux ſecundam hanc viam in duas dimiſit. Pœnitentia diuiditur latronum

a *In Pſal. 41.*

b *Orat. de cœco.*

via:

via: tuncque Pſalmus, & finis Pſalmi adimplebatur, *Nouit Dominus viam iuſtorum, & iter impiorum peribit.*]

Falluntur autem qui charitatis ſolas blandicias imaginantur, quaſi ab ea alienum ſit, nuncium remittere amicitiæ malè ſociatæ, & ſpicula amicis in loco & tempore intorquere. Rectiùs S. Bernardus increpans Fulconē [a] [ô bona mater charitas, quæ ſiue foueat infirmos, ſiue exerceat prouectos, ſiue arguat inquietos, diuerſis diuerſa exhibens, ſicut filios diligit vniuerſos. Cùm te arguit, mitis eſt, cùm blanditur ſimplex eſt. Piè ſolet ſæuire, ſine dolo mulcere, patienter nouit iraſci, humiliter indignari.] Itaque quamuis nonnihil fellis admiſtum habuerit ea correctio quàm S. Latro reprobo latroni in malitia obfirmato impendit, fuit tamen partus inſignis charitatis, aliarum plurimarū virtutum temperatione conditæ, vt optimè docet S. Gregorius. [b] [Libet (inquit) mentis oculos ad illum latronem reducere, qui de fauce aſcendit crucem, de cruce paradiſum. Intueamur qualis ad patibulum venerit, & à patibulo qualis abſceſſit, ve-

a *Epiſt.* 2.

b 18. *mor.* c. 25.

nit reus fraterno ſanguine, venit cruentus, ſed interna gratia eſt mutatus in cruce: & ille qui mortem fratri intulit, morientis Domini vitam prædicauit, dicens: *Memento mei Domine dum veneris in regnum tuum.* In cruce claui, manus eius pedéſque ligauerant, nihílque in eo à pœnis liberum, niſi cor & lingua remãſerant. Inſpirante Deo, totum illi dedit quod in ſe liberum inuenit, vt iuxta hoc quod ſcriptum eſt; Corde crederet ad iuſtitiam, ore confiteretur ad ſalutem. In corde autem fidelium, tres ſummoperè manere virtutes teſtatur Apoſtolus dicens. *Nunc autem manet fides, ſpes, charitas.* Quas cunctas ſubita repletus gratia, & accepit latro & ſeruauit in cruce. Fidem namque habuit, qui regnaturũ Dominum credidit, quem ſecum pariter morientem vidit. Spem habuit, qui regni eius aditum poſtulauit, dicens. *Memento mei Domine dum veneris in regnum tuum.* Charitatem quoque in morte ſua viuaciter tenuit, qui fratrem & collatronem pro ſimili ſcelere morientem, & de iniquitate ſua arguit, & ei vitam quam non cognouerat, prædicauit, dicens: *Neque tu*

que tu times Deum, qui in eadem es damnatione & nos quidem iuſtè: nam digna factis recipimus, hic verò nihil mali geſſit. Ille qui talis ad crucem venit ex culpa, qualis recedit ex gratia. Confitebatur Dominum, quē videbat ſecum humanâ infirmitate morientem, quando negabant Apoſtoli eū, quem miracula viderant diuina virtute facientem.] Deſcripſit verbatim eum locum Rabanus [a] tacito de more Gregorio.

a Lib. 6. in Paulum.

13. Idem ex Chryſoſtomi [b] oratione intelligere licet. [Vnus latro inſultat, alter adorat, atque veneratur: Vnus blaſphemat, alter benedicit & blaſphemantem prohibet dicens: *Neque Deum tu times?* Vidiſti libertatem in cruce, vidiſti philoſophiam in tormentis, in pœna prudentiam? Quòd enim ſui memor fuit, quòd mente ſana vigilabat, clauorum confixione conſtrictus, quis eſt qui poterit non mirari? Sed iſte non ſolùm intra ſe fuit, ſed & ſuas neceſſitates prætermittens, aliorum vtilitatē cogitabat, & magiſter pendebat in cruce, & ſanis perſuaſionibus alium inuitabat ad vitam, dicens: *Nec tu times Deum?* Non igi-

b Hom. 1. de cruce & Latrone.

tur quod deorſum eſt adiudicatus inſpicias, ſed rurſum alia ſunt iudicia conſtituta. In terreno namque iudicio & iuſti nõnumquã condemnãtur illicitè, & iniqui declinant pœnas, & rei liberantur, & innoxij prægrauantur. Aut enim ſponte, aut inuiti iudices errare cõſueuerũt, aut ignoratione iuſtitiæ, aut pecuniæ corruptione, aut iniqua gratia ſententiam protulerunt. In cœleſti autem iudicio, nihil tale eſſe conſueuit. Nam Deus iudex iuſtus, & iudicium eius, velux procedit, non habens tenebras, nec ignorantiam. Et ne dicat, quia iudicatus deorſum eſt, & condemnatus, cœleſte ei iudicium memorat, tribunal iſtud terribile nominat, & incorruptum: Tanquam dicens; Illuc oculos tende; & condemnationis ſententiam minimè ſuſtinebis, nec ſtabis deorſum cum corruptis, excipiens ſurſum verum iudicium. Vidiſti philoſophiam Latronis? vidiſti prudentiam: vidiſti magiſtrum? De cruce ſubitò euolauit ad cœlum, & in pœna poſitus cœleſtis iudicis ſecreta narrabat, & abundanti eum perſuaſione compeſcens: Nõ times (inquit) quia in eodem iudicio

ſumus,

ſumus, in eadem pœna, in eodem diſcrimine? Nunquid & tu in cruce non es? & cùm illum laceſſas iniuriis, tibi ſupplicium præparas, & ſicut is qui peccato carnis prægrauatur, ſi alios peccati accuſauerit, ſemetipſum prius accuſat: ſic & qui in calamitate eſt, ſi aliorum calamitates irriſerit, ſibi priùs inſultat. Quoniã in eodem iudicio ſumus: Apoſtolica illi verba monſtrabat, euangelicos ſermones enarrans, qui dicunt: *Nolite iudicare, & non iudicabimini*; quia in eodem iudicio ſumus.]

Liquet, Chryſoſtomum referre commemorationem eiuſdem ſupplicij à Latrone factam collegæ Latroni, quòd barbarum admodum ſit ac inhumanitatis extra ordinem cumulatæ plenum, ſimilia patientis miſeratione non tangi, & afflicto afflictionem addere. Itaque vel ex ſupplicij communitate, tentauit auertere blaſphemum à nequitia, & innocentis vexatione. Quanquã ne commemorata ſupplicij communitate, aliquam noxæ partem, videretur feciſſe Chriſto communem, mollit illicò (quod probè ibidem à Chryſoſtomo notatum

eſt;) mollit inquam illicò, vel interpretatur quod dixerat: addens, id neq̃uaquã eò pertinere quòd Chriſtus nocens pariter eſſet, qui pariter cruciaretur; ſed ipſum quidem ac ſocium digna factis recipere, Chriſtum verò nihil geſſiſſe præter ius fáſque, omnia ſanctè & benè feciſſe. Quæ oratio, & charitatis in Chriſtum refertiſſima eſt, & luculentã ideam præbet correctionis impenſę ex charitate, qua conciliandæ ſanitati ita lancinatur æger, vt tamen ea aſperitas mititate condiatur, exhibitione inquam culpæ & argumentorum, quibus adigentibus, ventum ad eam moleſtiæ immiſſionem oportuit.

24. Videor autem inſignis prudentię progreſſum in vna vocula orationis propoſitæ ſubodorari: vt rectè profectò S. Baſilius [a] & S. Chryſoſtomus [b] admoneant, etiam apices & elementorum minutias in ſcriptura grandibus ſæpè myſteriis grauidari, *neque tu* inquit. Apertè cum Iudæis collegam confert. Eſt enim ſenſus; Non ſolùm iſti, qui furore ac rabie perciti, iurata odia ſibi explere videntur, ideóque vexationi innoxij hominis

a initio libri de Spiritu ſancto.
b homil. 18. & 15. & 21. in Geneſim

minis habenas laxant; ſed & tu, quem eiuſdem cruciatus conſortem miſeratum oportuit exagitas, & afflicto afflictionem aggeras, neque à vexatione reuocaris intuitu timoris diuini & aggrauādæ ſuper te robuſtæ Dei manus. Quæ oratio, obliquè non apertè ſugillat Iudæos, in quos correctionem prodigere, quippè obduratos & furentes, inutile agnoſcebat, nec profuturum niſi ad aliquam fortaſſis ſuorum cruciatuum acceſſionem. Et quanquam liberè Chriſti innocentiam & iniuſtam vexationem profeſſus eſt; addita etiam vt habet Cyrillus Hieroſ.[a] vanitate iudicij, (inducit enim bonum Latronem cum malo colloquentem, atque dicentem, de Chriſto, *Hic nihil mali geſſit; aderamus enim ego & tu, in iudicio*, quo ipſo Iudęos, ſi mens non læua & ſenſus planè auerſus fuiſſet, ſatis perſtringebat): Tamen eorū crudelitatem & barbariem notaſſe, verbíſque ſuffixiſſe nō legitur. Nimirum quia lex charitatis qua correctio proximi peccantis mandatur, nequaquā vrget, niſi oſtentetur ex correctione, ſpes fructus alicuius, ſaltem in tempore ſuo, & poſt aliquam

a *Catech.* 13.

corre

correctionis iterationem. Planè autem præcluſa ſpe fructus, otioſa foret correctio, tollitúrque legis prædictæ finis intrinſecus, quo ſublato legis obligatio euaneſcit. Atque ità prudentiſſimè, & ad charitatis regulas accommodatè, Latro apertiorè correptione furentium Iudæorum abſtinuit. Nec minus prudenter, & ex charitatis legibus, temperauit à violatione eius quem corrigere inſtituebat. Non enim perditum, blaſphemum, ſceleratum nominauit, quod verè ac iure poterat: ſed labem expoſuiſſe contentus, abſtinuit maledictis, quę eſt prudentis & amicæ correctionis forma legitima, cuiuſmodi à ſapientibus præſcribitur.

Habemus ergo correctionis fraternæ, quæ charitatis in proximum eximius ſanè actus eſt, formam & ideam in S. Latrone. Nam tametſi peccator fuerat, tamen peccare deſtiterat, ideóque ad corrigendum idoneus erat. Quinetiam vt ex S. Latronis exemplo, eruit Goffridus Vindocinenſis, [a] ne is quidem qui aliis vitiis ſordet, correctione proximi abſtinere debet, dūmodò animum mutet, &

a *opuſc* 2. in fine.

propo

propoſito ſaltem, animíque deſtinatione ſit iuſtus.

Illuſtres actus virtutum moralium infuſarum, conuerſionem Sancti Latronis affectati.

CAPVT IX.

1. VT alia præterea decora conuerſionis S. Latronis exponantur, præmittendum eſt, in materiis virtutum moralium poſſe elici actus nixos altiore motiuo, atque adeò directos per regulam altiorem ſublimius illud motiuum proponentem, quàm ſit motiuum virtutum moralium acquiſitarum, & naturalis regula iiſdem proportionata. Longè ſiquidem differt, operari circa aliquam materiam quia actus circa eam eſt conformis naturæ ſenſitiuæ, vel rationali per merum naturale lumen directæ; & operari, quia actus circa eam materiam eſt conformis naturæ, vt euectæ ad diuinitatis participationem per gratiam; & vt directæ per lumen

lumen ſupernaturale prudentiæ infuſæ, dictantis de mediocritate in tali materia, ob tale vel tale motiuum, excedens naturæ fines. In eo namque operandi modo, Deus quem S. Nilus [a] ſcitè nominat *rationem ſubſtantialem*, interuenit longè altiori modo quàm in priore. Illæ igitur ſublimiores operationes; & quod motiuum propoſitum docet, non ſpecie tantùm, ſed & genere ab his deſpirationibus diſcrepantes, ac eſſentialiter ſupernaturales, virtutum moralium infuſarum ſunt propriæ, earúmque ſplendore collucent; quatenus feruntur in motiuũ, cuius honeſtas virtutibus illis præfixa eſt, nec differunt à donis Spiritus ſancti ad voluntatẽ pertinentibus. Quod enim aliqui actualia Spiritus ſancti dona, ſecernunt ab actibus virtutum moralium infuſarum eiuſdem appellationis cum donis, & iiſdem materiis diſtentarum, quibus dona diſtinentur, non fruſtra tantùm fieri videtur, ſed etiam perperàm; cùm nulla ſuppetat idonea ratio, dona illa actualia à virtutibus infuſis actualibus eiuſdem appellationis ſecernendi, quod alibi plenè diſcuſſum,

[a] *l. de orat. c. 49.*

nunc

nunc non moror. Quanquam verò virtutes habituales infuſas his actibus correſpondentes, aſſectari gratiæ ſanctificantis infuſionem in peccatore, cùm conuertitur, ſtatuamus vt verum, (eſt enim id generale ſatellitium aut quaſi domeſticum famulitium, gratiæ ſanctificanti non negandum:) Tamen quod ad actus attinet, in quibus ſolis nunc verſamur, poſſet ſine dubio peccator abſque eis perfectè conuerti, & gratiam ſibi ſanctificantẽ conciliare, interuentu actuum Theologicorum de quibus ſuperioribus capitibus actum eſt, ſecluſis pro eo tempore actibus ſpectãtibus ad virtutes morales infuſas. Cæterùm vix vnquam contingit eos prorſus exulare à perfecta conuerſione. Quare quomodo S. Latronis conuerſionem exornarint, videndum eſt.

2. Virtutum moralium quaternarium, & externi agnoſcunt, & Patres tradunt: quorum aliqui vt Ambroſius quatuor paradiſi fluminibus, idem quatuor animalibus myſticis exhibitis Ezechieli, Olympiodorus quatuor ventis cardinalibus, alij aliis ſymbolis, eum virtutum

mora

moralium numerum expreſſum volunt. Et Patres quia de virtutibus moralibus ſemper Chriſtiano modo diſputant, & in ordine ad vitam æternam, agere videntur de virtutibus moralibus infuſis; eáſque proinde eodem numero concludere, quo Philoſophi morales acquiſitas. Et meritò, cùm circa materias vtræque occupentur, ſolo autem motiuo, ac regula prælucente diſcrepent. Quatuor itaque virtutes morales infuſas, Prudentiam, Iuſtitiam, Fortitudinem, Temperantiam, id eſt, earum actiones aliquas ad conuerſionem Latronis ſancti fuiſſe adhibitas, non eſt operoſum demonſtrare.

Et de Prudentia quidem, non eſt quod ſimus ſolliciti. In primis, quia cùm ſit rectrix & auriga virtutum purè moralium, earúmque media præfiniat, tam non poteſt abeſſe Prudentia ſi adſint virtutes reliquæ morales, quàm fieri nequit, vt hæ extra propria obiecta per prudentiæ dictamen conſtituta vagentur. Quare omnia quibus planum fiet cæteras virtutes morales conuerſionem ſancti Latronis adornaſſe, eadem opera demonſtrant

ſtrant, non defuiſſe negotiationem prudentiæ, quæ eſt illarum veluti oculus. Præterea verò quia nihil in Latronis cõuerſione à Spiritus ſancti impulſu profecta, niſi celſum & ſuper terræ altitudines elatum agnoſcimus, ac proinde ſermonem reſtringimus ad actiones virtutum moralium infuſarum; eſt quod aſſumamus tãquam ex dictis probatum & expoſitum, non defuiſſe in hoc negotio prudentiam. Nam prudentia infuſa, reclamantibus licèt nonnullis recentioribus, non differt à fide diuina; cuius in Latrone ſublimitatem iam aperuimus.

3. Ago de prudentia per ſe infuſa in euidenti. Nam ſi ſermo eſſet de prudentia per ſe infuſa euidenti, qualem Chriſtus Dominus nactus eſt, inſtituenda eſſet eius comparatio cum ſcientia infuſa à qua reuera non differret niſi penes contractiorem materiam. Et eodem modo dicimus ſe habere actum prudentiæ per ſe infuſæ, ad fidem actualem comparatum. Nam dictamen huius prudentiæ, ſubſumitur efficialiter ad dictamen vniuerſale reuelatum. Vnde non minus

reuelatum eſt quàm ipſum dictamen vniuerſale. Quare fides ſe habet eodem modo ad prudētiam infuſam reſpicientem ſingularia ex motiuo diuinæ reuelationis,& abſque diſcurſu,quo ſe habet moralis ſcientia ad prudentiam acquiſitam: Ita vt ſicut hæc,reſpicit in ſingulari, eundemmet actum quem moralis reſpicit in vniuerſali,ita fides practica quatenus huic denominationi ſubeſt, reſpicit dictamina vniuerſalia:quatenus verò denominatur prudentia, reſpicit eadem dictāmina cum contractione ad hîc & nunc. Sicut ergo ex hoc modo procedendi moralis ſcientiæ & prudentiæ,rectè colligimus, eas diuerſos habitus non conſtituere; ita idem ſequitur de fide,& prudētia communiter per ſe infuſa;Hoc eſt ineuidenti, & procedente ex ſimplici adhæſione ad diuinam veritatem,quę non modò obiecta ſpeculatiua v.g.aptata eſſe ſecula verbo Dei, ſed etiam veritates practicas reuelauit. Has autem in ſingulari, ac cum reſtrictione ad certas circunſtantias, exhibet prudentia per ſe infuſa, motiuo diuinæ reuelationis ſubnixa,eíque adhærens ſimpliciter,& abſ-

que

que diſcurſu. Quod ſemper addo, quia ea prudentia quæ diſcurrit circa materias prudentiæ infuſæ, eſt idem habitus cum Theologia practica, ac proinde eſt habitus naturalis & acquiſitus, longéque differt à prudentia per ſe infuſa, in qua verſamur. Fixum igitur eſto, prudentiam iuſtorum, ſancti Latronis conuerſioni prælūxiſſe, & quidem in præcellenti gradu, vt oſtenſum eſt de fide, à qua non differt.

4. In tribus virtutibus purè moralibus; primo loco ſtatuitur Iuſtitia, quæ circa ius alienum tanquam circa terminum extrinſecum occupatur, proximè autem ſpectat ius, ſiue actionem iuri illi æqualem atque commenſam. Vnde actiones honeſtæ, quæ vel à iure ac debito, vel ab æqualitate deficiunt, non ſunt directè partes iuſtitiæ illius quæ eſt tertia virtus, primaria & cardinalis, & in commutatiuam, (cui vindicatiua ſubeſt,) ac diſtributiuam, tribuitur tanquam in partes ſubiectas: ſed reducũtur ad eam, & proportione ad animæ facultates vim eius primariam non adæquantes, dicuntur

partes Iuſtitiæ potētiales. Tametſi communi Iuſtitiæ nomine donantur, quia ſpectāt operationes, & aliam perſonam reſpiciant. Sic religio, tametſi immenſis nominibus quæ diſſolui nulla noſtra facultate queũt, Deo obſtringitur, tamen non cenſetur ſubiectiua iuſtitiæ pars, ob eam iuris diuini per actus noſtros inadęquationem. Econtrario amícitia, gratitudo, aliæq́; huiuſmodi virtutes ad alium, quia vel nullo debito vrgentur, vel ſaltem non niſi improprio, & vt loquuntur *morali*, ſunt iuſtitiæ partes reductitiè dũtaxat. Vtrarúmque harum iuſtitiæ partium; ſubiectiuarum inquam & potentialium, atque adeò Iuſtitiæ ſimpliciter dictæ, & eius appendicum, functiones aliquas in S. Latronis conuerſione, facilè eſt deprehendere.

Emicat inter Iuſtitiæ actus reſpectu Dei, is quem homo elicit collimans in iuris diuini peccato imminuti reparationem, aut quo eiuſdem iuris nondum violati indemnitatem curat; quod aliter plerumque dicitur, operari propter Dei gloriam imminutam vel illæſam. Gloria enim eſt quoddam Dei bonum extrin-

ſecum

ſecum, & creatum: ac proinde operari ne circa eam Deus lædatur, vel ne læſus maneat in bonis ſuis externis, eſt æquè actus iuſtitiæ, ac ſimilis actus circa bona externa hominis: eſtque actus valde pretioſus & liber admiſtione fæcum amoris proprij: Tametſi non accedit ad pretium alterius actus, quo homo quærit diuinam gloriam ob increatam Dei bonitatem, qui eſt actus charitatis Theologicæ, non iuſtitiæ, cuiuſmodi eſt is de quo ago. Quem tamen tanti pretij eſſe cenſeo, vt non ſine magno fundamento, deteſtationi peccatorum ex eo motiuo conceptæ, dummodo vniuerſalis ſit & aliis quibuſdam conditionibus ad plenum à peccato receſſum neceſſariis cõueſtita, arbitrer tribui poſſe conciliationem peccatoris cum Deo, ídque ferre videntur ea Scripturæ & Patrum loca, quibus pœnitentiæ efficacitas ad deuocandum Dei gratiam extollitur. Nam actus ille quo peccatum deteſtamur ex motiuo diuinæ bonitatis violatæ, qui eſt ſine dubio pretioſior, nõ eſt reuera actus pœnitentiæ, niſi latè dictæ; ſed eſt actus charitatis Theologicæ in bonum diui-

num intendẽtis, cui ob idem vtrobique materiale obiectum, & conuenientiam in generica ratione auerſionis ac deteſtationis peccati, nomen pœnitentiæ tribuitur. Is verò actus, quem dixi eſſe iure diuino ſubnixum, eſt actus iuſtitiæ ſimpliciter dictæ ac ſpecialis; & idcirco quid vetat ei adſcribere, quod Scriptura & Patres concedunt perfectæ pœnitentiæ, ab hominis commodo defæcatæ & incompoſſibili cum quocumque odio diuino, nempe diuinæ gratiæ conciliationem? Certè aggeres ſcripturarum, quibus recentiores hanc vim iſtius actus quatere ſe putant, & rationes quas ad idem inſtitutum multiplicant, nihil minus efficiunt quàm quo diriguntur, quod alibi per otium oſtendo.

5. Hunc actum in Latronis conuerſione deſideratum nõ eſſe, illa mihi verba perſuadent, quibus iuſtitiam ſupplicij irrogati, teſtatam fecit. Nam ſi ius humanum explere ea ſupplicij perpeſſione iuſtum duxit, quanto magis de iure diuino exæquando, eíque prout facultas ferebat ſatisfaciendo, ſollicitum fuiſſe par eſt credere? Ad hæc Cyrillus Hieroſol.

ſol. [a] aduertit Latronem ita precatum, [memento mei, non dico vt operũ meorum memineris, hæc eñim metuo.] Itaque virus illorum perſpexit, & auerſatus eſt, quale eſt præſertim, Dei iniuria. Eſt ſanè ingenuæ mẽti valdè amarum, cum primùm faſcinatione nugacitatis bona obſcurante non præpeditur, diſcuſſæque ſunt ſubuectæ per peccati æſtũ nebulę, agnoſcere per quãtam iniuſtitiam, ius illius proſciderit, cui omnia noſtra obærata ſunt. Idque vtinam peccator dum indiſſolubilia illa nomina contemptim contrahit, momentis ſuis æſtimaret, quod facere ſolet quiſquis reſipiſcit, & fecit ex inſtinctu numinis S. Latro. Nõ enim ei, quem in pœnitentiæ exemplar ſtatuunt, Arnoldus Abbas, Chryſoſtomus, aliique paſſim negatum feram ſuauem illum amarorem, quo in vulgaribus conuerſionibus perfunduntur, qui conuertuntur ad cor.

[a] *catech. 13.*

Itaque habemus in Latronis conuerſione celebrationem Paſchatis in ſecundo menſe dimiſſam, vt philoſophatur Petrus Dam. [b] hoc eſt perfectum illum pœnitentiæ actum quem auctor libri de

[b] *ſerm. de S. Boniſacio.*

vera & falſa pœnitentia apud Auguſti-
[a] c.17. num [a] *conuerſionem* appellat, contrapo-
nítque *verſioni*, qua à peccato quidem
receditur, ſed imperfectiùs. Paſſim per-
fectus ille actus vocatur *contritio*, meta-
phóra petita ex corporea rei duræ com-
minutione in partes minutiſſimás; ita vt
non poſſint fragmenta vſui eſſe, vt pro-
pheta de lagena cõfracta dixit. Sic enim
per eiuſmodi perfectum actum, ſiue cõ-
cipiatur ex motiuo charitatis diuinæ, ſi-
ue ex proximè expoſito motiuo diuini
iuris illibati retinendi aut reparãdi, affe-
ctus ad peccatum planè exſcinditur:
quod facit quidem actus ille imperfe-
ctior qui attritio dicitur, & ab autore li-
bri de vera & falſa pœnitentia, *verſio* no-
minatur : ſed minus perfectè id facit,
quia eſt eſſentiæ deſpicatioris, nec libe-
ræ ab intuitu commodi proprij: quamuis
quoad effectum exſcindendi effectum
peccati, non ſit inter eos actus niſi mate-
rialis diuerſitas, qualis eſt inter conclu-
ſionem circulo aureo vel ferreo factam.
Apud Græcos ſimilem aliquam diſſimi-
litudinem inter voces τρῖψιν & ἔκτριψιν qui-
bus eos actus exprimunt obſeruauit S.
Maxi

Maximus [a] Latronis itaque pœnitentia, rationem perfectæ contritionis alterutro modo propoſito expoſitæ, habuit, & cùm eſſet actus efficax, incluſit ſaltem virtuale propoſitum vitandi peccata, per breue illud tempus vitæ reſiduæ. Non exigo formale propoſitum, quia illud propoſitum virtualiter in deteſtatione incluſum ſatis ſupérque eſt ad contritionis perfectionem, præſertim cùm eius formaliter eliciendi recordatio animum non pulſat, vel cùm quis ratus id non eſſe neceſſarium, aut etiam ob præciſas relabendi occaſiones inane fore, non vult fatigare ſe in eo exercitio, ſed vires animi vniuerſas cõfert in robuſtam peccati deteſtationem; quod Latroni accidiſſe, veriſimilius eſt, aſſerítque Andreas à Vega. [b] Quanquam Bellarminus, [c] etiam formale propoſitũm, Latronis ſancti pœnitentiæ non defuiſſe, contendit: nec abludit Cyrillus Hieroſolym. [d] cùm ait, [vellet iuſtè agere Latro, ſed venit mors.]

a *Centur. 3. ex variis.*

b *l. 13. in Conc c. 21.*

c *L. 1. de pœnit c. 7. ad 6.*

d *Catech. 13.*

6. Auſim his ita conſtitutis, delineationem aliquam & imaginem Sacramenti pœnitentiæ, in Latronis conuer-

ſione agnoſcere cum Gaufrido Vindocin.[a] Nam è tribus materialibus partibus Sacramentum illud compingentibus, deteſtatione, confeſſione, ac ſatisfaɛtione, primam habemus. Poſtrema non eſt neceſſe vt adhibeatur formaliter, cùm ſit tantùm pars integrans, neque tamen hîc prorſus deeſt eius imago cum humilis cruciatuum perpeſſio in viatore animum in illis ad Dei nutum aptante, (quod fecit Latro,) rationem ſatisfactionis induat. Confeſſionem ingenuam & apertam, continet alloquium cum collega, cui dicit, *& nos quidem iuſtè, nam digna factis recipimus.* [Vidiſti (ait Chryſoſtomus[b]) plenam confeſſionem, vidiſti latronem in cruce ſuis renunciaſſe peccatis? *Dic namque*, ait, *tu iniquitates tuas prior, vt iuſtificeris* Nullus impulit, nullus neceſſitate conſtrinxit, ſed ipſe ſponte ſua peccata publicabat, dicens. *Nos quidem iuſtè, digna enim iis quæ fecimus paſſi ſumus, iſte autem nihil tale fecit:* & poſtea ait, *Memento mei in regno tuo.* Non eſt auſus dicere, *memento mei* niſi confeſſione, peccati ſarcinam remiſiſſet. Inſpice quantum præſtat confeſſio. Confeſſus eſt, &

a *ſerm. 10.*

b *hom. de cruce & Latrone.*

para

paradiſum patefecit,& totum confeſſus fiduciam meruit, vt regnum poſt [illegible]cinium poſtularet.]Tandem formam ſacramenti, conſecuta per Chriſtum ſummum ſacerdotem abſolutio repræſentat.

7. Quidni igitur inſtituendi poſt Chriſti mortem ſacramenti pœnitentiæ, expreſſionem non rudem,in hoc facto anteceſſiſſe dixerim,vt quando Latronem, de Patrum ſententia, omnes peccatores miſericordiam adepturos exhibuiſſe,infra oſtendemus, adumbraretur in eo facto,quanam ratione ac via,Deus peccatoribus reſipiſcentibus conciliari velit, & inſtante iam veritate, imago eius valdè expreſſa proponeretur?Liquet enim, longè expreſſiùs ac diſtinctiùs exhiberi in hoc facto pœnitentiæ ſacramentum, quàm in illis olim ſymbolis huius Sacramenti quæ vbique proſtant, & in duobus minus vulgaribus; nempe inſpectionis ænei ſerpentis contra ſerpentis morſum, vbi præſignatam peccati curationem per peccati cognitionem & confeſſionem, tradit Eucherius. [a] Itémque nudatæ in circumciſione partis illius

[a] *hom.* 3 *de Paſch.* ſub finem.

illius, quæ habet quandam ſimilitudinem cordis, & eſt pudenda. Fuiſſe enim eam nudationem, noſtræ confeſſionis adumbrationem, notat Lactantius [a].

a l.4 c 17.

Eam quam dico in facto Latronis adumbrationem, attigiſſe videtur Arnoldus Abbas,[b] alloquẽs ſic S.Petrum.[Abſens eras, & miniſterij tui claues (quod pace tua dixerim,) modò non profers. Supplet vicem tuam ſummus Sacerdos, apertíſque feris antiquis, latro primitiæ derelictorum, introducitur (aperiente Chriſto,) in regnum cœlorum.] Clariùs perſonatus Auguſtinus [c] eremitas alloquens, vbi etiam vt fucum faciliùs faceret, verba ex libro 1. Auguſtini de orig. animæ,[d] annumerauit. Pulchrè item his verbis Petrus Dam. [Septimum eſt Sacramentum Confeſſionis. Confeſſio, bonum quantum, vel quale ſit, non eſt noſtræ tenuitatis laudibus efferendum, cùm præclara Patrum ingenia, multis eam inſignierint documẽtis: Hęc eſt via communis ad Deum, fons tam iuſtis, quàm peccatoribus patens, qui criminum abundantiam abũdãtiori liquore deter

b tract. 2. de verbis Chriſti vltimis.

c ſerm. 30 ad fratres in erem.

d cap. 9.

e ſerm. 1. de dedic. Eccleſ.

detergit. Primam reddit innocentiæ ſtolam, & fugitiuum filium in paternos reducit amplexus. Ex hoc fonte, fœlices Apoſtoli lachrymæ profluxerunt: In hoc peccatricis fœminæ dæmonia ſunt ſubmerſa: per hunc adulter, & homicida Dauid, Spiritu principali legitur confirmatus. In hoc fœlix ille volutatus eſt Latro, qui breui ponte, crucis de patibulo, ad Regnum, de ſupplicio in Paradiſum tranſlatus eſt, Conſummatus in breui expleuit tempora multa.]

8. Iuuat hoc loco attexere pio cuiuis pœnitēti paradigma; quo, exemplo Sancti Latronis peccata ſua deteſtetur fructuosè, & pectus ſuum his veluti ſtillis affuſis emolliat. Hauriam de fonte Sancti Anaſtaſij Sinaïtæ Patriarchæ Antiocheni [a] cuius hæc eſt oratio. [Domine ne in ira tua corripias me. Dignus quidem ego omni caſtigatione, & pœna, ſed cum caſtigabis, ne ira tua caſtigaueris me. Memini Latronem à te petiiſſe veniam, & obtinuiſſe, memini peccatricem ex animo acceſſiſſe, & ad pœnitentiam adductam: memini Publicanum ingemuiſſe, & iuſtificatum eſſe. At non ſum

[a] *orat. in Pſal. 6.*

ſum ego ſimilis illis. Non enim habeo perpetuas lachrymas;non confeſſionem veram;non ex imo corde gemitum;non mundam animam: non ieiunium ſincerum, non fraternum amorem, non paupertatem ſpiritualem,non aſſiduam precationem; nō commiſerationem, vt doleam de alienis incommodis, non compunctionem vt mihi condonetur; non puritatem cogitationum;non propoſitũ Deo placens. Qua igitur fronte, qua licentia veniam poſtulabo? Frequēter tecum Domine de pœnitentia agenda pactum inii, ſed fidem tibi datam fefelli: Frequenter ante te in Eccleſia procido; ſed mox egreſſus in peccata incido.Frequenter te mei miſertum eſt; ſed ego te reieci:Frequenter me ſuſtinuiſti; ſed nihil me emendaui:Frequenter me erexiſti;ſed ego rurſus concidi:Quàm me variis rebus inſtruxiſti, & ego ingratus fui? Quoties tu me exaudiſti,& ego nolui tibi auſcultare? Quoties mihi conſenſiſti, & ego tibi nequaquam ſeruiui? Quàm multis me tu rebus honoraſti, & ego te inhonoraui? Quoties peccantem me, tanquam pater hortatus es?tanquam bo-

nus

nus toleraſti, tanquam filium auſcultatus es, tanquam vnum è liberis tuis allocutus es, tanquam pater admonuiſti, tanquam paruulum aduocaſti, vlnas expandiſti, lapſum tenuiſti, ac mihi dixiſti: Ne metue, erigere; rurſum conſiſte, rurſum age, rurſum ne metue: non perſequor te, non auerſor, nõ increpo te, non execror opus quod formaui, non obduro viſcera mea erga filium meum. Nec enim odiſſe poſſum hominem, quem meis ipſe manibus effinxi, pro quo me ipſum depreſſi, pro quo ſanguinẽ meum fudi. Quomodo non ſuſcipiam ad me conuerſum, mihi accedentem? Propterea Domine, cùm innata tibi ſit, quæ nulla gratitudine compenſari poteſt benignitatis abyſſus, & tolerantiæ pelagus, Ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me: ſed iterum atque iterum, leni in me eſto animo. Ne properaueris exſcindere me, vt ficum illam infrugiferam; ſed tanquam bonus & clemens Dominus, etiam hoc anno præter cæteros relinque me; vt pœnitentiam agam. Ne tædeat te ferre meam pigritiam, atque ſegnitiem; nec abripias me

impa

imparatum. Ne aggrediaris me, qui lampadem meam non accendi; ne me aggrediaris carentem veſte nuptiali: ne nudam meam animam infamię nota ſignatam, tribunali tuo ſtiteris. Ne me aggrediaris, interea dum nihil habeo quod tibi offeram; ſed patiens eſto; exſpecta: benignè mecum age: miſereat te mei pauperis, nudi, ſocordis, inopis, impudici, ſordidi, ingrati, inhumani, obdurati, damnati, qui nèc vultum oſtendere, nec liberiùs eloqui, nec excuſare me poſſum, mei te miſereat indigni omnis humanitatis, indigni cœli & terræ, ſed digni omnis pœnæ, tormenti atque ſupplicij.

9. Satis de principali illo Iuſtitiæ actu, quo Latro, quæ ſunt Dei, Deo reddere per pœnitẽtiam ſategit. Nam quòd eum actum de gradu deijciunt nonnulli, eique veræ iuſtitiæ rationem abrogãt non ſunt audiendi, vt alibi monſtratum eſt. Suppetit autem præterea alius iuſtitiæ actus, inferioris quidem notæ, ſed tamen minus ambiguus, quem attigi ſuperiùs, cùm dixi, Latronẽ perpeſſione ſupplicij irrogati, adæquare voluiſſe ius humanum. Quamuis enim qui delinquit, ius

non

non habeat ſubeundi pœnam, tamen eſt in Republica eiúſque adminiſtris, ius pœnam inferendi ei qui ſcelere ſe inquinauerit, eámq; pœnam ſceleri repoſitam debet reus humiliter excipere, niſi velit nouam ſibi labem contumaciæ & violati iuris publici illinere; præter ius quod eſt in priuato, vt per publicā perſonam, ſarciri ſibi ius ſuum poſcat. Ad rationem autem veri actus iuſtitiæ, ſufficit interuenire alicundè ius ac debitum. Itaque volitio illa qua Latro ſupplicium admiſit, vt iuri Reipublicæ, aut priuatorum quos læſerat fieret ſatis, verus actus iuſtitiæ fuit. Inſinuant, vel potiùs apertè exprimunt actum illum, ea verba. *Nos quidem iuſtè, nam digna factis recipimus:* quibus ſi addas reliquam ſentētiam qua Chriſti innocentia celebratur habebimus delineationem aliquam iuſtitiæ diſtributiuæ; quæ inter plures proportione ſeruata ad cuiuſque dignitatem, plus minúſve è bonis cōmunibus & indemnitate à grauaminibus tribuit. Nam eam quoque indemnitatem, inter bona per iuſtitiam diſtributiuam partiēda, numerat Ariſtoteles [a] & S. Thomas. [b] Quare

a 5. *Ethic.*
b *ibidem*

adumbratur in ea Latronis ſentētia munus iuſtitiæ diſtributiuæ, quæ erat altera primaria portio, Iuſtitiæ ſimpliciter dictæ, ſubiecta.

Itaque iure Galfridus Monachus tractans illud Pauli, *Chriſtus factus eſt nobis à Deo Patre ſapiētia, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio*, oſtendit his quas indicaui viis, Latronem vniuerſam iuſtitiæ formam exhibuiſſe. Verba Galfridi [a] ſunt. [Qui factus eſt nobis à Deo Patre ſapiētia, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio. Hæc quatuor vnuſquiſq; noſtrum debet habere in ſe: Sanctificationem in contritione cordis, Sapientiam in confeſſione oris, Iuſtitiam in ſanctificatione operis, Redemptionem in conſummatione virtutis. Qui enim perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Hæc quatuor habuit Latro, qui in cruce Chriſtum confeſſus eſt: habuit ſapientiam; quia per fidem illuminatus, tunc Chriſtum Deum eſſe cognouit, quando eum omnes diſcipuli reliquerunt: habuit iuſtitiam; quia alterum latronem blaſphemantem, per charitatem corripuit, & ſeipſum per pœnitentiam accuſauit, &

[a] *refertur in Allego. noui Teſtam. per Tilmanum editus pag.* 554.

Chriſti

Chriſti innocentiam fideliter prædicauit. Hanc enim triplicem portionem iuſtitiæ, ſonant verba Latronis. Ait enim ad alterum, *Nec tu times Deum, qui in eadem damnatione es?* Ecce correptio per pietatem erga proximum: *Et nos quidem iuſtè* (inquit) *nam digna factis recipimus.* Ecce cognitio culpæ per pœnitentiam. *Hic verò nihil mali geſsit*; ecce prædicatio innocentiæ Chriſti. Habuit ſanctificationem, quia per fidem, & dilectionem; Chriſtum orauit dicens: *Memento mei Domine dum veneris in regnum tuum.* Habuit participium redemptionis; ſicut Dominus ait: *Amen dico tibi, quia hodie mecum eris in paradiſo.*]

10. Pergo ad poteſtatiuas iuſtitię partes Latronis conuerſionem exornantes; quas inter, eminet Religio: hæc enim vt Clemens Alex: [a] rectè dixit, verticem ſummum dignitatis inter virtutes occupauit. Eius actus varij ſunt, cum externi tum interni. Vnũ nobis familiariſſimum, æquè ac neceſſariũ, attingo, orationem nimirum. Hæc enim eſt, quam finem & culmẽ omnium honeſtorũ actuum pronunciat Caſſianus [a]. Per orationẽ omnes

a 2. *ſtrom.* c. 7.

b *collat.* 9. c. 2.

nos velut mendici, vt S. Auguſtinus & Caſſianus [a] conſiderant, ante ianuã magni Patris familias ſtamus, rogantes vt pro ſua benignitate aperiat manũ ſuam, & animam ſimul ac corpus noſtrum benedictione impleat. Suæ itaque egeſtatis probè conſcius Latro, orationem contexuit, quam rectæ orationis ideam rectè quis dixerit. Orauit enim iis omnibus conditionibus adhibitis, queis orationem conueſtiendam, ex Chriſti inſtitutione, accepimus, ſiue orationis obiectum, ſiue orandi formam ac modum, ſiue orantis diſpoſitionem, attendamus.

a ſerm. 15 de verb. Apoſt b collat. 10. c. 11.

Orauit in primis, pro [c] æterna ſalute adipiſcenda. Et quanquam immani cruciatu vrgeretur ad extremum halitum efflandum, nõ tamen vel exſolutionem à ſupplicio, vel dolorum mitigationem popoſcit, ſed oblitus præſentiũ, ad æterna ſuſpirauit. [Deuotione fidei, (ait S. Maximus) tam repente mutatus eſt, vt præſentem pœnam deſpiceret, ac de futura veniam precaretur, & magis crederet vtile ſibi eſſe de ęterno iudicio petere, quàm de temporali ſupplicio poſtula

c hom. 1. de Latrone.

ſtulare. Reminiſcẽs enim ſcelerum ſuorum, & pœnitudinem gerens, plus incipit dolere quod ſperat; quàm ſentire quod patitur. Potuit enim niſi de futuris ampliùs cogitaſſet, qui in Chriſtum ſemel crediderat, de præſenti magis ſupplicio deprecari.]

11. Deficiunt hac in parte non pauci inter orandum, quos non pudet corpori & præſentibus immerſos Deum alia rogare, quàm Deum ipſum, vel quæ adducunt ad Deum. [Quid charum autem petit à Deo (ait S. Auguſtinus[a]) cui viluit Deus? Huiuſmodi ſunt quos idem S. P. alibi frequenter, & pulcherrimè in Pſal. 30.[b] inſectatur eo nomine quòd Deum non inuocent, ſed lucrum aut eſcam quam captant: Reipſa autem Deum aduocẽt, vt facinoribus adiutor adſit; quod genus precantum, ipſi quoque Ethnici, Deo iniurium cẽſuerunt. Teſtatur enim Clemens Alex.[c] in Pythagoreorum inſtitutis illud fuiſſe, orandum eſſe alta voce: non quòd Deum ſurdaſtrum arbitrarentur, ſed quòd nihil vellent à Deo petere, quod inaudiri ab hominibus erubeſcerent. Cuiuſmodi ſunt multorum

a *ſerm.* 133 *de temp.*

b *conc.* 3.

c 4. *ſtrom.* 607.

peſſima vota. Mitiùs ineptiunt, qui cùm poſſent Deum pretioſa & magna dona rogare, poſcunt res nihili, aut aliquid minutum, tametſi non malum. Quo in genere Rupertus, [a] Salomonem inſimulat, qui data à Deo optione petendi quod vellet, non petiit Deum videre vt Moyſes; nō aliquid cœleſte, ſed cor docile: id eſt aptū docere ac regere alios. Ea enim eſt vis vocis *docile*, paſſionem licet, ſonātis: qua ratione *ſpeciem intelligibilem* dicimus, non quæ intelligatur ipſa, ſed quæ ad intelligendum armet potentiam. Proinde ineptiuiſſe Salomō Ruperto viſus, depoſcens ſibi rem friuolam, præ longè eminentioribus, quarum poteſtas fiebat ab eo, cui omnia æquè expedita ſunt atque facilia. Sapientior itaque, mortalium ſapientiſſimo, Latro, erudiente Deo pertæſus fluxorum omnium, ſuſpirauit ad æterna, & ad ea trāſiit deſiderio, vt optimè expendit S. Ambroſius [b] ad illud, *tranſiui & ecce non erat*, monſtrans Latronem exemplo Moyſis qui Exodi 4. dixit, tranſiens videbo, & ſponſæ cui in canticis dicitur, tranſibis & pertranſibis, pertranſiſſe materialia, & in æternis,

a l. 4. de victoria verbi Dei c. 24.

b in Pſal. 36.

petitio

petitionis pedem fixiſſe.

12. Iam modus orandi, quàm demiſſus,& modeſtię ac ſubiectionis ad Chriſti voluntatem refertus? Non præſcribit beneficentiſſimo muneratori quod tribuat;ſèd confiſus deDomini benignitate & charitate,illud dumtaxat precatur, dignetur vt miſeri meminiſſe:Nec commendat fidem ſuam,ac merita, qui omnibus furentibus & bacchantibus ſolus ſapiat, ſolus deferat honorem ei qui eſt opprobrium hominum & abiectio plebis:ſed præcisè ac ſimpliciter explicat petitionem ſuam,reliqua Domini charitati permittit. Vt cadat planè in eũ commendatio qua D.Auguſtinus[a] proſequitur Marthæ & Mariæ pro Lazaro fratre petitionem;ſi tamen petitionem,& non potiùs ſuggeſtionem dumtaxat, incommodi quo languens Lazarus vrgebatur. Illud enim dumtaxat ſignificarunt Domino, *Domine, ecce quem amas infirmatur.* In quæ verba ita D. Auguſtinus.[Nõ dixerunt, Veni: amanti enim tantummodò nunciandum fuit. Non auſæ ſunt dicere,ibi iube & hîc fiet:Cur enim non & iſtæ, ſi fides, illius Centurionis inde

[a] *tract 49. in Ioan.*

laudatur? ait enim, *non ſum dignus vt intres ſub tectum meum, ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur puer meus :* Nihil horum iſtæ, ſed tantummodo, *Domine, ecce quem amas infirmatur :* Sufficit enim, vt noueris; non enim amas & deſeris.]

Celebrat matrem filiorum Zebedæi, Baſilius Seleuciæ [a] quòd pro filiis Chriſtum adiens, ſub tempus paſſionis, & ſub ſermonem Chriſti de cruce & morte, regnum illis expetierit: Qua in parte, ſummam ab ea fidem proditam contendit, quòd ab homine ſummum ſupplicium ſibi mox adeundum profitēte, talia tantáque petierit, & voces (vt ait,) Sancti huius Latronis anteuerterit, poſtulās ipſa quoque pro regno. Sed pace tanti viri dixerim, vt cætera diſſimulentur, ingens tamen in petendi modo ac forma fuiſſe diſcrimen. Latro namque ſolam ſui recordationem poſtulat, cætera permittit Chriſto. Mulier primarias ſedes determinat, & quid liberis ſuis obtingere velit, ipſa præſcribit. Sic & tu dicito, ait Chryſoſtomus [b] [Domine noli quæ apparent ſcelera mea ſed abſconditam fidem ſpectare, *& memento mei cùm veneris in*

a *orat.* 14.

b *orat. de caco.*

in regnum tuum] Nihil præſcribens optimo Domino, tantum tui memoriam poſce. Quæ non eò ſpectant, vt determinata petitio bonorum æternorum ſit improbanda; ſed vt eximia S. Latronis in orando indifferentia celebretur.

13. Denique orãtis diſpoſitio ea fuit, qua meliorem & exquiſitiorem vix effingas. Certè S. Bernardinus, [a] negat in Scriptura vniuerſa reperiri par exemplum peccatoris qui [talibus, támque efficacibus, & tam ſubſtantialibus verbis, gratiam diuinam popoſcerit.] Sigillatim S. Bernardus; aut quiuis alius apud eum autor, poſt celebratam Latronis cõfeſſionem, ſubdit de eius precatione. [Orat. verò in fide, & ſpe, & charitate; dicens, *Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum.* Credit profectò in eũ, quem Dominum, & Regem appellat. Quis autem petit hoc quod non ſperat? Amat verò eum, cui coniungi deſiderat. Quid tali Oratori, ille bonus pater negaret, qui eum incitauerat vt rogaret, præſertim dum in ſede ſponſali die nuptiali ſederet?]

a *Tom. 4. ſerm. 45. de amore anguſtioſo.*

b *tract. in illud ego ſum vitis vera c. 9.*

Humilitatem qua petitionem condi-

uit,nemo non agnoſcit, & infrà obiter attingam.Eſt autem condimentum illud ad conciliandum orationi ſaporem, tanti momenti,vt contendat S.Chryſoſtom. [a] licèt peccator ſit qui precatur, ſi tamen cũ humilitate precetur,magna omnino poſſe efficere. Ac viceuerſa iuſtũ,ſi arrogantiam petitioni immiſceat,ſpe caſurum.Vnum prætereà aduerto à Latrone ſeruatum, priuſquàm petitionẽ conciperet, quod SS. Patres ei qui ad adorãdum accingitur, commendatiſſimum cupiunt; nempe [vt vita (Nyſſeni verba ſunt) [b] ſit aduocata atque patrona orationis.] Ideóque S. Auguſtiuus [c] ad illud ſic benedicam te in vita mea, ait, manus noſtras non confuſum iri,cum ſuſtollentur ad Deũ, ſi in bonis actibus præexerceantur, ideóque præceptum eſſe, vt ſublatis manibus oremus; quod manus elatæ,recordationem ingerant operum. Id quod etiam S. Chryſoſtomus admonuit ad illud, [d] *eleuatio manuum mearum*; addens illam manuum ſublationem, ex diuina inſtitutione idcirco factam. Hoc ergo à Latrone ſeruatũ obſeruat Chryſoſtomus, [e] aduertens, eum petitioni

a *in pſal. 4. ad v. 2.*

b *orat. 5. in orat. Domin.*

c *in pſalm. 62.*

d *in pſal. 140.*

e *hom. 1. de cruce & Latrone.*

præ

præmiſiſſe confeſſionem peccatorum, quo eam ſarcinam abiecit, & anteriori vitæ nuntium remiſit. Idem Latronis inſtitutum ex Luca diſcimus, qui non priùs eius petitionem memorat quàm obiurgationem blaſphemi. Itaque eo charitatis opere erga impium, & ea innoxij Chriſti apologia, præparauit ſe ad orandum, effecítque vt idoneus eſſet qui, vt cum Ambroſio loquar, [a] *pingue hoc, & tanquam adipale* precationis genus funderet. a *l.1. de Cain. c.6.*

14. Præcipuas quaſque virtutes hanc orationẽ ſubuexiſſe, & idcirco per eam Latronem iuſtum euaſiſſe, ita docet Drogo.[b] Latro fuerat quãdo latebat ante confeſſionẽ, Iuſtus autẽ poſt orationẽ: Quid enim orauit? *Memento mei dum veneris in regnum tuũ.* ô magna fides, ô magna ſpes, ô magna charitas! Orat pro futuris, non præſentibus; non vult de Cruce deponi, ſed in regno Chriſti reponi; quid enim eſt aliud hoc dicere, quàm cupio diſſolui, & cum Chriſto eſſe? Neſcio quid Paulus magis iſto Latrone cupierit. Memento mei! ô cor contritum & humiliatum! Quid minus, vel humilius potuit rogare, quàm vt ſui memor eſſet.] b *de ſar. Dom. paſſ.*

Quod

Quod ſi lingua benè orantis, plectrum eſt numeroſè ac modulatè inſonans, & vniuerſum cœleſte theatrum lætitia afficiens, cuius melos Angeli magno cum ſilentio excipiunt, & poſtquàm ceſſauerit applaudentes, laudantes, admirantes, celebrant, (verba ſunt S. Chryſoſtomi[a]) quem dicemus à beatis illis ſpiritibus excitatum plauſum ad latronis orationem, omnibus numeris abſolutam, & vndecumque concinnam?

a in pſal. 4. ad v.2.

15. Et erat tamen, (quod non videtur prætermittendum,) ea orantis Latronis corporea diſpoſitio, quæ non admodùm commodaret oranti. Clauis enim pedes manúſque terebrantibus, pendens inter immanes angores, precabatur non ſecus ac ſi in templo foret, vt S. Athanaſius[b] animaduertit. Vnde S. Baſilius[c] & Chryſoſtomus[d] rectè inferũt, ad orãdum, non locum, aut corporis ſtatum, ſed animum quæri. Sed quod hoc vtiliſſimum monitum alibi ab eodem S. Chryſoſtomo orationem Annæ excutiente, egregiè tradatur,[e] nec Latronis dumtaxat, ſed aliorum præterea multorũ Sãctorum exemplis firmetur, placet partem diſſertationis

b ſerm. in paraſc.
c in exhort. ad bapt.
d tomo 6. Græcolat. ſerm. de Chanan.
e hom. 4 de fide Annæ, ſub finem.

nis

nis ab eo in hanc rem habitæ, adſcribere, etiamſi paulò longiorem. Prolixitatis damnum, pietas & vtilitas penſabit. [Ne excuſationes quæramus (inquit) dicendo, non eſſe propinquam precationis ædem. Nos enim ipſos ſi ſobrij fuerimus, templa faciet Diuini gratia Spiritus, vt magna vndique nobis precandi facultas affluat. Neque enim talis eſt apud nos diuinus cultus, qualis quondam apud Iudæos erat, multum habẽs ſenſibilium ceremoniarum, multáque operatione indigens. Illic precaturum oportebat ad templum aſcendere, turturem emere, ligna, & ignem ad manus habere, arrepto cultro altari aſſiſtere, aliáque multa præcepta perficere, hîc nihil tale: ſed vbicumque fueris, præſtò tibi eſt & altare, & culter, & victima. Tuipſe, & ſacerdos, & altare, & victima es, vbicumque enim fueris, potes erigere altare, ſi ſobriam modò voluntatem afferas: nec te aut locus, aut tempus impedit, ſed etiamſi nec genua flectas, nec pectus pulſes, nec manus ad cœlum tendas, ſi mentem ſolùm afferas feruidam, nihil tibi ad abſolutam precationem deerit. Licet etiam mulieri

colum

colum tenenti, aut telam texenti, ſuſpicere in cœlum, ac ardenti pectore Deum inuocare. Licet etiam viro in foro verſanti, aut iter facienti, attentè precari: alteri itidem in officina ſedenti, ac coria ſuenti, animam ad Dominum erigere: Licet ſeruo obſonanti, ac ſurſum, deorſum curſitanti, vel in culina, ſi non vacet adire Eccleſiam, precationem intentam ex imo pectore ciēre. Non pudet loci Deum. Vnum poſtulat, mentem feruentem, animámque modeſtam. Et vt ſcias, quòd non habitu corporis, aut locorum temporúmve opportunitate ſit opus, ſed animo probo, & excitato; Paulus ſupinus in carcere iacens, non erectus ſtans, (neque enim compes lignea permittebat,) quoniam magna alacritate precabatur, iacens carcerem concuſſit, eiúſque fundamenta vacillare fecit, & optionem terrúit, ac mox initiatum ad myſteria noſtra perduxit. Rurſum Ezechias ille, non erectus ſtans, neque genibus flexis, ſed ſupinus in lecto cubās per infirmitatem, verſa ad parietem facie, quoniam ardenter, & humiliter Deum inuocauit; ſententiam aduerſus ſe latam

reuocauit, magnámq; ſibi gratiam conciliauit, & inſuper in priſtinam reſtitutus eſt ſanitatem. Nec ſolùm magnis, & ſanctis viris hoc contigiſſe videas, ſed malis etiam. Nam & Latro ille non ſtans in oratorio, aut genua flectens, ſed in cruce diſtẽſus, paucis verbis cœlorum regnum impetrauit. Alius in locum cœnoſum coniectus, alius in fouea beſtis obiectus, alius ceti aluo ſecluſus, inuocato Deo mala inſtantia diſcuſſerunt, diuinámque ſibi conciliarunt beneuolentiam. Hoc ſermone hortor, vt continuè frequentetis Eccleſias, & domi cum magna quiete precemini, per otium genua flectentes, manúſque attollentes. Quod ſi tempus, aut locus nos in multitudine hominum deprehendat, non eſt ob hoc à conſuetis orationibus ceſſandum, ſed ita vt veſtram charitatem monui, precamini, & inuocate Deum, certi nihilominus tali precatione optata vos impetraturos.] Video latiùs diffuſam noſtrám hanc vnius Iuſtitiæ appẽdicis in Latrone conſiderationem. Quanquam neque vniuerſus eius ambitus decurſus eſt. Cuiuſmodi enim fuit is eius partus qui adoratione

tione continetur, & laudatione Domini voluntaria & libera?

16. Reliquas virtutes pleraſque in eius conuerſione micantes, per Satyram tantùm attingo. Immenſus quippe forem, ſi ſigillatim ac diligenter perſequi vellem, quæ eius in Chriſtum gratitudo, quam [a] Chryſoſtomus nominatim ſuſpicit: quæ in Deum liberalitas, qua vt S. Gregorium notaſſe ſuprà retuli, [b] quicquid illi pendenti ac confixo reſiduum fuit, ſupplex ac deuotiſſimus obtulit, cor & linguam: Quæ item affabilitas in collegam blaſphemum, omnibus maledictis & probris configi digniſſimum: Quę veritas in ſincera nequitiæ ac ſcelerum confeſſione. Sed malo in S. Latronis pleriſque virtutibus excutiendis indiligentiæ, quàm in omnibus diffusè proſequendis, verboſitatis notari. Itaque cæteris reſectis, quod huius penſi reliquum eſt, breuiter abſoluo.

a hom. 55. in Geneſ.

b 18. mor. c. 25.

Extrema ſuperſunt inter virtutes morales, quæ circa paſſiones occupantur: Fortitudo ſcilicet & Tēperantia. Vtriuſque plurimæ ſunt propagines; Itaque delectũ adhibebimus. Fortitudinis vniuerſa

uerſa ratio munere duplici continetur, patiendi videlicet, quod nobilius eſt, ac aggrediendi. Patientiam viam vitæ, regni viam, viam ciuitatis habitaculi, agnouit & adamauit Latro iuxta S. Bernardum,[a] qui ait Latronẽ cùm adeuntẽ in regnum per tormenta Chriſtum vidiſſet, perueniſſe ipſum quoque compendioſa via ad regni fælicitatem. Iuſtum enim ſupplicium ſceleribus repenſum, honeſtauit decore patientiæ, & illucente ſibi cœleſti Sole, agnouit quantum bonum, quámque fructuoſum eſſet, excipere patienter præſentem cruciatum. Non ita collega, qui rabie præ doloribus percitus, ſpumas iactabat in cœlum, & Chriſtum à quo nullum vnquam ſuſtinuerat incommodum, conuitiis lacerabat; imbecillitatis inſimulans, qui cùm ſe Dei electum venditaſſet, nequiuiſſet tamen ſe cruci ſubducere, eadémque infœlici ſorte eſſet, qua latrones, in qua diffundere liberationis beneficium oportuiſſet, ſi ea calamitas oppreſſiſſet volentem, & non impotentem ad eam declinandam vel auertendam. Hic eſt improborũ in ærumnis genius.

a *ſerm. 1. in ram. palm.*

Quare eos Deus plerúmque ſecundò perdit iuxta S.Iudam,& induuntur ſicut Diploide confuſione ſua,id eſt interprete D. Gregorio. [a] [Et temporali & perpetua animaduerſione feriuntur. Solos quippe pœna à ſupplicio liberat, quos immutat. Nam quos prȩſentia mala non corrigunt,ad ſequentia perducunt.

a 9. mor. c. 13.

17. Non ita qui ſe legitimam Dei prolem agnoſcunt, & idcircò flagellis erudiri non faſtidiunt. Petra eis fundit riuos olei, vt de Iobo dixit Rich. Victor. [b] & quod idem de S. Stephano ſcitè dixit, [c] *ſugunt mel de petra oleúmque de ſaxo duriſſimo.* Ita planè S.Latro æquanimiter ſuſtinens repoſitum ſceleribus ſuis cruciatum,ſementem gloriæ & virtutis materiam effecit, quod alter latro in æterni ſupplicij augmentum vertit. Sed nimirum iuxta D. Auguſtinum de bonis malíſque pariter afflictis agentem, [d] [non ideò ipſi diſtincti non ſunt, quia diſtinctũ nõ eſt quod vtriq; perpeſſi ſunt. Manet etiã diſſimilitudo paſſorũ, etiam in ſimilitudine paſſionũ, & licèt ſub eodem tormento, non eſt idem virtus, & vitium. Nam ſicut ſub vno igne aurum rutilat

b de exter min. malit 3. c. 9.
c ibidem c 14.
d l. 1. de ci uit. Dei c. 8.

rutilat, palea fumat, & ſub eadem tribula ſtipulę cōminuuntur, frumenta purgantur; nec ideò cum oleo amurca confunditur, quia eodem prœli pondere exprimitur: Ita vna eademque vis irruens, bonos probat, purificat, eliquat: malos dānat, vaſtat, exterminat. Vnde in eadē afflictione, mali Deum deteſtantur, atque blaſphemant; boni autem precantur, & laudant. Tantum intereſt, non qualia, ſed qualis quiſque patiatur; Nam pari motu exagitatum & exhalat horribiliter cœnum, & ſuauiter fragrat vnguētum.]

Alteram fortitudinis functionem, quæ in audendo ſita eſt, notare poſſumus in libera ſocij blaſphemantis obiurgatione, coram Iudęorum non vulgo tantùm, ſed etiam primoribus politici & Eccleſiaſtici ordinis, quos ad ſubitam Latronis pro Chriſto apologiam & regni eius confeſſionem infremuiſſe, & intentatis minis, ac inſanię exprobratione, reuocare à cœptis Latronem tentaſſe, nemo dubitarit. Itaq; poterat & ipſe illud Pſaltis de ſe vſurpare. Loquebar *de teſtimoniis tuis in conſpectu regum*, id eſt magnatum & principum populi, *& non confundebar.*

Et illud. *Reſpondebo exprobrantibus mihi verbum*, quo te celebraui, & Deum ac Meſſiam agnoui coram immenſa multitudine ea in verba,& ſuperſperaui. Quãtum enim ex Ioſephi oratione [a] colligere licet, erat ea multitudo propè innumerabilis. Scribit enim Ioſephus, Ceſtium Gallum Syriæ præſidem, vt de rerum Iudaicarum ſtatu Neronem doceret, curaſſe per Põtifices iniri numerum hoſtiarum quæ per Paſchæ tempus ab hora nona vſque ad vndecimam cædebantur, poſteáque ſingulæ per contubernia diuidebãtur. Ait ergo hoſtiarum ducẽta quinquaginta ſex millia & quingenta numerata eſſe. Cùm autem in ſingulis contuberniis decem minimùm viri epularentur; Sæpè etiam viceni conuenirent, attributis cuilibet contubernio epulonibus decem, deprehendentur congregata Hieroſolymis ad Paſchalem ſolemnitatem, vicies ſepties cẽtena millia hominũ purorum atque ſanctorum, non numeratis leproſis & immundis, aut mulieribus menſtruatis, ac alienigenis, aliiſque legali aliqua labe ſordentibus, qui ſacrorum participatione arcebantur.

a L. 7. belli c. 17.

tur. En quo aſſurgeret ſumma ſubductis conuiuarum perſonis iuxta infimum numerum, vt notat Ioannes Boudinius [a]. Quod ſi ſingulis conuiuiis epulares viginti aſſignentur, inueniemus quinquageſies & quater cẽtena virorum millia. Vel ſi media via ineatur, & quindecim conuiuæ in ſingulas hoſtias numerentur, exiſtent quadrageſies centena & quinquaginta virorum millia. Tot ferè quot recenſita eſſe Romanorum ciuium capita, Auguſto regnãte, prodit in Chronico Euſebius. Nam numerata duntaxat tunc ait quadrageſies cẽtena & centum hominum millia. Hunc numerum Iudæorum ad Paſchale feſtum conuenientium, confirmat, quod idem Ioſephus in Hieroſolymitana clade periiſſe teſtatur, vndecies centena hominum millia; abducta verò in captiuitatem nonaginta ſeptem millia. At Euſebius [b] tricies centena hominum millia Hieroſolymis obſeſſa & incluſa ſcribit, vt liquidò appareat *mendaciorum loquaciſſimum* iure à Tertulliano [c] audire Tacitum, qui obſeſſos omnis ætatis non tranſcendiſſe ſexcenta millia affirmat.

a *l. de Chriſti claritate & gloria c. 5.*

b *3. hiſt. c. 5.*

c *in apolog.*

18. Coram huiuſmodi concione, S. Latro Chriſtum prædicare, eúmque Meſſiam & Deum profiteri non extimuit. Vnde quia accepta virtute ex alto, bonam hanc confeſſionem coram tanto populo edidit S. Latrò, nihil vetat quo minus ad eum aptemus illud Dei ad Ieremiam. [*Dedi te hodie in* [a] *ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum ſuper omnem terram, Regibus Iuda, principibus eius, & ſacerdotibus, & populo terræ* Et alibi.[a] *Probatorem dedi te in populo meo robuſtum, & ſcies, & probabis viam eorum. Omnes iſti principes declinantes, ambulantes fraudulenter æs, & ferrum: Vniuerſi corrupti ſunt.*] Nuſquam id veriùs quàm tempore acti in crucem Chriſti. Tunc enim inter Iudæos qui rectus habebatur, erat quaſi paliurus aut ſpina de ſepe. Itaque opportunè prouiſus eis à Deo, probator iſte, & bellator fortis pro Chriſto ſtans, liberéq; eius innocentiā, & diuinitatē conteſtās.

a c. 1.

b c. 6.

Mihi quidem parrhiſia illa non modicum in Latrone ſpecimen fortitudinis videtur. Nam quamuis Latro Iudæis videatur pepercisse, quia eorum improbitatem directè non confixit, nec legitur

eos

eos barbariei & parricidalis immanitatis arguiſſe; indirectè tamen (quod Gaufridus Vindocin. [a] rectè vidit,) ac veluti ex obliquo, ſatis illas pupugit ea increpatione, qua corripuit collegam, cuius eædem quæ Iudæorum voces erant, vt impoſſibile planè eſſet eas in Latrone collega reprehendere; in Iudæis intactas velle. Itaque Chryſoſtomus [b] ita de hac fortitudine diſſerit. [Cùm aſpiceret illum crucifixum, condemnatum, populum infrà conuiciantem, grandi voce vociferantem; ſed tamen nihil horum illum tranſuerſum egit, aut à cõueniente exiſtimatione abduxit: ſed & alterum latronem grauiter increpat, his ad illum verbis vſus. *Neque tu times Deum.* Vidiſti libertatem Latronis. Vidiſti quomodo neque in cruce artis ſuæ obliuiſcitur, ſed per ipſam confeſſionem prædatur regnum. *Neque tu times Deum*, inquit; Vidiſti libertatem in cruce. Vidiſti philoſophiam. Vidiſti reuerentiã. Quòd enim ſibi præſens fuerit, quòd de ſtatu mentis non deiectus, & ſi clauis affixus; immenſóſque cruciatus ex clauis ortos perpeſſus, an non eum admirari æquum

a *ſerm. de Latrone.*

b *hom. in paraſc.*

eſt, ob tam generoſam animi conſtantiam?] Pulchrè item de eadem Latronis generoſitate ac fortitudine, in Chriſti innocentia conteſtanda, Gaufridus, [Eo tẽpore venit ad ſidem, quo Petrus fidem deſeruit: & quam Apoſtolus perdiderat, hanc die ſequenti latro inuenit. Ad vocem ancillæ, primus paſtor Eccleſiæ illum ſe noſſe negat, quem voce publica Latro prædicat: & quem princeps Apoſtolicæ electionis, ſe etiam hominem noſſe diffitetur, hunc Deum eſſe Latro, manifeſtè, & piè confitetur. Tota illa beatorum Apoſtolorum electio, relicto Domino perturbatur, & fugit: Latro inter ſæuientes Iudæos manet intrepidus; Chriſtum aſſerit innocentem, & ſe reum publicè dicere non erubeſcit, nec ſuum confiteri reatum.]

19. In ſubiectis Temperantiæ partibus, palmaris omníque encomio ſuperior eſt humilitas, quam verè Chriſti virtutem indigitauit Auguſtinus. Vt propterea Richard. Victor [a] contendat, omnem illum qui Chriſtum amat, humilitatis item amore flagrare oportere. Apud Deum verò tanti eſt hæc virtutum medulla,

[a] c 14 *in Cant.* in f.

dulla, ipſiúſque adeò virginitatis virginitas, nomenclatore Fulgentio, vt ne martyrium quidem quod apex videtur facinorum, & quo nihil apparet glorioſius, ad eius decus accedat. Quod Chryſoſtomus homilia quadam de petitione matris filiorum Zebedæi, [a] acutè colligit, ex eo quòd Chriſtus per ambos fratres interpellatus vt ſuprema loca cognatis ſuis deſtinaret, adactos vt reſponderent poſſe ſe calicem Domini bibere, ac pro eo morte defungi, docet quæ via ad captationẽ ſummorum illorum graduum ineunda ſit, ſubiuncta doctrina de humilitatis ſtudio; quaſi hoc ſit certius ac compendioſius ad illum verticem iter, quàm martyrium.

Hoc ergo virtutum, (vt cum Baſilio [b] dicam,) theſaurophylacium; hoc vt vocat S. Macarius [c] Chriſtianiſmi ſignum, quo qui caret vas eſt diaboli: hæc virtutum ſaburra, quàm excellens in Latrone fuerit, vel ex ipſa Chriſti ſuffixi præſentia licet colligere. Quod enim veriſſimè à Nazianzeno ſcriptum eſt [d]. Impoſſibile videri ſapere hominem, & defixis in Chriſti è cruce inter Latrones

a *tomo* 1. *Græcol.*

b *c.* 16. *conſtit.*

c *hom.* 15.

d *in S. Baſilij laudat. ſiue orat* 20. *n.* 54.

pendentis imaginem, oculis, ſuperbire; valuit multo magis in Latrone, qui viuum ipſum ac ſpirans humilitatis ſimulachrum, non adumbrationem eius aliquam vſurpabat oculis. Ipſum Chriſti IESV nomen, quòd paſſionis; & noſtræ per crucem ſalutis memoriam ingerat, malagma eſſe accommodatiſſimum tumori humano deprimendo ,. ideóque Apoſtolum Corinthiis tumentibus nomen illud propè ad faſtidium ingeſſiſſe, notauit S.Chryſoſtomus.[a] Nec alius fuit Auguſtino ſenſus,cum dixit [b] de Chriſto manu forti diabolum debellante in cruce. [Quòd Dauid proſtrauit Goliam, Chriſtus eſt qui occidit diabolum.Quid eſt autem Chriſtus qui diabolum occidit? Humilitas cæcidit ſuperbiam. Cùm ergo Chriſtum nomino,fratres mei, maximè nobis humilitas commendatur. Viam enim nobis fecit, per humilitatem,quia per ſuperbiam receſſeramus à Deo: Redire ad eum niſi per humilitatem nō poteramus, & quē nobis præponeremus ad imitandum, non habebamus.Omnis enim mortalitas hominum, ſupetbia tumuerat.Et ſi exiſteret aliquis vir

a *hom* 2.*in* 1.*ad Cor.*
b *in pſ.*33. *conc.*1.

vir humilis in ſpiritu, ſicut erant Prophetæ, Patriarchæ, dedignabatur genus humanum imitari humiles homines. Ne ergo dedignaretur homo imitari hominem humilem, Deus factus eſt humilis; vt vel ſic ſuperbia generis humani non dedignaretur ſequi veſtigia Dei.] Similia pulchrè [a] alibi ad illud *tu humiliaſti ſicut vulneratum ſuperbum* [b] Multò itaque altiùs ac fortiùs humilitatem & ſui diſpicientiam Latroni infigebat contemplatio Chriſti ſuffixi, & earum ſummæ humilitatis actionum ac perpeſſionum, quas in crucis theatro DEVS verbum propoſuit hominibus ad imitandum. Non enim abs re à D. Auguſtino [c] ad illud, *vanum eſt vobis*, Chriſti paſſio, vocatur ipſa humilitas, ante quam malè volunt ſurgere priuſquàm ſederint, qui Chriſto deiecto & humili, geſtiunt eminere.

20. Experiebatur præterea potentiſſimum humilitatis incentiuum Latro, in ſua ſubita euectione è nequitiæ volutabro, ad nitelam filiorum Dei, in exercitatione præſtantiſſimarum actionũ quas eius conuerſio continebat, & à ſe non

niſi

a in pſalm. 88.

b & optimè ſerm. 1. de S. Laurentio inter ſermones de diuerſ. & ſerm 41. de verb. dom. c 1. nec non ſer. 74. de temp. c. 7.

c in pſalm. 126.

niſi per virtutem ex alto ſuppeditatam profectas illuſtrante Deo perſpiciebat. At hoc eſſe totum ſolidæ humilitatis fundamentum, ſæpè docet D. Auguſtinus. Nam vt ait, [a] *non gloriatur omnis caro coram ipſo.* Non enim gloriantur iniuſti, quia non habent vnde nec iuſti, qui ex Deo ipſo habent vnde, nec habent gloriam ſuam, niſi ipſum, cui dicunt; Gloria mea & exaltans caput meum. Ac per hoc ad omnem hominem pertinet quod ſcriptum eſt; *Vt non glorietur omnis caro coram ipſo.*]

a *lib. de corrept. & grat. c.* 12.

Hoc agnoſcentes ſanctiſſimi quique, prçſertim quos Deus ex ſcelerum gurgite cœnoſo duxit ad puritatem ſanctimoniæ, nūquam ſibi ſatis deſpexiſſe videntur quod ex ſeipſis ſunt, & habent. Vſque adeò vt S. Paulus, quod ideò D. Auguſtinus notauit [b] vt hanc puſillitatis ſuæ agnitionem, vel nomine ſuo teſtatam faceret, abiecto vetere Sauli nomine, quo à Deo auerſus & Eccleſiam inſectans nuncupabatur, dictus ſit Paulus, quaſi puſillus & modicus, vtique ex ſeipſo. Nam per gratiam, cor adeptus erat mare ac cœlum æquans magnitudine iuxta

b *l. de ſpir. & litera, c.* 7.

iuxta Chryſoſtomum [a]. Qui alibi ait, ſolem viſibilem magnitudine ſuperatum eſſe ab hoc Eccleſiaſtici orbis Sole [b]. Cui igitur dubium eſſe queat, Latronem calente adhuc (vt ita dicam) diuino in ſe munere, & quod alia occaſione dixit Baſilius Seleuc. tantos in ſe diuinorum beneficiorum imbres deprehendens, in imum ſui nihili detruſiſſe ſe ipſum, agnoſcentem quid ſibi, quid Deo in ipſo deberetur; quod eſſe verum humilitatis metrum, nemo qui humilitatis rationem ac naturam peruaſerit, ignorare poteſt.

a hom 55. in Acta.
b ſerm. 4. in. ad Philip.

21. Ex interna hac humilitate, erupit ſyncera ac humilis peccati confeſſio Latronis, quę pręter cruciariorum morem, qui nihil non excuſant, iuſto ſe ſupplicio perire, tam multa eo acerbo funere digna operatum, publicè palam profeſſus eſt, dicens; *& nos quidem iuſtè, nam digna factis recipimus.* Vidiſti (ait Chryſoſtomus [c]) plenam confeſſionem, vidiſti Latronem in cruce ſuis renunciaſſe peccatis? *dic namque,* (ait,) *tu iniquitates tuas prior, vt iuſtificeris.* Nullus impulit, nullus neceſſitate conſtrinxit, ſed ipſe ſponte ſua peccata publicabat, dicens: *Nos quidem iuſte,*

c hom. 1. de cruce & Latrone.

iuſtè, digna enim his quæ fecimus paſſi ſumus, iſte autem nihil tale fecit.]

a ſerm de ſacra dom. paſſ.

Sed & Drogo,[a] ex ipſis Latronis verbis internam humilitatem ſic colligit. [Meméto mei. Cuius mei? Mei, inquam, tam indigni, tam peccatoris: Iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt. Confundor oculos meos ad te leuare, tibi ſoli peccaui, tu ſolus potes à peccato meo me mundare, malum contra te feci, cùm me tibi volui celare; latro ſum animæ meæ. Homicidium quidem feci; volui occultare, ſed malum coram te feci, memento mei, miſerere mei.]

b collat. 18. c. 11.

Scio fallacem admodum eſſe humilitatis rubricam, externam peccati accuſationem, quod docet illa apud Caſſianum[b] ficta humilitas hominis cucullo tenus monachi; qui cũ ſe priùs omnium deteſtabiliſſimum vltrò appellaret, ac ne conſidere quidem ſuſtineret, ſed obfirmatè humi iaceret, & indignum ſe qui vel communem aërem hauriret præ tot ſuis flagitiis profiteretur; ſtatim atq; Abbas Serapion in tumentem latentis ſuperbiæ vomicam ſcalprum infixit, depoſita

ſita perſona, quæ tandem eſſet ea anterior humilitatis larua, apertè prodidit. Quo minus tamen de hoc *humilitatis figmento*, vt Caſſianus ſuprà loquitur, Latronis confeſſionem & ſui accuſationem inſimilem, obſtat laudata ipſius veritatis ore Latronis confeſſio: qua laudatione nunc conſequenter expendenda, omnibus hactenus recenſitis Latronis virtutum actibus, quaſi probatæ & nullatenus adulterinæ monetæ, principis teſtimonium & velut obſignatio acceſſit.

22. Iuuat in hac meta, breuem ſummam omnium inſigniũ virtutis actuum quos à Latrone elicitos hactenus tradidi, verbis Arnoldi Abbatis [a] repræſentare. Credit Latro & confitetur, teſtis eſt innocẽtiæ Chriſti. Increpat maledicum, nec ſibi parcit, ſed tantùm accuſator eſt ſui. Seipſum aduerſum ſe ſententiæ ſeueritate prolata, perſequitur. *Neque tu*, inquit, *times Deum?* Deum non erubeſcit fateri, quem ex inuidia, non ex merito nouerat crucifigi. Multa igitur pietatis officia ſimul complectitur, credit, timet, compungitur, & pœnitet, confitetur, & prædicat, amat, cenfidit, & orat. Fide illumina

[a] *tr. de 1. Chriſti verbo.*

luminatur, timore ſubditur, compunctione mollitur, pœnitentia concutitur, confeſſione purgatur, dilectione dilatatur, prædicatione zelatur, confidentia ſperat, oratione impetrat. Ibi ergo philoſophatur, & prædicat, & fatetur, vbi non tantùm diffugiunt, & tremunt Apoſtoli, ſed ipſi maligni ſpiritus iam compoſiti ſibi fræni ſaliuaria maſticantes, per antiquum organum ſuum linguam fœmineam, nitebantur colligationes illas impietatis diſſoluere.]

Quid Chriſtus ad Latronis confeſſionem ac petitionem repoſuerit.

Capvt X.

1. Converſo ad Dominum Latrone, Dominus ad eum vti per prophetam ſpoponderat, conuerſus eſt, quod ſequitur expendendum. Eximios enim Latronis diuinitùs tacti infuſarum cuiuſcunque generis virtutum actus, quibus orationem Chriſto porrectam exornauit, commu-

niitque

nuítque, hactenus recenſuimus. Sequitur ergo vt cum Bernardo poſtquam eoſdem actus attigerat, [a] ſic concludamus. [Quid tali oratori ille bonus pater negaret, qui eum incitauerat, vt rogaret, præſertim dum in ſede ſponſali, die nuptiali ſederet? Sedes ſponſalis crux erat, in qua verus ſponſus ſponſam ſuam Eccleſiam ſibi copulauit, ipſi ſibi proprij ſacrati ſanguinis effuſione ſubarrans. Exaudiuit ergo Chriſtus animam, non iam Latronis, ſed Confeſſoris ſui, ſponſam ſuam; & orantem digna reſponſione confortatur: *Amen dico tibi*, Verè dico tibi, *hodie mecum eris in paradiſo.*]

a *tract. in illud, ego ſum vitis vera cap. 9.*

Breue omnino reſponſum, & verborum mole planè ſubſtrictum, ſed ſenſibus & pietate adeò diffuſum, vt nõ dubitauerit S. Bernardinus [b] ad hæc verba ita præfari. [Nota benè, quia non videbis in tota ſcriptura ſeptem verba tantę dulcedinis & efficacitatis,] vt proinde non videatur operæ pretium aliam huic capiti ſyntaxim quærere, præter illã quam verborum extima facies ſubminiſtrat. Singula itaque verba reſponſi dominici ſcrutabimur, & diligentem veſtigatio-

b *tomo 4. ſerm 45 de amore anguſtioſo.*

nem, quam Chryſoſtomus in quibuſvis Scripturæ ſyllabis & apicibus adhibendam monet, [a] ac etiam in vulgaribus nominibus prætermittendam negat, quòd magnas & ingentes auri & myſticæ ſignificationis maſſas occulant, vſurpabimus in mellitiſſima Chriſti reſpõſione, quam S. Fulgentius [b] Chriſti teſtamentum, crucis calamo conſcriptum, ſcitè appellauit. S. autem Ambroſius[c] agnoſcit in hoc reſponſo ignem conſumentem, qui abſterſit culpam Latronis. S. Hieronymus,[d] hoc reſponſo exhibendo, & Latronis pœnitentiam in patibulo ſuſcipiendo, perfectæ nobis humilitatis exemplar, in ſe à Christo datũ, agnoſcit.

a hom. 18. in Geneſ.

b ſer. nou. 60.

c epiſto 3. quæ eſt ad Simplic.

d epiſt. 75. initio.

2. Illud tamẽ ante omnia ſtatuendum eſt, vt indubitatum, hancChriſti reſponſionem non eſſe ſuppoſititiam, & ab aliquibus Euangelij adulteratoribus inſertam; quod aliquos in dubium reuocaſſe, lego apud Origenem, [e] qui eos inde in fraudem actos refert, quòd putarẽt eam Chriſti promiſſionem non poſſe cohærére cum illis aliis Chriſti verbis, *Filius hominis erit in corde terræ, tribus diebus & tribus noctibus.* Nam quomodo triduum & trino

e in calce commentariorum in Ioan.

trinoctium in corde terræ egiſſet Chriſtus, ſi illicò à morte fuiſſet in paradiſo, vt fert illud Chriſti ad Latronem reſponſum? Nihilominus homini Catholico dubium eſſe non poteſt, an ea promiſſio Latroni facta, verè fuerit facta à Chriſto, & ab Euangeliſta ſcriptis commiſſa. Eccleſia námque eam quoque Euangelij partem, vt Scripturam Canonicam proponit. Et idem agnoſcunt omnes Patres, vt proinde explodenda ſit contraria dubitatio: cui nullatenus ſuffragatur ille alius locus, quo Chriſtus affirmat ſe futurum triduo & trinoctio in corde terræ. Non enim hæc duo repugnant, quod operoſum non eſt oſtendere. Dimiſſa autem vana illa interpretatione, quæ proponitur apud Origenem, quòd ſcilicet Chriſtus inducto primùm Latrone in paradiſum, poſtea eodem die in corde terræ fuerit; dicendum eſt, Chriſtùm ea ipſa die quoad animam fuiſſe cũ Latrone in corde terræ, vbi erat Limbus Patrum: ſed quia vbicunque habetur clara Dei viſio, ibidem eſt paradiſus, propterea Làtro viſionem illam eo ipſo die adeptus, & in corde terræ fuit cum Chriſto,

& in paradiſo; etiam cùm in corde terræ, ſiue in Limbis quoad locum phyſicum verſaretur. Supereſt quidem in illis tribus diebus ac noctibus non modica difficultas, quòd Chriſtus longè maturiùs videatur reſurrexiſſe, nec hæſiſſe per tres dies ac noctes in corde terræ. Sed noſtra tantùm nunc refert videre, quomodo locus ille cũ hoc in quo verſamur nõ collidatur: id quod ſatis expeditũ eſt, & oſtenſum, non idcircò locum præſentem eſſe expungendum, tanquam ſuppoſititium ac minimè Canonicum. Illam verò aliam difficultatem multipliciter enodant varij Patres, & diligenter Iſidorus Peluſ. [a] ac Caſſianus. Alia ad eius loci enodationem, ſed myſtica potiùs & nimis longè petita, ſuppeditabũt: Damaſcenus,[b] Nyſſenus[c] & Nicol. I. ad conſulta Bulgar. [d] Latè item de eodem loco, Albinus Flaccus,[e] Marcell. Francol.[f] nupérque refoſſus Abelardus.[g] His ita conſtitutis, ad verba loci propoſiti veniamus.

3. *Amen*; Hebraicæ huius vocis, quam immutatam retinuit vſus Eccleſiaſticus, varia ſignificata proſtant apud interpre-

tes

a *l. 1. epiſt. 114. & l. 2 epiſtol. 212 lib 6. de Incar. c. 23.*
b *orat de ſabbatho ſancto pag. 275.*
c *orat. 1. de Chriſti reſurr.*
d *c. 5.*
e *de diuin. offic. c 8.*
f *l. de horis Cano.*
g *ad probl 4. Heloiſa.*

tes ſacros, Maldonatũ,[a] Toletum,[b] Delrium[c], Riberam[d], & qui interpretes decorarunt Durantum[e] ac Scortiam.[f] Breuiter autem ſtatuendum eſt, dimiſſis in hac voce diuerſis myſteriis Marcoſianorum apud Epiphaniũ,[g] triplici dumtaxat modo vſurpatam legi hanc vocem in ſcripturis, vt Vrbanus I V.[h] rectè annotauit. Nempè in vi nominis, aduerbij ac verbi, vſurpatur in vi nominis cùm deſignat ipſum Deum, eſtque nomen eius proprium tanquam ipſiuſmet veritatis. Qua ratione Iſaiæ 65. dicitur, *bene dicetur in Deo amen*, id eſt, in Deo qui eſt ipſa veracitas. Item in Apocalypſi dicitur:[i] *Hæc dicit amen teſtis fidelis & verus.* In Græco additur articulus τάδε λέγει ὁ Ἀμὴν, ὁ μάρτυς ὁ πιστὸς, καὶ ἀληθινὸς *Hæc dicit ille amen, ille teſtis, ille fidelis, & verax*: Ex cuius articuli præfixione liquidò conſtat, vocem *Amen* vſurpari eo loco in ratione nominis, vt diſertè ibi Ticonius & Primaſius aduerterunt.

Aliàs autem vſurpatur per modum aduerbij, vt idem ſit *amen* ac *verè*, vel *in veritate*, aut *certè*: qui eſt huius vocis vſus in nouo Teſtamento admodũ frequens,

a *in c. 5. Matth. ad v. 18.*
b *in cap. 5. Ioann. annot. 4. adagiali 1.3.*
c *in c. 1. Idan. ſub finem.*
d *& in c. 3. Apocal. ad v. 14*
e *l. 2. de rit. c. 17.*
f *3. de miſſa c. 20.*
g *hæreſi 34.*
h *in Dominica orationis explicatione.*
i *c. 3.*

in veteri parcior. Et tunc à 70. vertitur ἀληθινῶς ; ab Aquila autem Theodotione & Symmacho, vt S. Hieronymus notauit in calce Epiſtolæ ad Galatas, id ratū habens alibi.[a] Et tunc vertitur πεπιστωμένως id eſt *fideliter*. Quo tanquam ſignaculo veritatis (vt loquitur idem Hieronymus) qui audit, annuit vera eſſe quæ audiuit, vel vera eſſe quæ narraturus eſt. Eóque ſenſu, autore eodem Hieronymo:[b] Hebræi extremum opuſculum ſubnotabāt addita ea voce *amen*, vt nos inquit, apponentes *explicit*. Significabant autem vera eſſe quæ ſcripta erant. In nouo Teſtamento clariſſima eſt hæc vſurpatio, & ideo quòd Marcus[c] dixit, *amen dico vobis quod vidua hæc pauper plus omnibus miſit*: Lucas cap. 12. ita expreſſit; *vere dico vobis, quia vidua hæc pluſquàm cæteris miſit*: S. Ambroſius[d] ita interpretatur antiquam reſponſionem plebis ad ſacerdotem, porrigentem corpus Chriſti: *Corpus Chriſti, amen*. Aliqui iurātis aduerbium eſſe cenſuerunt, quod in tam crebra illius vocis per Chriſtum vſurpatione, veriſimile non eſt. Nam Chriſtus iuramenti vſum crebrò interdixit; ac proinde vt doctrinam

a epiſt. 137 & in c. 65. Eſaiæ.

b epiſt. 138.

c c. 12.

d de ſacr c. 5.

nam illam ſuo exemplo firmaret, non decuit eum tam crebrò iurare. Acutè tamen S. Auguſtinus, [a] dixit hoc eſſe quaſi iuramentum. Id quod etiam habet S. Ambroſius[b], quia vt plerique temeritatē non ferenda omnibus propè enunciationibus præfigunt iuramentum, ita Chriſtus quæ ſeriò dicta & omnino vera agnoſci volebat, enunciabat pręfixa hac particula *amen*; Plerúmque geminata, quod Rupertus,[c] & ex parte apud S. Bernardū, [d] vetus auctor ſermonum de cœna Domini, refert ad grauitatem maiorem rei affirmatæ & eius credendæ difficultatē. Sed hoc non placet, cùm Ioannes paſſim Chriſti enunciationibus præfigat duplex *amen*, etiam de iis agendo quibus cæteri Euangeliſtæ vnicum præfigunt. Quos etiam obſeruare licet ea geminatione abſtinere, quãuis res quoque difficillimas creditu referant. Vt proinde Chriſti ſententiam referentes Euangeliſtę, vel ſimplex vel geminatum *amen* vſurpaſſe videantur, prout ipſis familiare erat vtrolibet illo modo loqui.

a *tract.* 41. *in Ioann.*

b 4. *de fide* c. 3.

c *in cap.* 1. *Ioann.*

d *ſerm.* 8.

Denique accipitur vox *Amen*, in vi verbi optantis. Qua ratione expoſita pe-

titione aliqua vel imprecatione, additum legimus, *amen* : vel geminata particula, ad maiorē deſiderij expreſſionem, *Amen, Amen* : Septuaginta vertunt γένοιτο quiceſt vſus vocis *amen* in veteri Teſtamento frequentiſſimns; rarior in nouo, etiamſi in eo quoque locum interdum
a *1.Cor. 14.* habeat. Sic enim Apoſtolus [a] increpat benedictionem in Spiritu, quòd is qui ſupplet locum Idiotæ non ſit ſubiuncturus *amen* ad eius benedictionem, quippe quid dictum ſit, planè ignarus; & ex vſu Eccleſiæ perantiquo, vt videre eſt apud
b *apolo 2.* Iuſtinum [b] & Cyrillum [c], idem vſus vo-
c *catach. 5. Myſtagogica.* cis inualuit in populo obſignante ſacerdotis precationem. Aliàs autem illud *fiat* poteſt accipi in vi verbi aſſeuerantis, & quaſi imperantis: perinde ac ſi diceres:
d *pſal, 40. in fine.* *ratum eſt ac fixum*, ex Ambroſio. [d] Ex his patet, perperàm aliquos tertiā dumtaxat huius vocis ſignificationem admit-
e *in cap. 5. Numer.* tere, vt Oleaſtrum. [e] Alios ſecundam dumtaxat, vt Caninium [f]. Paucos primæ
f *de locis noui Teſt. c.5.* meminiſſe, quæ tamen in neutro Teſtamento eſt inuſitata.

4. Quācumque ex prædictis notationem huic voci quis ſubiiciat in Chriſti reſpon-

reſponſo, perſpicuè habebit ſignificationem eximij affectus quo Chriſtus Latronis petitionem excepit. Nam iuxta primam, ſenſus erit; Ego qui ſum prima veritas, & qui tam excidere veritate non poſſum, quàm deitate, *dico tibi*, &c. Quæ eſt admodum emphatica & præpotens affirmandi ratio, quam vſurpans, omnino velit adhiberi ſibi fidē, excluſa quacunque futuri euentus ambiguitate: qui loquendi modus magnum ſolatium Latronis continet, quem Deus præfatus deitatem, & ſummam veracitatē ſuam, velit certum eſſe promiſſi. Iuxta ſecundam notionem propoſitam, ſenſus erit. *Verè dico tibi*, aut vt cum S. Ambroſio exponam, [a] *fideliter & quaſi ſum iuſiurandi atteſtatione dico.* Et hic quoque modus loquendi in præſenti ingentem Chriſti affectum prodit, qui fidem ſuam interponat, vt ſecurum faciat Latronem. Tertia notio poteſt etiam hîc vſurpari, non quidem ita vt deſiderium Chriſti exprimatur, ſed vt deſignetur imperium, & veluti acceptatio propoſitæ petitionis. Sicut enim Princeps porrecto ſupplici libello reſpondet, *fiat*, non deſiderans

[a] *4. de fide c 3.*

ſed mandans vt ita ſit,ita Chriſtus expoſitam Latronis petitionem ratam habẽs, dicit, *Fiat tibi ſicut vis*: *Edico ex hoc mea poteſtatis throno,vt quod poſtulaſti tibi obtingat, ideóque annuens votis tuis,aio*, &c. Quem poſtremum ſenſum qui omnium minùs ſimplex videri poſſet, ſubindicat Petrus Damiani [a] cùm reſponſum hoc Chriſti expendẽs,exclamat: [ô iuſtificantis Dei immenſa potentia. Iudicatus iudicat, & addictus crimini crimen ex poteſtate relaxat. Ipſam porrò crucem in qua pendet,quodammodo dictantis cenſuræ ſolium facit.]

a ſerm. de exalt. S. Crucis

5. *Dicò.* In hac dictione abyſſum bonitatis Chriſti in Latronem acutè perſpexit Chryſoſtomus [b]; [Cùm nulli prorſus (inquit) quicquã locutus eſſet Chriſtus, ſed tacuiſſet, & neque Pilato, neque vlli alteri Iudæorum ſceleratę capiti reſpondiſſet, tum reſpondet: Et quoniam graue admodùm, & incommodum erat ſilentium, iam reſpondet, aitque Latroni: *Amen, amen dico tibi; hodie mecum eris in paradiſo.*] En igitur miram Chriſti benignitatem in Latronem, qui dignatus ſit benedicta ora ſoluere in

b orat. de cæco.

eius

eius gratiam, quæ Herodi & Pilato laxare recuſauit. Nimirum pluris eſt apud Deum vnus iuſtus, cuiuſmodi iam tunc Latro erat, quàm omnes Principes & Reges, imò quàm vniuerſus mundus, vt Philo Iudæus rectè [a] vidit, annuítque S. Chryſoſtomus.[b]

Poteſt etiam ea dicti expreſſio in actu ſignato pertinere ad firmandam Latronis ſecuritatem, cõteſtando, illum quem Regem agnouerat, in Regis verbo ac Regia fide dicere ac promittere. Alioqui videri poſſet ſuperuacanea fuiſſe expreſſio illa dictionis in actu ſignato. Non enim quoties dicimus aliquid, profitemur in actu ſignato nos hoc dicere. Vt ergò eſſet Latroni indubitatum quod ſpondebatur, adhibita eſt ea verbi energia, magnatibus aliquid affirmantibus, & ſecurum aliquem præſtantibus, familiaris. Chriſtum ſanè vt dominatorem hæc verba prolocutum, etiamſi pluſquàm ſeruilem in morem in cruce penderet, Fulbertus Carnotenſis [c] annotauit.

Tibi [Cui tibi, (ait Bernardinus[d]?) In promptu eſt reſponſio, partim ex Latronis oratione, partim ex ipſius patibuli

cui

a *lib. de charit.* ſub finem, & *lib. de decalo*

b *hom* 27. *in ad Hebr. ante partẽ mor.*

c *epiſt.* 7.

d *tract in illud ego ſum via vera, c, 9.*

cui Latro ſuffigebatur, conſideratione. Senſus itaque eſt, Tibi præconi meo; Tibi Iudæorum ſannas & minas in mea cauſa nō merito; Tibi tāta fide, ſpe, charitate ad me conuerſo; Tibi antehac Latroni, homicidæ, nequam, ac vitæ hactenus profligatiſſimæ. Sed non fuit Chriſto difficile ſubitò honeſtare pauperem, & Latronem paradiſo dignum præſtare. [Et Imperatori quidem (inquit Chryſoſtomus) [a] vel cuilibet habenti poteſtatem, iniurioſum putatur, ſi perſonam viliſſimam participem ſui actus accipiat: Chriſto autem noſtro non iniuriæ fuit, ſacram ingredienti patriam, facere ingreſſus ſui Latronem participem. Nam ſecum eum perduxit, non confundens calcātibus Latronis pedibus paradiſum, ſed honorem præſtans paradiſo. Honor etenim loci eſt, talem Dominum promereri, qui & Latronem dignum reddiderit paradiſo. Nā; & cùm publicanos, & fornicarios ad cœlorum regnum introduxit; non cœlorum regnum infamauit, ſed etiam magis honoribus ampliauit, oſtendens talem Dominum regni eſſe cœlorum, qui & indignas in tantum

[a] *hom. 2. de cruce.*

tum

tum fecit meliorari perſonas, vt etiam illius dignitatis gloriam mererentur. Nã ſicut homines quibus corpora medendi cura eſt, ampliùs admiramur, cùm ægrotos omni ſpe deſolatos, arte propria curauerint, & ſummæ reddiderint ſanitati: ſic & Chriſtum noſtrum, iuſtum eſt admirari, donantem, vulneribus ſanitatem, publicano, & meretrici remedium pollicentem, & eis ſalutem perpetuam largientem, vt & dignos eos cœlorum amœnitate donaret.] Hæc Chryſoſtomus, quæ verbatim adſcripta habentur apud Auguſtinum[a].

Videri etiam poſſit hæc promiſſionis additio, non inutilis ad firmandam Latronis ſecuritatem de euentus futuritione certa & rata. Idcircò enim vt Philo[b] animaduertit, præter cæteras cauſas, Deus legẽ ferens nõ vniuerſim & adhibito plurali numero hoc illúdve mãdauit, & hoc illóve interdixit; ſed in ſingùlari & directa ad vnũ oratione. Nõ enim dixit, *nemo furetur aut mœchetur*; vel *nulli ſint fures aut mœchi*. Aut, *Omnes qui furabuntur vel mœchabũtur, plectantur*: ſed, *non furaberis, nõ mœchaberis*. Tumet ipſe inquã, qui audis.

a *ſer.* 130. *de temp.*

b *l.* 3. *de cal.*

audiſ.Ne pro cõmuni corruptela ad cõmune Iuſſum ſinguli obſurdeſcãt, turbã prætexentes ſuæ malitiæ; ſibíque non aliis (vti aſſolet,) dictum arbitrentur quod excipiunt. Poteſt igitur in re præſenti, adhibitio promiſſionis ſingularis, & expreſſa Latronis compellatio, ad firmandam perſuaſionem eius deſeruire, & ad altè infigendam certam fidem non irriti futuri promiſſi diuini.

Adderet Baſilius Seleuciæ, additum illud, *tibi*, ne efficacia vocis Chriſti ad alios vllos permaneret. Sic enim[a] vt reddat rationem cur Chriſtus dixerit *Adoleſcẽs dico tibi, ſurge*, appoſito pronomine, *tibi*; ait cauſam fuiſſe, ne alij quoq; mortui ſurgerent. Reuerà tamen neque ei loco neque præſenti neceſſaria, vel accommodata eſt huiuſmodi doctrina: cùm effectus ſermonis Chriſti, non ex cortice vocum, aut extima (vt ita dicam) ſoni cruſta penderet, ſed ex proferentis voluntate, quæ determinata erat & ad certam tantùm perſonam defigebatur.

a *orat.* 70. in fine.

7. *Hodie*, Simplex notio huius vocis quã cortex eius ingeminat, retinenda eſt, vt ſit ſenſus *hac ipſa die*. Quod in primis ſtatuendum

tuendum fuit contra Origenem [a], cuius hæc ſunt verba. [Dicimus plerúmq; vocabulum, *hodie*, in ſcriptura extendere præſens tempus in totum ſæculum: vt illud. *Diuulgatum eſt hoc verbum apud Iudæos vſque hodie*: Et, *hic eſt pater Moabitarum vſque in hodiernum diem*: Et, *hodie ſi vocem eius audieritis, ne recedatis à Domino.* Itaque oranti Latroni, vt ſui memoria habeatur in regno Dei, promittit Chriſtus in vocabulo, *hodie*, ſe facturum vt Latro ipſe ſecum ſit in regno Dei, præſenti ſæculo, ante futurum.] Affine eſt placitum quorumdam Græcorum apud Theophilactum, [b] qui hoc temporis aduerbio non cenſent deſignatum fuiſſe illũmet diem quo Chriſtus loquebatur, [ſed quia inuariabilis ſit, & mentiri nequeat Domini promiſſio, ideò dictum eſſe, *hodie mecum eris in paradiſo.* Eſt enim, & hæc ſpecies phraſeos in verbis dominicis, vt de futuris loquatur tanquam de his quæ iam fiant: vt cùm dicit, *Qui non credit, iam iudicatus eſt.* Et, *Qui ſermones meos audit, & credit, in iudicium non venit, ſed tranſiuit de morte in vitam.*

Negare non poſſumus, hunc eſſe ſcri-

pturæ

a *in calce commentariorum in Ioan.*

b *Luc. 23.*

pturæ vſum, vt futura ob certitudinem euentus, enũciet tanquam præſentia vel præterita; [ſpem tanquam opus iam factum intuẽs,] ait Nyſſenus.[a] Latè id confirmat Chryſoſtomus[b] Leo,[c] Fulgentius,[d] & Auguſtinus, accurratè[e] in eum ſenſum accipiens illud Iſaiæ 25. iuxta Septuaginta, *qui fecit quæ futura ſunt.* Imò in Pſal. 3.[f] obſeruat, in eodem verſiculo, & per verbum præteritũ & per verbum futurũ eandem rem fuiſſe expreſſam, vt hoc diſceremus. Quinetiam quod longè infrequentius eſt,[g] alibi notat aliquando verbum futurum, poni ad exprimendam rem iam factam; vt omnium temporum apud Deum paritas monſtretur, quamuis Pſalmo 103.[h] id vix vnquam in Scriptura deprehendi animaduertat.

a *hom* 5 *in cant.*
b *tomo* 5. *Græcolat. ſerm. in illud*, Pater *ſi poſſibile.*
c *ſerm* 16. *de paſſ.*
d *l.* 1 *ad Mouim. c.* 12.
e *l. de agone Chriſt. c.* 27 *& li. de concept & gra. c.* 9.
f *ad v.* 6.
g *q* 6. *in Num.*
h *conc.* 2. *v.* 6.

8. Eum itaque in Scriptura loquendi vſum non inficiamur: ſed eo vſum eſſe in præſentia Chriſtum, hoc verò pernegamus. Neque enim niſi omnia euerſa volumus, ad inuſitatos ſenſus & ſchemata confugiẽdum eſt, cùm proprius eſt ſimplex verborum ſenſus nullo incommodo vrgetur, vt hîc ſanè accidit. Præterquàm quòd vſus ille loquendi, ferè in prophe-

propheticis tantùm locutionibus adhibetur, quòd eas obſcuritate obductas oporteat. Et quamuis alibi quoque interdum vſurpetur, vt Ioannis 15. verbis illis, *in ignem mittent, & ardet*, vbi præſens pro futuro ponitur; & illo alio loco, *qui non credit iam iudicatus eſt*, id eſt, certò iudicium damnationis ſubibit. Tamen in ſimplici promiſſione concipienda, ineptit haud dubiè quiſquis eas temporum commutatorum ambages conſectatur. Apertè enim in fraudem agit audientem, cum quo non agit accommodatè ad humanum agendi & loquendi modum inter promittendum. Quod diſcrimen non imminet in denunciationibus, aliiſvè effatis. Abſit ergo vt Chriſtum, fido operario ſpondentem mercedis exſolutionem, illas troporum pedicas, adhibuiſſe admittamus. Quæ omnia æquè euertunt Origenis commentationem propoſitam, & eam quę poſſet de Euthymio [a] huc aptari. Quod enim ibi dicitur, *Hodie completa eſt hæc ſcriptura in auribus veſtris*, Ipſe exponit, *hodie, id eſt his diebus*; quo pacto promiſſioni Chriſti multum gratiæ & charitatis de-

a *in cap. 7. Lucæ.*

cederet. Sed nodi in ſcirpo fruſtra quæruntur.

a ſerm 7. Additio in Geneſ.

Accedit ad hanc interpretationem, ea quæ apud Chryſoſtomum legitur[a] verbis illis, quibus ſecũdam ſolutionem adhibet ad Manichæorum argumẽtum ex hac Chriſti promiſſione [Chriſtus dixit, *Qui non credit in Filium, iam iudicatus eſt.* Quid igitur? iam ne iudicatus eſt? Atqui nondum eſt reſurrectio: nondum ſupplicium, & pœna: Quomodo ergo iam iudicatus eſt? Propter peccatum. Et rurſus, *Qui credit in Filium*, (inquit) *tranſiuit de morte ad vitam*: Neque dixit, *tranſibit*, ſed, *iam tranſiuit*; & hic rurſus propter bonum opus, & ille rurſus propter peccatum. Vt igitur vnus iudicatus eſt, cùm nondum fuerit iudicatus, alter quoque tranſiuit ad vitam, cùm nondum tranſierit, & tam ad vnum ob bonũ opus, quàm ad alterum ob peccatum, quaſi iam res acciderint, cùm nondum acciderint, verba facit: ſic & ad Latronem dicebat: Nam & medici poſtquàm aliquem deſperatum vident, eum periiſſe iam, & mortuum eſſe dicunt, tametſi ſpirantem adhuc intuentur. Sed vt ille, quoniam nulla

nulla ſupereſt ſpes eius ſalutis, apud medicos iam mortuus eſt; ſic etiam Latro, quoniam periculum omne reuerſionis ad perditionem iam euaſerat, in cœlum intrauit. Sic etiam audiuit Adam: *Qua die autem cederitis ex eo, morte moriemini.* Quid igitur? An illo ipſo die mortuus eſt? Nequaquam, ſed poſt illum diem nongentos vixit, & plures annos. Cum igitur dixit Deus, illa ipſa die moriemini? ſententia, non experientia. Sic etiam Latro in cœlum ingreſſus eſt.] Verùm hæc interpretatio eſt planè incommoda. Sic enim omnes promiſſiones eludere liceret, promittendo in diem certam, non vt habeatur quod promiſſum eſt, ſed vt ius ad illud quaſi per ſententiam pariatur. Et poſſet eodem modo fingi Satanam nondum ardere niſi ſententia. Vſurpauit tamen ex Chryſoſtomo eam interpretationem Anaſtaſius.[a]

a *q.87 in ſcript.*

9. Fuerunt qui circa eandem vocem aliter luderent. Retenta enim ſimplici ac propria eius notione, dixerunt aduerbium, *hodie*, temporis præſentis, nectendum eſſe cum verbo *dico*, nō autem cum particulis conſequentibus: ita vt ſenſus

reſurrectionis eius aduentum, intelligatur implenda.]

Miror profectò interpretationẽ, quæ iam olim in Eccleſia tam malè audiit nupero cuidam quod teſtatur Alfonſus Salmerõ [a] viro cæteroqui graui ac erudito placuiſſe. At hòc vt quàm mitiſſimè dicam, eſt iocos in rem maximè ſeriam intrudere. Quid enim attinebat, ſignificare Chriſtum ſe ea diè loqui? An id Latroni erat incompertum? Deſipit planè, eneruatúrq; omnino Chriſti locutio; hac interpretandi & interpungendi inſulſitate. Acuta ingenij tarditate cauillatos qui hæc inuexerunt, ait & meritò Cardinalis Vigerius. [b]

a *in explicatione huius verbi Christi.*

b *chorda 7. cap. 145.*

10. Quare germanus ſenſus eſt, quem verbi cortex præfert, paſſimque à Patribus traditur: nimirum, vt, *hodie*, ſonet illam ipſam diem qua Chriſtus loquebatur, nectatúrque cum verbo *eris*, ac ſenſus ſit: *dico tibi, eris mecum hac ipſa die in paradiſo.* Aiò hunc eſſe locutionis Chriſti ſenſum germanum. Præterquàm quòd enim ſimplex vocis acceptio ita omninò poſtulat, poteſt idem liquidò deprehendi ex eo quòd Chriſti reſponſum ca-

dit in Latronis petitionem. Quia igitur Latro popoſcerat, vt quando Chriſtus in regnum ſuum veniſſet, tunc ſupplicij ſui recordaretur, reſpondet Chriſtus, illud, *quando*, non multùm abeſſe, & illa ipſa die implenda eſſe eius poſtulata.

Non repudio tamen myſticum ſenſum quem S. Ambroſius ſuggerit[a], ſic exponens iſtud, *hodie*. [Quid eſt hodie? hoc eſt de nocte tranſiſti. Mecum eris in lumine: noli tenebras formidare quē æterna lux ſuſcepit.] Ambroſio præiuerat in huiuſmodi expoſitione particulæ, *hodie*, Clemens Alexandrinus [b] expendens illud Pſalmi 84. *hodie ſi vocem eius audieritis*, imaginem æternitatis in eo aduerbio agnoſcens. [Illud autem hodie (inquit) augetur in vnoquoque eius die, donec nominatur hodie. Vſque ad conſummationem, & hodie, & doctrina permanet, & tunc quæ verè eſt hodie, quę non deficit dies Dei, vnà cum ſæculis extenditur. Semper ergo audiamus vocem verbi Domini. Hodie enim eſt imago æterni ſęculi, lucis verò ſignum, ac ſymbolum eſt dies. Lux verò eſt verbum hominibus, per quod Deum contemplamur.]

a *in Pſal.* 39.

b *in protreptr.*

Hunc

Hunc igitur myſticum ſenſum vocis propoſitæ, ita non repudio, & tamen agnoſci velim, non niſi myſticum eſſe: at germanus & literalis ſenſus is eſt, quem proponebam, quo ſcilicet ſpondebatur Latroni beatitudo à Chriſto, ea ipſa die.

11. Mirabilem hac in parte morem agendi diuinum, ſuſpicit S. Ambroſius[a], Tractans enim comminationem triduanæ peſtilentiæ, eámque Dauidis oratione arctatam conſiderans. [Vide (inquit) Domini gratiam, quòd & ipſe à propoſita cōditione deflexit. Nunquid aliquod eſt miſerationis crimen, quia plus minatur, & exigit; qui in remuneratione præmiorum ſua promiſſa cuſtodit, in exactione pœnarum præſcriptum remordet: Cùm iraſcitur in reum, differt; cùm miſeretur, properat vt abſoluat; terret vt corrigat; admonet vt emendet; præuenit vt ignoſcat. Vnde, & alibi ait propheta de Domino, *Calix in manu Domini vini meri, plenus eſt mixto, verumtamen fæx eius non eſt exinanita* Ad terrendum plenus eſt calix, ad feriendum non eſt exinanitus. Plenus erat calix, cùm mors per

a *in Pſal. 37 ad v.* 1

triduum mandaretur: ſed occurrit miſericordia Dei, tenuit manum Angeli, priuſquàm calicem iſtum exinaniret. &c. Diximus quemadmodum in vlciſcẽdo inflectat Dominus cõmotionem ſuam. Dicamus quemadmodum in remunerando præueniat noſtram precationem & doceamus exemplo. Audi illum ex duobus Latronem, dicentẽ Domino: *Memento mei Domine, cùm veneris in regnum tuum.* Reſpondit Dominus: *Amen, amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo.* Ille adhuc rogabat vt meminiſſet ſui, cùm veniſſet in regnum: & Dominus cùm nondum veniſſet, ei iam regnum cœleſte tribuebat. Quàm velox miſericordia. Tardius votum precantis, quàm remunerantis eſt præmium.]

a *ſerm. 3. in pſalm 118 ad verſ. 1.* Idem pulcherrimè alio loco [a] tractans illud, *Deus tuus ego ſum.* Sic enim ait, [Non dixit ero, ſed iam ſum, iam inhabito, iam poſſideo. Auffert dilationem, vbi inuenit iuſti confeſſionem. Sanè alibi ait: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Futurum promittit, ſed id quod futurum eſt, vnius diei ſpatio non patitur protelari. Denique potuit dicere: *mecum eris in paradiſo*: ſed addidit,

didit, *hodie*: ne dilatione, gratia minueretur]

S. Maximus, [a] dilatum præ Latrone S.Petrum(tanta fuit in Latronem beneficentiæ celeritas),demiratur[Petro (inquit)dicitur à Chriſto: *Non potes me modò ſequi,ſequeris poſtea.* Et huic dicitur: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Tanquam diſcipulus ille differtur, & hic tanquam ſocius incitatur. Ille adhuc reſeruatur ad præmium, etiam ad conſortium, iſtè diligitur.*Non potes*,inquit,*me modò ſequi*.Impoſſibile eſt Petro ſequi Dominum, & iam facile eſt Latroni eſſe cum Domino: *hodie mecum eris in paradiſo.* Non in aliud differtur tempus, non in diem alteram reſeruatur: ipſa hora qua paradiſus Deũ ſuſcepit, ſuſcepit & Latronem. Vnus paſſus eſt pro ſalute cunctorum,& duobus pariter immortalitatis ianua reſeratur.]

a *hom* 2. *de Latro.*

12. Aſtipulatur Eucherius, [b] verbis illis. [Diues & larga Dei bonitas, quæ ſicut excedit vota, ita gratiam adiungit ad merita.*Hodie*,(inquit)Tanquam ſi diceret. Quid me, ô fideliſſime comes, & vnicus tanti teſtis triumphi, quid me

b *hom. de Latrone.*

tantoperè exorandum putas, vt die iudicij mei meminerim tui? Quid me ad præſentem retributionem paratum, in tempora tam longa diſſimulas? Quid in futura ſæcula, fidem in te perfectam fatigas?*hodie mecum eris in paradiſo.*]Hæc totidē verbis in farraginē ſermonū ex variorum Patrum lucubrationibus conſarcinatam, & ſub vnius D. Auguſtini nomine malè circumlatam, irrepſerunt.[a]

a *ſer.* 120 *de temp.*
b *in Pſal.* 39.

Idem tamen his verbis habet germanus Auguſtinus[b], [ſona labiis, propinqua corde. *Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem Confeſſio fit ad ſalutem*, Qualis illè Latro inuentus eſt pendens in cruce cum Domino, agnoſcens in cruce Dominum. Alij non cognouerunt miracula facientem, agnouit ille in ligno pendentē. Erat ille confixus omnibus membris, manus clauis inhærebant, pedes transfixi erant, totum corpus adiungebatur ligno, corpus illud non vacabat cæteris membris, lingua vacabat, & cor. Corde credidit, ore confeſſus eſt. *Memento*, inquit, *mei Domine, cùm veneris in regnum tuum*, ſalutem ſuam longè futuram ſperabat, & poſt longum tempus accipere

pere cõtentus erat. In longũm ſperabat; dies non eſt dilatus. Ille dixit, *memento mei, cùm veneris in regnum tuum*; ille reſpõdit. *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo*, Hodie mecũ, inquit, eris in paradiſo. Paradiſus habet ligna fœlicia, hodie mecum in ligno crucis, hodie mecum in ligno ſalutis.] Alibi item optimè [a] [vnum erat crucis conſortium, non erat vnum præmium. Quid dico? Das Chriſto præmium, qui dator eſt præmiorum? *Domine*, inquit, *memento mei cùm veneris in regnum tuum* Pendentem videbat, Crucifixum videbat, & regnaturum ſperabat. *Memento*, inquit, *mei*, non modò, ſed *cùm veneris in regnum tuum.* Multa, (inquit,) mala feci: requiem celerem non mihi ſpero. Sufficiant tormenta mea vſque ad aduentum tuum: modò torquear; cùm veneris, tunc mihi parce. Ille ſe differebat. Sed Chriſtus paradiſum non petenti offerebat, *Memento mei*, ſed quando? *cùm veneris in regnum tuum*, Et Dominus, *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo* Diſcipuli mei dimiſerunt me, Diſcipuli mei deſperauerunt de me, & tu in Cruce cognouiſti me, non contempſiſti mo-

a *ſerm* 17. *ex* 40. *nouus.*

riturum, ſperaſti regnaturum, hodie mecum ĕris in paradiſo. Non à te recedo.]

13. *Mecum eris.* Hæret in hoc verbo Bernardus,[a] quaſi eius ſaporem guſtare geſtiens; [Mira (inquit) benignitas, non dixit ſimpliciter eris in paradiſo, vel cum Angelis eris, ſed mecum eris. Satiaberis eo quem deſideras, videbis in maieſtate quem confiteris poſitum in infirmitate: nec differo quod promitto, quia hodie mecum eris.] Mecum hodie particeps glorię, qui nunc mecũ ſupplicia toleras. Simul ſumus nunc & compatimur; ſimul quoque cōregnabimus, ſimul poſtmodum erimus fœlices, his laboribus miſeriiſque perfuncti. Nam vt nihil præterea addidiſſet Chriſtus, non poterat Latroni malè eſſe, cum Chriſto exiſtenti poſt exceſſum ex hac vita: Idq́; ipſum magnos cœlitus delatos honores innuere, tradit egregiè S. Auguſtinus[a] expendens illud, *vbi ſum ego, illic & miniſter meus erit*, & docens hoc ipſum eſſe bonorum pretium, eſſe cum Chriſto. [Vbi enim benè erit ſine illo, aut quando eſſe malè poterit cum illo? Audi euidentiùs, & *ſi quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum pater meus.*

a *tract. in illud* ego ſum vitis c. 9.

b *tract.* 51. *in Ioann.*

meus. Quo honore, niſi vt ſit cũ filio eius? Quod enim ſuperiùs ait, *Vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit*, hoc intelligitur expoſuiſſe cùm dicit, *honorificabit eum pater meus* Nam quem maiorem honorem accipere poterit adoptatus, quàm vt ſit vbi eſt vnicus, non æqualis factus diuinitati, ſed conſociatus æternitati?] Hactenus Auguſtinus quid & quantum ſit, cum Chriſto eſſe.

Sed inſigniter alibi,[a] tractans illud ex c. 17. *volo vt vbi ego ſum, illic ſit miniſter meus*, notans Chriſtum non dixiſſe Latroni, nec ſeruis ſuis ſpopondiſſe, quòd futuri eſſent *vbi ille eſſet*, ſed *cum illo*: Quæ duo admodum diſcrepare, ita demonſtrat. [Qui homini pœnaliter pendenti, & ſalubriter confitenti, ait, *hodie mecum eris in paradiſo*, ſecũdùm id quod homo erat, anima eius ipſo die futura fuerat in inferno, caro in ſepulchro. Secundùm autem id quod Deus erat, vtique, & in paradiſo erat: & ideo Latronis anima à priſtinis facinoribus abſoluta, & illius munere iã beata, quamuis vbique ſicut ille eſſe non poterat, tamen etiam ipſo die eſſe cum illo in paradiſo poterat: Vnde

[a] tract. 111.

Vnde ille qui vbique ſemper eſt, non receſſerat: Propterea nimirum, non ei ſatis fuit dicere. *Volo vt vbi ego ſum, & illi ſint*: ſed addidit, *mecum*; eſſe enim cũ illo magnum bonum eſt, nam & miſeri eſſe poſſunt vbi eſt ille: quoniam quicumq; vbicumque fuerint, eſt & ille, ſed beati ſoli ſunt cum illo, quia beati eſſe non poterunt niſi ex illo. An non Deo veraciter dictum eſt. *Si aſcendero in cœlum, tu ibi es, & ſi deſcendero in infernum ades?* aut verò Chriſtus non eſt Dei ſapientia, quæ attingit vbique propter ſuã mundiciam? Sed lux lucet in tenebris, nec eam tenebræ comprehenderunt: ac per hoc vt de re viſibili, quãuis longè diſſimili, qualecumque ſumamus exemplum, ſicut cæcus, etiam ſi ibi ſit vbi lux eſt, non eſt tamen ipſe cum luce, ſed abſens eſt à præſente; ita infidelis, atque impius, aut etiam ſi fidelis & pius, nondum tamen ad intuendum lumẽ ſapientiæ idoneus, etiam ſi eſſe nuſquàm poſſit vbi non ſit Chriſtus, non eſt tamen ipſe cum Chriſto, dumtaxat per ſpeciem: nam hominem piè fidelem, non eſt dubitandum cum Chriſto eſſe per fidẽ, propter quod dubitan

dubitãdum cum Chriſto eſſe per fidem propter quod dicit, *Qui non eſt mecum aduerſum me eſt:* ſed cùm Patri Deo dicebat, *Quos dediſti mihi, volo vt vbi ego ſum, & ipſi ſint mecum*: de ſpecie illa omnino dicebat, in qua videbimus eum ſicuti eſt, Nemo ſereniſſimum ſenſum nubiloſa contradictione perturbet. Conſequentia perhibeant teſtimonium precedentibus verbis, nempè cum dixiſſet, *volo vt vbi ego ſum, & ipſi ſint mecum*; continuò ſecutus adiunxit: *vt videant claritatem meam, quam dediſti mihi, quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi.*]

14. Chryſoſtomus porrò [a] multò maiorem honorem obſeruat promiſſum Latroni, verbo illo quod nunc expendimus, ſubeundi nimirum in locum quietis cum Chriſto, quàm ſi ipſa nuda beatitas ſeorſim à Chriſti ſocietate fuiſſet promiſſa. Appendo ipſa Chryſoſtomi verba ex pleniore Iacobi Gretſeri interpretatione, quod vetus interpres hunc locum quaſi foſſam tranſilierit. [*hodie mecum eris.* Grandis honor. Ingens humanitatis huius magnitudo, inexplicabilis bonitatis huius immenſitas. Nam eo

[a] *hom in paraſc.*

quòd

quòd Paradiſum ingreditur maior gloria eſt, quòd cum Domino ingreditur.] Inſuper verò S. Ambroſius ª egregiè obſeruat, in his vocibus promitti ſtabilitatem æternam beatitudinis. Sic enim ait, poſt propoſitam & expoſitam priorem huius Chriſti promiſſi partem. [Pulchrè etiam ſubiunxit. *Mecum eris in paradiſo.* hoc eſt, noli dubitare de carne, & me in carne vidiſti. Noli timere, ne & tu cadas de paradiſo, ſicút cecidit Adam: ſed audi quia mecum eris, quo præſente cadere non poſſis. Ceciderat caro in paradiſo antequam ſuſciperetur à Chriſto. Ibi eris ſuſceptus, vbi & ille qui ſuſcepit, quia non mentitus eſt dicens: *Volo vt vbi ego ſum, & illi ſint mecum.* Non recedet paſtor à gregibus ſuis: licèt iam lupum in paradiſo timere non poſſis; cui dictum eſt: *Videbā Satanam ſicut fulgur de cælo cadētem*, Ideò ante conſummationem aduerſarius deiicitur in incendium: catenis quoque perpetuis illigatur; vt tu iam nullas inſidias pertimeſcas. Et Adam vt caderet, à ſerpente deceptus eſt, & flexus eſt ab vxore. Ideò iam nullæ in paradiſo nuptiæ, ſed omnes erunt ſine cele-

ª in Pſal. 39.

britatibus

britatibus. nuptiarum, ſicut Angeli in cœlo. Non dixerat Adæ, mecum eris: quia ſciebat illum caſurum, vt redimeretur à Chriſto. Fœlix ruina quæ reparatur in melius. Ideò iam pius paſtor, bonus negociator gregem ſuum, & mercem propriam, non reliquit, erit quidem & adhuc in paradiſo pugna ſerpenti, donec deiiciatur. Sed qui cum Chriſto eſt, timere non poterit.]

Contingat itaque mihi, contingat fidelibus omnibus ſors beati huius Latronis. Simus cum Chriſto in hac vita, vt liceat in altera cum eo eſſe, & æternum eſſe abſque diuulſionis metu Libēs cum Bernardo [a] in eam mentem Chriſtum interpellauerim. [Sperauimus in te, qui nouimus dulce nomen tuum, quoniam non derelinques quærentes te. Accedimus ergo ad te, ô bone Ieſu, mente qua poſſumus, ſedentem in throno maieſtatis, orantes vt illuc à te, & ad te mereamur introduci, quò ingreſſus eſt tuus latro, te confeſſus in throno crucis.]

a *tract. in illud, ego ſum vitis c. 9.*

15. *In Paradiſo*, Quis iſte ſit paradiſus, Domini voce Latroni promiſſus, variarunt iam olim ſententiæ, ac etiam modò

variant. Multiplex enim eſt in ſcripturis acceptio paradiſi, nec ſatis liquet quænam earum his Chriſti verbis ſit aptanda. Interdum vſurpatur pro quouis loco amœniſſimo, qualia illa apud Ethnicos celebratiſſima, Tempe Theſſalica, Eliſij campi, Phæacum horti, Alcinoi pometum, Midæ roſetum, & huiuſmodi alia non pauca, quibus paradiſi nomẽ à priſcis Ethnicis non delatum; ſed leporariis vt Varro appellauit, ſiue roborariis aut viuariis: Totidem enim ſignantur nominibus apud Gellium [a]: locis inquam ſepto roboreo alióve valido cõcluſis, quibus viua animalia concludebantur ad voluptatem. Hęc dicta à Gręcis paradiſi nomine, obſeruat ſuprà Gellius, & Balduinus [b]. In ſacris tamen, nomen paradiſi plerúmque (vt dixi) ad quemuis locum peramœnum deſignandum porrigitur, vt cũ Regio Pentapolitana dicitur fuiſſe ſicut paradiſus Domini, aut cum ſponſæ emiſſiones, id eſt verba ſeu fructus, dicuntur paradiſus malorum punicorum. Aliàs paradiſus, antonomaſticè deſignat locum illum præ cæteris amœnum, in quo Deus hominem recentem locarat,

a l. 2. c. 20.

b *inſtit. de rerum diuiſ.*

quæ

quæ vocis notio perſpicua eſt ex initio Geneſeos. Tandem paradiſus, fœlicitatem Sanctorum ac beatitudinem deſignat. Quo ſenſu æterna ſapientia, vincentibus ſpondet in pabulum lignum vitæ, quod eſt in paradiſo Dei; hoc eſt Deum ipſum. Et vulgus Chriſtianorum non aliter accipit paradiſum abſolutè dictum. S. Vincentius,[a] vocat paradiſum eſſentialem. Totidem ergo ſunt ſententiæ de ſenſu promiſſionis Chriſti, quot ſunt propoſitæ Paradiſi notiones.

[a] *ſerm in feriam 4. maioris hebdom.*

16. In prima ſententia, quæ paradiſum Latroni promiſſum, interpretatur locum deliciarum, eſt Maldon.[b] Putat enim deſignatum à Chriſto paradiſi nomine, ſinum Abrahæ, in quem locum amandabantur viri ſancti, interim dum portæ æternales recluderētur: erántque ibi in loco refrigerij & voluptatis, præ hac valle lachrymarum ex qua exceſſerant. Certum enim eſt, Chriſtum illuc deſcendiſſe vt captiuos ſuos abduceret, & iis qui in carcere erant ſpiritibus veniens prædicaret. Cùm ergo Chriſtus dixerit Latroni, *mecùm eris*, planéque ſignificare vellet non ſolùm Latronem, ſed

[b] *in c. 27. Matth. n. 44.*

ſe etiam ipſum eo die futurum eſſe in illo paradiſo, vbi tunc non eſſet cùm hæc diceret; omninò efficitur, Chriſtum promiſiſſe Latroni, futurum vt eo ipſo die, ad locum illum quietis & refrigerij perueniret cum ipſo Chriſto. Ita enim ferre videtur particula *mecum*; id eſt, quo ego etiam iturus ſum, & vbi ego quoque ero. Laudat in eam ſententiam Maldonatus, Iuſtinum, Athanaſium, Auguſtinum, Prudentium.

Confutat hanc paradiſi per Chriſtum promiſſi interpretationẽ, Thomas Maluenda, [a] ſed maiore bombo quàm efficacitate. Leuis enim operæ foret, rationes eius non quatere modò, ſed & prorſus euertere. Quale enim eſt quod ſinũ Abrahæ, ergaſtulum nõ paradiſum præfatus, negat in beneficio reponendum fuiſſe à Latrone, quòd illuc deducendus eſſet, vnde liberari magnum fuit Patribus beneficium? Fuit ſanè beneficium nec exiguum Patribus à Chriſto impenſum, educi è ſinu Abrahæ: neque tamen idcirco dicendum, nullo affectum beneficio Lazarum quondam pauperem illuc ab Angelis deportatum. Ipſa tanto-

[a] *l. de parad. c. 91.*

rum

rum támque multorum iuſtorum ſocietas, maximi beneficij locum habere potuit. Si enim magnæ ſibi futurum iucunditati profitebatur Ethnicus ille [a], viſere Homerum, Orpheum, Muſæum alióſque priſcos magni nominis viros; cum eis colloqui & verſari familiariter; quantò ſuauius fuiſſe cenſebimus cum Adamo, Noëmo, Abrahamo, aliiſque SS. Patribus colloqui, ac familiariter agere, & habere fructũ in reſpectione animarum ſanctarum? Sanè Latronem ex ea ſocietate ingentem percepiſſe vtilitatem, notat expreſsè Iuſtinus. [b] Nec deerant externa ſolatia; & ipſe locus quanquam animas exciperet, ornatus & amœnus erat, vt decebat ſanctarum animarum diuerſorium, tametſi clauſo tunc cœlo ad quod ſuſpirabant, dicerentur ibi detineri captiuæ, velut in carcere aut lacu, ſed in quo non eſſet aqua. Nam etiam mundus, qui vel ipſo nomine ſpecioſitatem præfert, præ cœlo, exulum regio, vallis lachrymarum, & apud Tertullianum [c] carcer appellatur. Sãcti igitur ſinu Abrahæ detenti, non ſimpliciter dicti ſunt carcere detenti, ſed veluti carcere:

b *Tullius 1. Tuſcul. num. 98.*

b *q. 76 ad Orthod.*

c *lib. ad martyr.*

quæ reſtringens particula, excludit incommoda vulgati carceris, ſignátque ſolam piarum illarum animarum à fruitione Dei excluſionem; qua ſepoſita, fœlices degebant, & in loco quietis ac refrigerij, imò etiam voluptatis. Quæ ſi expendiſſet Maluenda non ita deſpuiſſet ſinũ Abrahæ, vt ſcriberet; *Quid magnum Latroni Chriſtus offeret, futurum illum eadem die cum ipſo in ſinu Abrahæ?* Magnum planè per omnem modum offeret beneficium, promittens graſſatori & homicidæ, omnibus per totam vitam ſceleribus contaminato, quod ad illud vſque tempus ſummi beneficij loco, probris quibúſque etiam ſi ſanctiſſimis repenſum erat; eadémque ſorte eſſe in exitu è corpore qua donari permagni duxerant Abrahamus, Iſaac, Dauid, Sanctíque ad eam diem omnes.

17. Quamuis autem permagnum fuiſſet Latroni ſic collocari, & magnum ille in ſe à Chriſto collocatum beneficium debuiſſet agnoſcere, tamen vt huic ipſe placito ſubſcribam, obſtant quæ poſtea proponam, confirmans veram ſententiam. Quare nunc contentus diruiſſe funda

fundamenta interpretationis quam excutimus, non inſiſtam vlteriori eius examini. Ratio vnica quæ proferebatur, inualida eſt. Non enim quod Maldonatus euidens putat; cùm Chriſtus promiſit *mecum eris*, ſignificabat Latronē in eo paradiſo futurum cum Chriſto; quo tunc Chriſtus ipſe careret. Hoc malè aſſumitur vt exploratum. Si enim diues pauperem ita alloquatur, *cras mecum his diuitiis frueris* nemo dixerit diuitem iam tū cùm ea verba proferret, diuitiis illis caruiſſe. Similiter ergo Chriſtus affirmans Latroni, *mecum eris in paradiſo*, non negauit ſe iam tūc cùm loqueretur, fuiſſe in paradiſo illo, quo donaturus erat Latronem ea ipſa die. Et quãuis verū videatur, Latronis animã ea die fuiſſe vbi Chriſtus erat; eíque ad Limbum vſque comitatam; tamen vt ſuprà oſtendi, longè differt illud *mecum eris*, ab eo quod eſt, *eris vbi ego ſum.* Ita vt licet vtrumque verum fuerit, tamē Chriſti promiſſio non ceciderit niſi in primum. Patrum teſtimonia non vrgent. Auguſtinus loco qui adducitur [a] ambiguus eſt, & alibi explicatiſſimè tradit omnia alia, vt infrà referam. Cæteri alle- [a] *l. 12. de Geneſ. ad litt. 34.*

goricè per ſinum Abrahæ beatitudinem cœleſtem deſcribunt, quòd eum ipſum locum nunc teneat reſpectu Iuſtorum excedentium è viuis, quem tunc tenebat ſinus Abrahæ. Quare non placet de Abrahæ ſinu ac Patrum limbo, accipere paradiſum Latroni à Chriſto promiſſum. Quanquam vel ſi hoc vnum promiſiſſet Chriſtus, non malè Latronis confeſſionem compenſaſſe, eúmque non exili beneficio affeciſſe, videri poſſet.

18. Idẽ eſto iudiciũ, de ſententia quæ paradiſum accipiens iuxta ſecundã notionem propoſitã, ait promiſſum à Chriſto Latroni, vt eum ipſum locum deliciarum ea die repeteret è quo exturbatus fuerat Adam; terreſtrem inquam paradiſum. In qua ſententia ſunt nonnulli Græci Patres, quos refert Suares, [a] quibus addendus Moyſes Barcephas, [b] ita enim ratiocinatur. [Dominus noſter ait ad Latronem: Profectò dico tibi, hodie eris mecum in paradiſo. Non autem dixit, in cœlo, quia neque ipſa Domini anima, ſimul atque à corpore diſſociata eſt, cœlum conſcendit, ſed die tertio rurſum

[a] *tomo 2. 3. p. q 46. art 11. ad 4. dubium.*

[b] *l. de parad. p 1 c. 7. & 18.*

ſum corpus ſubiit: Neque Latro quoque eo die in cœlum potuit euadere, cùm dicat Chriſtus, neminem conſcendiſſe in cœlum, præter eum qui deſcendit de cœlo, Filium hominis qui eſſet in cœlo. Fuit igitur paradiſus non in cœlo, ſed in terris.] Idem habet Chryſoſtomus, quem refert Nicephorus. [a] Cenſet enim Nicephorus, ipſa hora mortis Chriſti, ſanctam eius animam, abductis captiuis in terreſtrem paradiſum præiuiſſe Latroni, illuc inferendo ſtatim à morte, & in eam ſententiam adducit Chryſoſtomum. Indicant vel ferunt eam Chryſoſtomi ſententiam quæ habet ſermone quodam in Geneſ. [b] refellens Manichæorum obiectionem, qui ex hac Chriſti promiſſione inferebant non fore reſurrectionem. Sic enim eos confutat. [Ingreſſus eſt Latro in paradiſum, inquit, quid tum poſtea? num enim hæc illa ſunt bona, quæ nobis Deus pollicetur? Non audis quid de bonis illis Paulus dicat? *Quæ oculus non vidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non aſcenderunt*: Atqui paradiſum, & oculus vidit Adami, & auris audiuit, & cor hominis excepit: quandoquidem tot iam die-

a l. 1. hiſt. c. 31.

b t. 2 Græcol. ſerm. 7. additit in Geneſ.

quòd Paradiſum ingreditur maior gloria eſt, quòd cum Domino ingreditur.] Inſuper verò S. Ambroſius [a] egregiè obſeruat, in his vocibus promitti ſtabilitatem æternam beatitudinis. Sic enim ait, poſt propoſitam & expoſitam priorem huius Chriſti promiſſi partem. [Pulchrè etiam ſubiunxit. *Mecum eris in paradiſo.* hoc eſt, noli dubitare de carne, & me in carne vidiſti. Noli timere, ne & tu cadas de paradiſo, ſicút cecidit Adam: ſed audi quia mecum eris, quo præſente cadere non poſſis. Ceciderat caro in paradiſo antequam ſuſciperetur à Chriſto. Ibi eris ſuſceptus, vbi & ille qui ſuſcepit, quia non mentitus eſt dicens: *Volo vt vbi ego ſum, & illi ſint mecum.* Non recedet paſtor à gregibus ſuis: licèt iam lupum in paradiſo timere non poſſis; cui dictum eſt: *Videbā Satanam ſicut fulgur de cælo cadētem,* Ideò ante conſummationem aduerſarius deiicitur in incendium: catenis quoque perpetuis illigatur; vt tu iam nullas inſidias pertimeſcas. Et Adam vt caderet, à ſerpente deceptus eſt, & flexus eſt ab vxore. Ideò iam nullæ in paradiſo nuptiæ, ſed omnes erunt ſine celebritatibus

[a] *in Pſal. 39.*

britatibus nuptiarum, ſicut Angeli in cœlo. Non dixerat Adæ, mecum eris: quia ſciebat illum caſurum, vt redimeretur à Chriſto. Fœlix ruina quæ reparatur in melius. Ideò iam pius paſtor, bonus negociator gregem ſuum, & mercem propriam, non reliquit, erit quidem & adhuc in paradiſo pugna ſerpenti, donec deiiciatur. Sed qui cum Chriſto eſt, timere non poterit.]

Contingat itaque mihi, contingat fidelibus omnibus ſors beati huius Latronis. Simus cum Chriſto in hac vita, vt liceat in altera cum eo eſſe, & æternum eſſe abſque diuulſionis metu. Libẽs cum Bernardo [a] in eam mentem Chriſtum interpellauerim. [Sperauimus in te, qui nouimus dulce nomen tuum, quoniam non derelinques quærentes te. Accedimus ergo ad te, ô bone Ieſu, mente qua poſſumus, ſedentem in throno maieſtatis, orantes vt illuc à te, & ad te mereamur introduci, quò ingreſſus eſt tuus latro, te confeſſus in throno crucis.]

a tract. in illud, ego ſum vitis c 9.

15. *In Paradiſo*, Quis iſte ſit paradiſus, Domini voce Latroni promiſſus, variarunt iam olim ſententiæ, ác etiam modò

variant. Multiplex enim eſt in ſcripturis acceptio paradiſi, nec ſatis liquet quænam earum his Chriſti verbis ſit aptanda. Interdum vſurpatur pro quouis loco amœniſſimo, qualia illa apud Ethnicos celebratiſſima, Tempe Theſſalica, Eliſij campi, Phæacum horti, Alcinoi pometum, Midæ roſetum, & huiuſmodi alia non pauca, quibus paradiſi nomẽ à priſcis Ethnicis non delatum; ſed leporariis vt Varro appellauit, ſiue roborariis aut viuariis: Totidem enim ſignantur nominibus apud Gellium [a]: locis inquam ſepto roboreo alióve valido cõcluſis, quibus viua animalia concludebantur ad voluptatem. Hęc dicta à Gręcis paradiſi nomine, obſeruat ſuprà Gellius, & Balduinus [b]. In ſacris tamen, nomen paradiſi plerúmque (vt dixi) ad quemuis locum peramœnum deſignandum porrigitur, vt cũ Regio Pentapolitana dicitur fuiſſe ſicut paradiſus Domini, aut cum ſponſæ emiſſiones, id eſt verba ſeu fructus, dicuntur paradiſus malorum punicorum. Aliàs paradiſus, antonomaſticè deſignat locum illum præ cæteris amœnum, in quo Deus hominem recentem locarat, quæ

a l. 2. c. 20.

b inſtit. de rerum diuiſ.

quæ vocis notio perſpicua eſt ex initio Geneſeos. Tandem paradiſus, fœlicitatem Sanctorum ac beatitudinem deſignat. Quo ſenſu æterna ſapientia, vincentibus ſpondet in pabulum lignum vitæ, quod eſt in paradiſo Dei; hoc eſt Deum ipſum. Et vulgus Chriſtianorum non aliter accipit paradiſum abſolutè dictum. S. Vincentius,[a] vocat paradiſum eſſentialem. Totidem ergo ſunt ſententiæ de ſenſu promiſſionis Chriſti, quot ſunt propoſitæ Paradiſi notiones.

[a] *ſerm in feriam 4. maioris hebdom.*

16. In prima ſententia, quæ paradiſum Latroni promiſſum, interpretatur locum deliciarum, eſt Maldon.[b] Putat enim deſignatum à Chriſto paradiſi nomine, ſinum Abrahæ, in quem locum amandabantur viri ſancti, interim dum portæ æternales recluderētur: erántque ibi in loco refrigerij & voluptatis, præ hac valle lachrymarum ex qua exceſſerant. Certum enim eſt, Chriſtum illuc deſcendiſſe vt captiuos ſuos abduceret, & iis qui in carcere erant ſpiritibus veniens prædicaret. Cùm ergo Chriſtus dixerit Latroni, *mecum eris*, planéque ſignificare vellet non ſolùm Latronem, ſed

[b] *in c. 27. Matth. n. 44.*

ſe etiam ipſum eo die futurum eſſe in illo paradiſo, vbi tunc non eſſet cùm hæc diceret; omninò efficitur, Chriſtum promiſiſſe Latroni, futurum vt eo ipſo die, ad locum illum quietis & refrigerij perueniret cum ipſo Chriſto. Ita enim ferre videtur particula *mecum*, id eſt, quo ego etiam iturus ſum, & vbi ego quoque ero. Laudat in eam ſententiam Maldonatus, Iuſtinum, Athanaſium, Auguſtinum, Prudentium.

Confutat hanc paradiſi per Chriſtum promiſſi interpretationẽ, Thomas Maluenda, [a] ſed maiore bombo quàm efficacitate. Leuis enim operæ foret, rationes eius non quatere modò, ſed & prorſus euertere. Quale enim eſt quod ſinũ Abrahæ, ergaſtulum nõ paradiſum præfatus, negat in beneficio reponendum fuiſſe à Latronẽ, quòd illuc deducendus eſſet, vnde liberari magnum fuit Patribus beneficium? Fuit ſanè beneficium nec exiguum Patribus à Chriſto impenſum, educi è ſinu Abrahæ: neque tamen idcirco dicendum, nullo affectum beneficio Lazarum quondam pauperem illuc ab Angelis deportatum. Ipſa tantorum

[a] *l. de parad. c. 91.*

rum támque multorum iuſtorum ſocietas, maximi beneficij locum habere potuit.Si enim magnæ ſibi futurum iucunditati profitebatur Ethnicus ille [a], viſere Homerum, Orpheum, Muſæum alióſque priſcos magni nominis viros; cum eis colloqui & verſari familiariter; quantò ſuauius fuiſſe cenſebimus cum Adamo, Noëmo, Abrahamo, aliiſque SS. Patribus colloqui, ac familiariter agere, & habere fructū in reſpectione animarum ſanctarum? Sanè Latronem ex ea ſocietate ingentem percepiſſe vtilitatem, notat expreſsè Iuſtinus. [b] Nec deerant externa ſolatia; & ipſe locus quanquam animas exciperet, ornatus & amœnus erat, vt decebat ſanctarum animarum diuerſorium, tametſi clauſo tunc cœlo ad quod ſuſpirabant, dicerentur ibi detineri captiuæ, velut in carcere aut lacu, ſed in quo non eſſet aqua. Nam etiam mundus, qui vel ipſo nomine ſpecioſitatem præfert, præ cœlo, exulum regio, vallis lachrymarum, & apud Tertullianum [c] carcer appellatur. Sācti igitur ſinu Abrahæ detenti, non ſimpliciter dicti ſunt carcere detenti, ſed veluti carcere

[a] *Tullius 1. Tuſcul. num. 98.*

[b] *q. 76 ad Orthod.*

[c] *lib. ad martyres.*

quæ reſtringens particula, excludit incommoda vulgati carceris, ſignátque ſolam piarum illarum animarum à fruitione Dei excluſionem; qua ſepoſita, fœlices degebant, & in loco quietis ac refrigerij, imò etiam voluptatis. Quæ ſi expendiſſet Maluenda non ita deſpuiſſet ſinũ Abrahæ, vt ſcriberet; *Quid magnum Latroni Chriſtus offeret, futurum illum eadem die cum ipſo in ſinu Abrahæ?* Magnum planè per omnem modum offeret beneficium, promittens graſſatori & homicidæ, omnibus per totam vitam ſceleribus contaminato, quod ad illud vſque tempus ſummi beneficij loco, probris quibúſque etiam ſi ſanctiſſimis repenſum erat; eadémque ſorte eſſe in exitu è corpore qua donari permagni duxerant Abrahamus, Iſaac, Dauid, Sanctíque ad eam diem omnes.

17. Quamuis autem permagnum fuiſſet Latroni ſic collocari, & magnum ille in ſe à Chriſto collocatum beneficium debuiſſet agnoſcere, tamen vt huic ipſe placito ſubſcribam, obſtant quæ poſtea proponam, confirmans veram ſententiam. Quare nunc contentus diruiſſe

funda

fundamenta interpretationis quam excutimus, non inſiſtam vlteriori eius examini. Ratio vnica quæ proferebatur, inualida eſt. Non enim quod Maldonatus euidens putat; cùm Chriſtus promiſit *mecum eris*, ſignificabat Latronẽ in eo paradiſo futurum cum Chriſto; quo tunc Chriſtus ipſe careret. Hoc malè aſſumitur vt exploratum. Si enim diues pauperem ita alloquatur, *cras mecum his diuitiis frueris* nemo dixerit diuitem iam tũ cùm ea verba proferret, diuitiis illis caruiſſe. Similiter ergo Chriſtus affirmans Latroni, *mecum eris in paradiſo*, non negauit ſe iam tũc cùm loqueretur, fuiſſe in paradiſo illo, quo donaturus erat Latronem ea ipſa die. Et quãuis verũ videatur, Latronis animã ea die fuiſſe vbi Chriſtus erat; eíque ad Limbum vſque comitatam; tamen vt ſuprà oſtendi, longè differt illud *mecum eris*, ab eo quod eſt, *eris vbi ego ſum.* Ita vt licet vtrumque verum fuerit, tamẽ Chriſti promiſſio non ceciderit niſi in primum. Patrum teſtimonia non vrgent. Auguſtinus loco qui adducitur [a] ambiguus eſt, & alibi explicatiſſimè tradit omnia alia, vt infrà referam. Cæteri alle-

[a] *l. 12. de Geneſ. ad litt. c. 34.*

goricè per ſinum Abrahæ beatitudinem cœleſtem deſcribunt, quòd eum ipſum locum nunc teneat reſpectu Iuſtorum excedentium è viuis, quem tunc tenebat ſinus Abrahæ. Quare non placet de Abrahæ ſinu ac Patrum limbo, accipere paradiſum Latroni à Chriſto promiſſum. Quanquam vel ſi hoc vnum promiſiſſet Chriſtus, non malè Latronis confeſſionem compenſaſſe, eúmque non exili beneficio affeciſſe, videri poſſet.

18. Idē eſto iudiciũ, de ſententia quæ paradiſum accipiens iuxta ſecundã notionem propoſitã, ait promiſſum à Chriſto Latroni, vt eum ipſum locum deliciarum ea die repeteret è quo exturbatus fuerat Adam; terreſtrem inquam paradiſum. In qua ſententia ſunt nonnulli Græci Patres, quos refert Suares, [a] quibus addendus Moyſes Barcephas, [b] ita enim ratiocinatur. [Dominus noſter ait ad Latronem: Profectò dico tibi, hodie eris mecum in paradiſo. Non autem dixit, in cœlo, quia neque ipſa Domini anima, ſimul atque à corpore diſſociata eſt, cœlum conſcendit, ſed die tertio rurſum

a tomo 2. 3. p. q 46. art 11. ad 4. dubium.
b l. de parad. p 1. c. 7. & 18.

ſum corpus ſubiit: Neque Latro quoque eo die in cœlum potuit euadere, cùm dicat Chriſtus, neminem conſcendiſſe in cœlum, præter eum qui deſcendit de cœlo, Filium hominis qui eſſet in cœlo. Fuit igitur paradiſus non in cœlo, ſed in terris.] Idem habet Chryſoſtomus, quem refert Nicephorus. [a] Cenſet enim Nicephorus, ipſa hora mortis Chriſti, ſanctam eius animam, abductis captiuis in terreſtrem paradiſum præiuiſſe Latroni, illuc inferendo ſtatim à morte, & in eam ſententiam adducit Chryſoſtomum. Indicant vel ferunt eam Chryſoſtomi ſententiam quæ habet ſermone quodam in Geneſ. [b] refellens Manichæorum obiectionem, qui ex hac Chriſti promiſſione inferebant non fore reſurrectionem. Sic enim eos confutat. [Ingreſſus eſt Latro in paradiſum, inquit, quid tum poſtea? num enim hæc illa ſunt bona, quæ nobis Deus pollicetur? Non audis quid de bonis illis Paulus dicat? *Quæ oculus non vidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non aſcenderunt*: Atqui paradiſum, & oculus vidit Adami, & auris audiuit, & cor hominis excepit: quandoquidem tot iam die-

[a] *l. 1. hiſt. c. 31.*

[b] *t. 2. Græcol. ſerm. 7. additis in Geneſ.*

bus de illo verba facimus. Quomodo igitur latro bona recepit? Non enim ſe in paradiſum nos introducturum promittit Deus, ſed in ipſum cœlum: neque regnum paradiſi, ſed regnum cœlorum prædicauit.] Alibi concinnè inducit Latronem ad paradiſi oſtium cum cuſtode Cherubino diſceptantem, tandémque prolato Chriſti reſcripto cedente Romphæa verſatili, intrò admiſſum, quę poëtica expreſſio antiquior fortaſſis fuit. Extat enim in hæc verba narratio apud Exquilinum [a] ex Euangelio Nicodemi. [Cùm Chriſtus Sanctos Patres de limbo extraxit, eos ad terreſtrem paradiſum introduxit: vt vſque ad diem Aſcenſionis eius ibidem manerent: & tunc ſecum aſcendente aſcenderent. Quibus paradiſum introgreſſis; occurrit vir portans humeris ſignum crucis. Et interrogatus ab eis quis eſſet, reſpondit, quòd latro ille erat, qui cum Chriſto crucifixus fuerat, & in ipſum credens, eius miſericordiam poſtulauerat. Cui Dominus regnum cœleſte promiſerat, ſignum quoque crucis ſibi tradiderat: mandans vt illud ad paradiſum portaret: & Angelo ipſius

a lib 3. ca logi cap. 28.

ipſius loci cuſtodi,oſtenderet: ac ſibi ex parte Chriſti crucifixi mandaret; vt ipſum in eodem loco intromitteret. Quod poſtquam Latro fecit, Angelus ipſum in paradiſum introduxit.] Alia ex antiquis fabulis in eandem ſententiam habet Vincent.Bellouacenſis:[a]

a in ſpecu. hiſtor. l. 7. c.62.

19. De hac ſententia idem pronunciandum videtur,quod de priore. Nimirum improbandam eſſe,quod facit cum Ambroſio, & Iuſtino,Anaſtaſius Sinaïta [b]verbis illis[diuinus in omnibus Ambroſius, & Iuſtinus Martyr à Deo inſpiratus, in ſuis in Hexaëmeron commentariis, ea perſequentes quæ dicta ſunt de paradiſo,poſtquàm dixerunt, de ſenſilibus arboribus, & aquis, & fructibus, & paradiſo è terra genito, in medium adduxerunt propoſita diuini Ezechielis verba de paradiſo cœleſti, eáque perſecuti, magnam, & ſubtilem de iis examinationem,& contemplationem ſubiunxerunt, dicentes; quòd ſit turpiſſimum, & Deo inuiſum dicere, aut omnino cogitare,beatam,&adorandam Dei Verbi diuinitatem cum iuſto Latrone ingredi in fluxum,& materialem paradiſum. Et

b l.8 in Exaem. ſub finem.

quæ

quænam eſt digna merces illius venerandæ,& quę Deum decet confeſſionis, malorum punicorum, pyrorũ, vuarum, & ficuum corruptarum eſum, tanquàm mercedem reddere latroni?] Fateor quidem non modicam futuram fuiſſe compenſationem Latronis, ſi eiuſmodi præmium à Chriſto retuliſſet: quod eius loci ſumma amœnitas, & primæua parentum noſtrorum in illo beatitas, ſatis perſuadet. Quominus tamen eum paradiſum Latroni promiſſum cenſeam, facit in primis quòd externè paradiſus ille, & vel mox ab Adami peccato deſtrui cœptus ſit, vel aquis diluuij obliteratus, magna contentione certatur inter Recentiores: pleríſque nec infimorum ſubſelliorum Doctoribus, deſtructum atque vaſtatum paradiſum illum, longè ante Chriſti aduentum, contẽdentibus, quos magno numero recenſent Maluenda [a] & Delrius, [b] qui in contrarium abierũt, & ſuperſtitem Adami paradiſum multis confirmant. Si igitur à priore parte quæ pridem vaſtatũm paradiſum aſſerit, ſtet victoria, euertitur fundamẽtum ſententiæ quam excutimus. Si autem ſupereſt paradi

a *l. de parad. c. 82.*
b *adag. 789.*

paradiſus ille, vt nubes grauium teſtium ex omni retrò antiquitate confirmat, & is ipſe eſt in quem tranſlatum eſſe Enocum affirmat Eccleſiaſticus: [a] negandũ nihilominus eſt, hunc eſſe paradiſum Latroni promiſſum. Eum enim paradiſum repoſuit Chriſtus ſe Latroni præſtiturum, quem Latro intellexit, poſcens memoriam ſui aliquã haberi, cum Chriſtus ad regnum ſuum veniſſet. At Chriſtus non erat regnaturus in terreſtri paradiſo, eóve iturus per mortis triduum, cùm futurus eſſet in corde terræ: neque Latro quem Spiritus ſanctus docuerat omnia, cùm ſic oraret, aliud Chriſti regnũm imaginabatur quàm quod expreſſimus, eſtque verè regnum in quo Chriſtus futurus erat. Igitur Chriſtus de alio paradiſo quàm de terreſtri locutus eſt, ſpondens ſe eum ipſa die Latroni collaturum.

[a] *cap.* 44.

20. Quare reſtat, vt admittamus, Latroni paradiſum, hoc eſt ipſam æternam beatitudinem & regnum cœlorum fuiſſe promiſſum. Ita diſertè Chryſoſtomus. Refert enim hæc verba ex Manichæis, textum in quo verſamur vſurpantibus. [b]

[b] *ſerm.* 7. *additio in Geneſ.*

[Paradi

[Paradiſum inquiunt hoc loco, non paradiſum dixit, ſed paradiſi nomine regnum cœlorum deſignauit. Nam quia Latronem alloquebatur, qui ſublimibus dogmatibus imbutus non fuerat, neque de prophetia quidquam nouerat, ſed omne tempus in deſertis locis tranſegerat, cædéſque patrarat, neque ad concionem vnquam in tranſitu declinarat, neque ſacræ lectionis particeps fuerat, neque quid tandem eſſet regnum cœlorum nouerat, hoc dicebat: *hodie mecum eris in paradiſo*, notiori & vſitatiori nomine paradiſi, regnum cœlorum ſignificabat, & de illo Chriſtus ad ipſum verba facit.] Hæc illorum oratio. Subdit continenter Chryſoſtomus. *Admitto.* Et quanquam mox ſubdubitat, ne ea explicatio violenta videatur, ideóque aliam (vt ait) dilucidiorem adiungat ab Anaſtaſio verbatim deſcriptam [a], tamen priorem non improbat: eámque etiam alibi amplecti videtur [b] vbi Dei immenſam benignitatem ex eo demiratur, quòd noſtra diſpendia cumulatè ſarciens, pro ablato nobis fraude Tartarei vete-

a q. 87. *in ſcrip.*

b *ſerm. poſteriore de prophetarum obſcuritate.*

veteratoris paradiſo corporeo, & paradiſum & cœlorum regnum reddiderit, quod confirmat ex hac Chriſti ad Latronē promiſſione. Vbi tametſi ſcrupulum ingerit quod ait, *& paradiſum, & cœlum*, nobis Chriſti beneficio obtigiſſe; (videtur enim ſignificare, abductum ſimul fuiſſe Latronem in terreſtrem paradiſum:) tamen quatenus admittit, paradiſi nomine expreſſum fuiſſe in hac promiſſione regnum cœlorum, à nobis apertè ſtat. Et fortaſſis quod ait, & paradiſum amiſſum nobis fuiſſe reſtitutum, & ſuperadditum inſuper regnum, vt lucra eſſent diſpendiis potiora, intelligi poteſt de reſtitutione per æquiualentiam, aut ſupereminentiam. Nam qui paradiſum cœleſtem adipiſcitur, tantundem, ac etiam multo plus acquirit, quàm ſi ſolo paradiſo terreſtri donaretur.

Vtvt autem ſenſerit Chryſoſtomus, (nam de Nicephoro, ſcriptore apertè hæretico, non ſum ſollicitus,) graues omnino Patres confirmant, Chriſtum Latroni, cœlum non materialiter (vt ſic dicam) ſed formaliter: hoc eſt, non ipſam loci

loci cœleſtis aditionem, quadrageſimo poſt die, eóque amplius factam; ſed regnum cœlorum, ſiue cœleſtem beatitudinem in Dei clara viſione ſitam, ſpopondiſſe. Ita Cyrillus Hieroſol.[a] Athanaſius,[b] Ephrem,[c] Ambroſius,[d] & latiſſimè Auguſtinus.[e] Breuiter ſed perſpicuè ſermone de tempore, vbi ad Deitatem paradiſum refert; nec tamen excludit inde Chriſti animã etiam ſi tunc, (vt ipſe annotat,) in inferno verſantem. Subſcribunt S. Bonauentura,[f] & S. Thomas[g]; ac recentiorum potior pars.[h] Ita enim Suares,[h] Delrius,[i] Maluenda,[k] Ianſenius, Caietanus, Sa,[l] Bellarminus,[m] Turrianus;[n] hæc verba referens ex reſponſionibus Photij ad quæſtiones Amphilochij. [Cùm Latro Dominum orauit, vt ſui in regno ſuo meminiſſet, nomine regni, intellexit frui bonis, & vita æterna. Quia verò paradiſus inter cætera bona notior erat, (ſiquidem gens Iudæorum propter doctrinam Moyſis non ignorabat hoc;) idcircò Dominus paradiſum illi promittit: & non aliud pro alio donat, nec aliud promittit, quàm quod ille cupiebat; cupiebat autem, vt haberetur

a *catech.* 13.
b *ſer con-tra omnes hæreſes*
c *t.3. ſerm. de pœn.*
d *Luc.* 23.
e *epiſt.* 57.
f *in* 4. *d.* 20. *dub.* 9 *circa literam.*
g *opuſc.* 6. *c.* 9.
h 3. *p qu.* 46 *art.* 11. *dub.* 4 *&* *d.* 43. *ſ.* 4. ad finem.
i *adag.* 789.
k *l. de parad c.* 91.
l *Luca* 23.
m *l* 3 *de* 7 *verbis c.* 4. *& l. de SS beatitudine c.* 3.
n *ib de finis capitis* 13. *libri* 5. *Conſtit. Clementis.*

tur

retur ſui memoria in regno Chriſti, quod erat frui bonis beatis.] Optima huius ſententiæ confirmatio petitur ex aliarum excluſione. Itémque ex eo quòd Chriſtus, rogantem Latronem vt in regno ſuo eius meminiſſet, videatur docere voluiſſe, quodnam tandem & vbinam eſſet regnum ſuum: nempe non in hoc mundo, nec de hoc mundo, ſed in paradiſo & gloria cœleſti.

21. Vt liceat ſanè, his ita conſtitutis, demirari profuſiſſimam Regis noſtri in cruce liberalitatem, qui Latroni dat paradiſum, ac regnum cœlorum in cruce, ait Laurentius Iuſtin.[a] [Tanquam Rex in ſolio, ſtabat Dominus Ieſus, ſingulis ea quæ habebat, ſingula diuidens, furentibus quippe turbis, & aduerſus ſe vociferantibus, eorum tribuit veniam ignorantiæ, quando Patrem deprecatus eſt, dicens: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* Pontificibus, ſenioribus, atque ſe crucifigentibus corpus ſuum tradidit, perhibente propheta in perſona illius, *corpus dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam non auerti ab increpantibus & conſpuentibus in me.* Militibus

[a] *de triũ-pha. Chriſti ago. c. 18.*

ſe cuſtodientibus propria veſtimenta reliquit,ſicut per Prophetam ait, *Diuiſerunt ſibi veſtimēta mea.* Latroni in dextera pendenti, paradiſi gloriam donauit, inquiens, *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo.*] Miratur item S. Anſelmus,[a] immenſam Chriſti maieſtatem, à quo beatitudo ipſa promittatur. Iuuat cum eo Chriſtum affante, concludere. [Quid bone IESV, quid dulciſſime Domine reſpondiſti Latroni, te oranti in cruce? *hodie mecum eris in paradiſo.* Et quid hoc eſt, ô Rex deſiderabilis! Tu clauis affligeris, & paradiſum promittis! tu pendes in ligno, & Latroni dicis, *hodie mecum eris in paradiſo*? Et ô deſiderium animarum, vbi eſt paradiſus, quia dicis Latroni, *hodie mecum eris in paradiſo*! An paradiſus tecum eſt, & vbi tu vis, paradiſus eſt! An tu indubitanter paradiſus es, quia tam confidenter promittis, *hodie mecum eris in paradiſo*: Credo Domine, credo certè, quòd vbi tu vis, & vbi tu es, ibi paradiſus eſt, & eſſe tecū, hoc eſt eſſe in paradiſo. Quoniam venerabilis ille confeſſor, & glorioſus martyr, tecum fuit per totum illud hodie, & poſteà omni tempore. O

quàm

[a] *alloq. cœleſti 10.*

quàm bonum eſt eſſe tecum ! O quàm beati ſunt illi qui tecum ſunt ! Illi verè ſunt in paradiſo, verè ſunt in regnis, qui tecum ſunt fide & dilectione. Crux tuã Domine, paradiſum promittit, & paradiſum tribuit. Et ideò ſuppliciter adoro crucẽ tuã, adoro te in cruce, & crucem in te. Deniq; adoro crucẽ propter pendentẽ in cruce Adoro quẽ Latro adorabat, & orò ſicut ille orabat. *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Recognoſce in me Domine hanc orationem, ſicut recognouiſti eam in Latrone. Suſcipe hanc orationem à ſeruo tuo, ſicut ſuſcepiſti eam à famulo tuo. Memento mei de regno, ſicut fuiſti memor illius de ligno. Dic igitur, dic quæſo Domine, dic ſeruo tuo, dic animæ meæ, *hodie mecum eris in paradiſo*, vt ego confortatus deſiderabili tua promiſſione, fideliter permaneam in tua fide & dilectione, redemptor meus, mediator Dei & hominum, qui cũ Patre & Spiritu ſancto viuis & regnas in ſęcula ſęculorũ. Amẽ.]

22. Caue autem quòd in fide & dilectione conſtitutos eſſe dixit in paradiſo, accipias, quaſi Anſelmus fatuitati Alma-

rici ſuffragatus, Latroni promiſſum paradiſum, ſignificet non eſſe alium quàm fidem & dilectionẽ Chriſti. In eo ſiquidem paradiſo iam erat Latro, vnde non oportuerat eum paradiſum illi promitti in præmium fidei & dilectionis exhibitæ. Itaque Anſelmus de more aptans ad lectoris vſum ac fructum quæ de Latrone præmiſerat, docet illos eſſe iã ex hac vita in quodam paradiſo qui cum Chriſto ſunt dilectione & fide. Habent enim pignus gloriæ vel etiam arrham, vt S. Thomas rectè diſtinxit, & ſpe ac iure ſunt in vero paradiſo, nec nõ etiam imitatione quadam pacis & tranquillitatis conſcientiæ, vtcumque æmulantis pacem qua fruuntur qui ſunt in paradiſo. Qua ratione S.Gregorius, animam iuſti cœlum eſſe ſæpè docet, nominatímque ad illud, [a] *excelſior cælo eſt & quid facies?* nec non S. Auguſtinus [b] tractans illud, *extendens cœlum ſicut pellem.*

a 10 moral. c.10.
b in pſal. 103.

Porrò ex his apertè habetur, Latronem non ea tantùm mortis ſuæ die, ſed in æternum paradiſo promiſſo potiturum. Cõditio enim ſtatus in quem Chriſti promiſſione tranſcribendus erat Latro

tro, ipſa die mortis Chriſti, æternitatem promiſſi inuoluebat, ita vt illud, *hodie mecum eris*, à Chriſto prolatum, nō ita ſignaret diem illum ſingularē tunc fluentem, vt craſtinū atque perendinum excluderet. Cōditio enim ſtatus promiſſi, vt monebā, æternitatem infert. Habetur præterea ex dictis, quomodo ſimul Chriſtus in paradiſo cum Latrone & apud inferos fuiſſe dictus ſit, quod latè verſat Gregorius Nyſſenus.[a]

a *orat. 1. de reſur.*

Latronis gratia & ſanctitas ex dictis concluditur; Modus quo parta, aucta, & retenta eſt, veſtigatur.

CAPVT XI.

1. EX iis quæ proximè de Latronis ad Chriſtum conuerſione, & Chriſti ad eum reſponſo præmiſimus, apertè ſequitur eius iuſtificatio. Vt enim D. Auguſtinus ad illud [b] *omnia oſſa mea dicent* argumentatur; [Chriſtus iuſtificat impium. Quomodo autem iuſtificat impium, niſi credentem & confitentem: quia *corde creditur ad iuſti-*

b *in pſalm. 34.*

tiam,ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Ergo & ille Latro, quamuis ex latrocinio ductus ſit ad iudicem, & à iudice in crucem, tamẽ in ipſa cruce iuſtificatus eſt: Corde credidit, ore confeſſus eſt. Neque enim iniuſto, & non iam iuſtificato, diceret Dominus: *hodie mecum eris in paradiſo.* Rectè. Neque enim Chriſtus, coinquinatam animam inferre in cœlorum regnum volebat. Itaque cui cœlum ea ipſa die dandum ſpopondit, eidem contulerat gratiam ſanctificantem, in momento vltimo conuerſionis, qua ſe ad gratiam vltimò diſpoſuerat. Eius enim legitimæ diſpoſitionis præuiæ à Latrone adhibitæ, & ſubſecutæ gratiæ ſuffragium, habemus reſponſum illud Chriſti, vt vides argumentatum Auguſtinum. Scitè ergo Chryſoſtomus [a] quærentem, inducit diabolum, quòd pœnitentia, tam multa illi magnáque vaſa rapuiſſet, meretricem, publicanum, Latronem, quos gratia & ſanctitate exornatos, poteſtati ſuæ ſubductos expoſtulat. Ambroſius vero [b] dæmoni ex hac iuſtificatione ſic inſultat. [Tripudiabas draco, quòd Apoſtolum ſubtraxeras Chriſto. Plus

a *hom. 68. tomi 5 Græcol. in ipſo homiliæ fronte.*

b *in pſal. 39*

Plus amiſiſti quàm ſuſtuliſti, qui Latronem vides in paradiſum eſſe tranſlatum. Nemo eſt qui poſſit excludi, quando receptus eſt Latro. Miniſter tuus eò peruenit, vnde ipſe deiectus es.]

2. Et quia gratia ſanctificans, cùm ſit eſſentialiter ſanctitas animæ, cum quolibet peccato mortali ſuapte natura inconciliabiles inimicitias gerit, omnis illa criminum caligo cum qua latro patibulum conſcenderat, quámque auxerat acceſſione blaſphemiarum in cruce primùm prolatarum, ad gratiæ immiſſionem momento diſcuſſa eſt; tam perfectè, vt ne veſtigium quidem, vel nota vlla remaneret. Qua in parte, mirám Dei & in Latronem, & in peccatores quoſcúnque benignitatem, egregiè ſuſpicit Chryſoſtomus [a] ſic enim loquitur de charitate in Deum, prodita per argumēta charitatis in proximum. [Ne igitur prætereamus ſimpliciter, oro, lucrum noſtrarum animarum, & remedium noſtrorum vulnerum. Hoc enim, hoc maximum pharmacum ita curabit & abolebit vlcera animarum noſtrarum, vt neque cicatrix, neque verru-

a *hom* 55. *in Gen.*

ca aliqua apparitura ſit; id quod in corporis vulneribus non eſt poſſibile. Nam licèt quis infinities cataplaſmata accepta à medicis ſuperponat, neceſſe eſt cicatricem in corpore manere, & meritò: corpus enim eſt quod curatur. Hìc autem quia anima eſt, quando quis ſuam gratitudinem declarat, multò meliùs incipit ſeſe habere, quàm antea habuerit: & ſic omnia vlcera depellit, vt ventus vehemens puluerem deturbat. Atque his omnibus plenæ ſunt Scripturæ. Ita Paulus, Apoſtolus factus eſt ex perſequutore: & qui priùs impugnabat Eccleſiam, poſtea factus eſt eius pronubus. Vidiſti quanta rerum viciſſitudo? Vidiſti quanta tranſlatio? Sic & Latro, cùm multa fecerat homicidia in vno temporis puncto, propter pauca illa verba ita omnia abluit peccata, vt audiret à Domino: *hodie mecum eris in paradiſo*.]

Sequor præeuntem eundem Chryſoſtomum, ad hanc tantam Latronis nitelam, & Dei in eo iuſtificando beneficium, ſic orantem. [a] [Here, Domine, benigne, vnigenite Dei Fili, peccauimus in cœlum, & coram te, nec digni

a tom 6 Græcæ homil. de prodigo.

gni ſumus qui Filij tui vocemur, ſed in miſerationibus tuis confidimus, habemus obſidem tuæ benignitatis pretioſam crucem, quam noſtra cauſa pertuliſti: habemus fideiuſſorem tuæ miſericordiæ illam olim meretricem, & illum quondam Latronem. Propter illos enim, & nos, & peccatores omnes incitamur, vt ad humanitatem tuam recurramus. Vt illos celebres ac beatos reddidiſti, ſic etiam noſtri, qui lapſi ſumus, miſerere: Qui crucifixus mortuos ſuſcitaſti, nos quoquè à peccato enecatos per humanitatẽ exſuſcita, vt vnà perfruamur cum illis, qui redempti ſunt, & participes facti ſunt, tua reſurrectione.]

3. Hæc porrò diuinæ gratiæ & remiſſionis peccatorum adeptio, Latroni obtigit nobiliſſimo modo: id eſt per liberam ipſius diſpoſitionem ac meritum, quale in peccatòrem ad ſe reuenientem cadere poteſt. Non enim gratiam citra vllam ſuam diſpoſitionem accepit, præter receptum in adultis ordinem, quos ad Deum conuerti, eiúſque gratiam vtcúmque promereri, vt Deus ad eos conuertatur, neceſſarium eſt, ac maximè

congruum. Eúmque in Latrone iuſtificationis modum, agnoſcunt communiter ſcholaſtici,& à ſe olim malè poſitam contrariam ſententiam, meritò retractat Palacius. Agnoſcunt etiam plerique Patres, ſiue cùm Latronis perfectam pœnitentiam & in Deum charitatem celebrant, ſiue cùm aiunt eum promeruiſſe Dei gratiam ſanctificantem, ac peccatorum remiſſionem, aut regnũ cœlorum. Nam perfectæ pœnitentiæ ſubiungitur infallibiliter gratia, iuxta illud. *In quacumque hora ingemuerit peccator*, &c. Quod certum eſt de pœnitentia concepta ex diuina charitate. Eſt item veriſimillimum de ea pœnitentia quæ ſuſcipitur ex motiuo reparandi; aut indemnis ſeruandi diuini iuris peccato violati, aut violandi: Dilectioni item perfectæ, in Deum terminatæ, ſimilis beneficentia diuina repoſita eſt: quamuis omnem pœnitentiæ actum ſeponeremus, eò quòd per accidens, vel animum nõ ſubeat eius recordatio, vel bona fide iudicetur non neceſſarius, tam pretioſo charitatis actu interueniente. His inquam actibus diuina gratia ſanctificãs prolicitur, eóſque tanquam

a *in 4 diſt. 17. diſp. 4.*

quam diſpoſitionem iuſtificatio conſequitur, vt Tridẽtinum dixit. Parùm profectò fauens Aureolo [a] & iis Recentioribus, iuxta quos vera & perfecta pœnitentia ac dilectio, iuſtificationẽ primam formaliter conferunt, de quo aliàs. Ad rem namque præſentem ſufficit, ab iis iuſtificationem ex opere operantis partam concedi Latroni, qui eum perfectè pœnituiſſe, & Deum ſuper omnia dilexiſſe prodiderunt. Pulchrè Petrus Damián. [b] agens de fonte pœnitẽtiæ, aperto in peccatoris ablutionem. [In hoc fonte, fœlix ille volutatus eſt Latro, qui breui ponte crucis, de patibulo ad regnum, de ſupplicio ad paradiſum tranſlatus eſt, conſummatus in breui èxpleuit tempora multa.]

a in 1. d. 17. art. 3. in probatio. 1. propoſit.

b ſect. 1. de Eccleſ. dedic.

4. Æquè idem aiunt, qui meritũ gratiæ ac regni cœlorum in Latrone celebrant. Nam quamuis in peccatore primæ gratiæ iuſtificantis meritum non ſit ſimpliciter dictum, ſiue condignum, ob perſonæ indignitatem, quæ omnes eius operationes depreciat; eſt tamen meritum congruum, habétque ſufficientem rationem vltimę diſpoſitionis infallibiliter

ter conuehentis gratiam, quæ illo ipſo temporis moměto (poſteriùs tamen natura quàm ipſe actus,) confertur. In illo autem poſteriori naturæ, ob iam aduectam homini ſanctitatem, ea actio, quæ reſpectu gratiæ erat tantùm meritum congruum, reſpectu gloriæ cuius gratia eſt ſemen, habet rationem meriti condigni. Vnde liquet, & eos qui gratiæ, & eos qui gloriæ meritum Latroni conceſſerunt, iuſtificationem Latronis ex opere operantis admiſiſſe.

a hom 1. de Latrone.

Appendo paucos, S. Maximus,[a] [Tantorum criminum reus, tam citò à Saluatore paradiſum promeretur.] Et mox. [illud ad gratiam eius, maioris eſt meriti, quòd Chriſtum in cruce poſitũ credidit.] Apertiſſimè Chryſoſtomus.[b] [Nemo exiſtimet, ſecundum gratiam tantùm, ſaluatum eſſe à Chriſto Latronem, imò ſecundùm debitum illi reddendum hoc fuit. Quod tandem debitum? dicet aliquis? an quòd res iuſtas egerit? eleemoſynas dederit? res ſuas diſtribuerit? ieiunarit? vigilarit? rem fecerit quam nemo aliũs? an verò quòd Deo crediderit? & Prophetæ Deo crediderunt, &

b orat. de cæco à natiuitate.

Patriar

Patriarchæ crediderunt : hymnorum Scriptores crediderunt, Apoſtoli, prædicatores , martyres : Verùm omnes iſti cùm Deum in gloria conſpexiſſent; hic autem in ignominia. Tu verò mille mihi famulos ,Domino ſeruientes ſiſte , quo tempore proſpera fortuna & honoribus fruitur: & vnum ſeruum, qui in tempore afflictionis , tentationis , & exilij, à Domino ſuo non recedat; illos autem mille ſeruos, qui tentationis in tempore & exilij Dominum deſeruerint , ac receſſerint : Nunquid hi proſpera fauente fortuna ſerui, qui tentationis tempore Dominum reliquerunt , pares eſſe poſſunt ei, qui rebus in aduerſis Dominũ eſt ſecutus? Nequaquàm. Credidit Petrus, ſed cùm mortuos eum ſuſcitantem vidiſſet, cùm gloriam eius contemplatus eſſet, credidit. Credidit Paulus, ſed cùm cœlitùs miſſam lucem vidiſſet , eámque lumina corporis excæcantem, animæ verò oculos illuminantem. Credidit Abraham , ſed cùm diuinam viſionem aſpexiſſet. Eſaïas credidit ; ſed cùm eum in ſolio ſedentem excelſo vidiſſet, & Cherubin in circuitu eius: Omnes viderunt,

ſed

ſed in gloria: hic autẽ in ignominia, quã-obrem etiam clamabat, *Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum.*] S. Am-broſius, breuiùs, ſed expreſſiſſimè.[a] [Quando non eſt verùm teſtimonium tuum Domine IESV, cui qui credidit, in cruce licèt poſitus, & inter confeſſi ſce-leris ſupplicia conſtitutus, merita Latro-nis exuit, præmia innocentis emeruit.] Hilarius[b] [Paradiſum meruit ſub cruce Latro, pendentem Chriſtum confeſſus in regno.] Cœleſtinus Papa[c] [Latro per vnius ſermonis profeſſionem, habitacu-lum paradiſi Deo promittente prome-ruit.] Iulius quoque Papa[d] ita diſertè tradit. Tandem S. Gregorius[e] [conuer-ſus Latro, vitæ præmia, etiam in ipſa ſen-tentia ſuæ mortis emeruit.]

5. Videri poteſt refragatus S. Cyril-lus Hieroſol.[f] Inducit enim Chriſtũ, au-dita Latronis oratione reſpondentem. [Confide, nõ quòd opera tua digna ſunt confidentia, ſed quia Rex adeſt qui gra-tiam confert.] Pleniùs Chryſoſtomus[g] oſtendens, verè non ſicut delictum, ita & gratiã: ſed Chriſtum plura bona con-tuliſſe, quàm Adami inobedientia ine-uexe-

a *lib. 5. de fide c. 5.*

b 10. *de Trinit.*

c *c.* agnouimus. 26. *q. 6.*

d *cap. ſi* presbyter.

e *ſerm. de peſte qui extat apud Gregor. Turo l. 1. franc. c. 1. & apud ipſum S. Gregor. l. 11 epiſt. 2.*

f *Catech. 13.*

g *ſerm 7. aduētio in Geneſ.*

uexerat malorum. Id probat exemplo Latronis, & poſt pleraque in eam ſententiam, hæc ſubdit: [ſed conſideremus, num labores, & rectè facta & fructus exhibuit Latro? Ne hoc quidem dici poteſt. ſed nudo verbo prolato, ſola fide exhibita in paradiſum ante Apoſtolos inſiliit, vt intelligas non eius probitatem tantum valuiſſe, verùm Domini benignitatem totum negotium peregiſſe. Quid enim Latro dixit? quid fecit? Num ieiunauit? nũ fleuit? num ſe afflixit? num longo tempore pœnitentiam exhibuit? Nequaquam: ſed in ipſa cruce poſt ſententiam ſalutem obtinuit: vide celeritatem: à cruce in cœlum, à ſupplicio in ſalutem. Quæ porrò ſunt illa verba? quam tandem vim habent, vt hoc vno tanta conſequerentur bona? *Memento mei*, inquit, *in regno tuo*. Quid hoc rei eſt? Petiit bona ſibi dari, nõ operibus ipſis ſtudium vllum adhibuit.] Similiter Caſſianus [a], [ſi vel illum Latronem ob vnam confeſſionem introductum in paradiſum recordemur, intelligimus eum non curſus ſui merito tantam beatitudinem conſecutum, ſed dono Dei miſerentis adeptum.] Denique

a *12. de inſtit. c.* 11.

a libr. de triumphali Chriſti agone c. 18.

Denique Laurentius Iuſtinia. [a] [vltra meritum, præter ſpem, & ſupra votum conſecutus eſt. Iuxta fontem quippe æternæ vitæ pendens, reſidénſque prope fluenta pleniſſima, gratiam ſimul accepit & gloriam. Præuentus namque eſt in benedictionibus dulcedinis, ideò ſuſcepit coronam de lapide pretioſo, lætus quidem ob promiſſionem factus eſt, ſed propter munus lætior. Vnde verò hæc? aut à quo? Prorſus gratis à Domino.]

Hi tamen Patres, non diffitentur quod diximus. Nam Cyrillus, Caſſianus, & Iuſtinianus, ad ſummum excludunt meritum cõdignum à Latronis actibus, comparatis ad primam ſanctificationẽ; quod meritum nos quoque excluſimus. Ita de Caſſiano perſpicuum eſt ex collatione 13. c. 13. Nec diſſimiliter Proſper [b] ãgẽs vniuersè de nequiſſimis quos in extremo vitæ exitu gratia adoptat, & hora vndecima veniente remunerat, ad commendandam gratiæ excellentiam, quæ inde claret, quòd non plus multa opera quàm penè nulla mercantur. Vocat penè nulla, id eſt tenuiſſimè meritoria. Dici etiam poſſet, hos Patres, primam me-

b l. 1. de voc gent. 17.

riti

riti Latronis radicem ſpectaſſe, quæ eſt mens S. Auguſtini [a] verbis illis [Chriſtus in cruce, Chriſtus apud inferos, ſubueniens quibuſdam. Eo autẽ ipſo die, Chriſtus in paradiſo cum Latrone confitente. Et ibi Latro quid meruit, niſi quia illam viam tenuit, vbi oſtendit ſalutare ſuum. A qua tibi pes nõ exeat. In eo enim quòd ſe accuſauit, Deum laudauit, & vitam ſuam beatam fecit. Præſumpſit quidem à Domino, & ait illi, *Domine memento mei dum veneris in regnum tuum.* Conſiderabat enim facinora ſua, & pro magno habebat, ſi ei vel in fine parceretur. Dominus autem continuò cùm ille diceret, *memento mei*: Sed quando *cum veneris in regnum tuum. Amen*, inquit, *dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo.* Miſericordia obtulit, quod miſeria diſtulit.] Inſinuat planè S. Auguſtinus, Latronem, quòd meruit, à gratia nullis meritis aduocata, habuiſſe. Et præclarè alibi. [b] [Pro nihilo ſaluos facies eos, id eſt nullis eorũ meritis præcedentibus. Non ad te afferent hircos, arietes, tauros, non dona & aromata afferent in templo tuo, non aliquid de conſcientia bona libaminis ſuperfun-

a *ſerm.* 8 *de verb. Dom. cap.* 4.

b *in pſalm.* 55.

dent. Totum in illis aſperum, totum tetrum, totum deteſtandum, & cùm illi ad te nihil afferant, vnde ſaluentur? Pro nihilo ſaluos facies eos, id eſt, gratia data, gratia tua. Quid ille Latro attulerat ad crucem, de fauce venit ad iudicium, de iudicio in lignũ, de ligno in paradiſum? Credidit propter quòd locutus eſt: ſed ei ipſam fidem quis donauit, niſi qui iuxta pepẽdit?] Eodem reuoluitur quod ad enodanda propoſita, aduerſus Latronis meritũ, loca, æquè dici poteſt, nempe Patres inficiantes Latronis merita, tantúm ſignificare velle, opera Latronis anteriora, non fuiſſe vllatenus tanti beneficij & ſanctificationis meritoria, quippe quæ fuiſſent longè deterrima. Ita optimè S. Iſidorus [a] [hominis meritum (inquit) ſuperna gratia non vt veniat inuenit, ſed poſtquam venerit facit: atque ad indignam mentem veniens, facit in ea meritũ quod remuneret, quæ ſolùm inuenerat quod puniret. Quid enim ex ſe ille Latro meruit, qui de faucibus inferni crucem aſcendit, de cruce paradiſum adiit. Reus quidem ille & fraterno ſanguine venit cruentus, ſed diuina gra-

a *l. 2 de ſummo bono c. 4. n. 5.*

tia in cruce mutatus.]

7. Horum modorum aliquo, exponi commodè poſſunt Patres in contrarium prolati, præter alium modũ quem mox attingã. Sic autẽ exponendos eſſe prędictos Patres perſpicuũ eſt, quia illis ipſis locis in quibus aduerſati vidẽtur, tradũt apertè quod dixi. Sic S. Cyrillus, notato in contrariũ loco, inducit Chriſtum, collaudantem tantam Latronis in audienda Chriſti voce, & corde aperiendo celeritatẽ; ſubdítque ex Chriſti item perſona. [Vellet iuſtè agere Latro, ſed venit mors, non tẽtum opus moror, ſed fidem recipio. Venit quì paſcit inter lilia, venit paſcere in horto, ouem inuenit perditã, eam in vlnas ſuas accepit. Credit enim cùm & ipſe dicat. Erraui ſicut ouis quæ periit, memento mei Domine quando veneris in regnum tuum.] Quo eodem modo Origenes ad illud, *arbitramur iuſtificari hominem per fidem ſine operibus legis*, [a] proponit Latronem in exẽplum eorum, qui abſque operibus per fidem ſunt adepti iuſtificationem. Quo loco fides, dilectionem & pœnitentiam habens adiunctam, commendatur; cui nos meri-

[a] *in c. 3. ad Rom.*

tum ſanctificationis implantauimus, atque adeò meritum S. Latronis agnoſcitur. In eo item Origenis loco reſponſio inſinuatur, quæ in locum Chryſoſtomi aptè cadit. Nempe defuiſſe Latroni externa opera ob præreptam in illis anguſtiis, benè exteriùs operandi facultatem, quamuis interna voluntas quam Deus præcipuè adamat, & quæ Latronem ad gratiam diſpoſuit, non defuerit. Hæc eſt perſpicua Cyrilli mens in verbis propoſitis, & Chryſoſtomi loco in contrarium allegato, quod oſtendũt verba quæ continenter ſubiicit. [Non operibus ipſis ſtudium vllum adhibuit: verùm is cui cor eius notum erat, nõ attendit ad verba, ſed ad mẽtis affectũ, nam illi quidem qui prophetarum fuerãt documentis inſtructi: qui ſigna viderant, qui miracula fuerant contẽplati, de Chriſto dicebãt: *Dæmonium habet, & ſeducit turbã*: Latro verò, qui prophetas nõ audierat, qui prodigia ꝑõ viderat, qui in cruce ſuffixum videbat, non attendit ad ignominiam, non reſpexit ad infamiã, ſed diuinitatẽ ipſam conſiderans, *Memento*, inquit, *mei in regno tuo*. Hoc ſanè nouum & inuſitatum: Crucem

cem vides & regni meminiſti? quid dignum regno vidiſti? hominem crucifixum, alapis cæſum, illuſum, accuſatum; ſputis conſperſum, flagellatum? Hæccine ſunt quæſo digna regno? Vides eum oculis fidei reſpexiſſe, non ea quæ apparebant expendiſſe? Propterea neque Deus nuda verba expendebat, ſed vt ille in diuinitatem, ſic Deus in cor Latronis reſpiciebat, & ait: *Hodie mecum eris in paradiſo.*]

8. Ex hoc porrò Chryſoſtomi loco, iuncto alio paulò antè allegato ex oratione de cæco à natiuitate, perſpicuum eſſe poteſt, quanta gratiæ menſura ſit Latroni collata in prima iuſtificatione. Nam cùm certum ſit, meliori & perfectiori conuerſioni reſpõdere vberiorem gratiam ſanctificantem, tanquam formam moralem diſpoſitioni ſuæ vltimæ conſentaneam; cui Spiritus ſanctus, vt Synodus Tridentina [a] declarauit, menſuram gratiæ ſanctificantis attemperat in adulto, qui iuſtitiam adipiſcitur, apertè ſequitur, Latronem tam illuſtri diſpoſitione, támque nobilium virtutũ Theologicarum actibus aptatum ad ſanctita-

[a] *ſeſſ. 6. c. 7.*

tem, menſuram eius omninò bonam, confertam, & coagitatam excepiſſe à Deo, qui dummodò per vas non ſtet, oleum gratiæ non ſiſtit, illúdque ſine inuidia liberaliter effundit. Nec eſt quòd exiguitas temporis quo Latronē ad gratiam aptatum diximus, difficultatem alicui faciat, quaſi diſpoſitio in breui illo tempore fuerit deſpicatior quàm ad parandam ingentem ſanctificantis gratiæ ſummam exigeretur. Nam in hoc negotio non adeò refert quanto tēpore quis ſe aptet ac diſponat, ſed quàm benè & quàm perfectis & defœcatis actibus. Quod illuſtriſſimè micat in Angelis, quorum prima ſanctitas, ne temporis quidem momento diſpoſitionem ſuam ſubſecuta eſt, & tamen fuit inſigniter intenſa, iam ex illo primo momento. Via namque Angelorum, fuit admodùm anguſta, atque adeò quantitas gratiæ quæ in illis eſt exaggerata, non potuit tantoperè amplificari per actus ſubſequentes, de quorū duratione & multitudine non liquet. Nec pro primo momento, fas eſt fingere aliud ſupernaturalium actuum genus in Angelis, quàm in nobis, vt gra-

tis.

tis omninò comminiſcuntur Recentiores: Nam in negotio gratiæ & bonorum ſupernaturalium, eadem eſt menſura hominis quæ & Angeli; quia perfectio Angeli Phyſicè maior, & modus eius naturaliter operandi nobilior, nullam proportionem habet ad meliores actus ſupernaturales profundendos: ſed tota ea maior perfectio actuum, eſt à gratia, quæ pro hominibus & Angelis, homogenea eſt, & planè ſimilis; neceſſarióque fatendū eſt in prima gratiæ adeptione; magnam Angelis diuinæ illius formæ quantitatem obtigiſſe, & tamen non obtigiſſe profuſam fortuitò, ſed libera ipſorum diſpoſitione hominibus communi aduocatam, quę eſt S. Thomæ ac Theologorum recepta doctrina. Et idem eſt de prima ſanctificatione Deiparæ, cuius fundamenta in montibus ſanctis; & tamen per liberam diſpoſitionem, roboratis diuinitùs ſupra naturalem exigētiam facultatibus, conciliata eſt. Idem ergo potiori iure de Latrone affirmare licet; quem non adigimur dicere, in primo phyſicè momento, quo pulſatus eſt per gratiam excitantem, vltimò ac perfectè

diſpoſitum, fuiſſe ad ſanctificantem: quamuis propè momento, ac breuiſſimo tempore omnem eam ſui aptionem eſſe executum, ſatis ſuprà monſtratum ſit.[a]

a. cap 4.

9. Indicauit, vel potiùs expreſſit, plenam primæ gratiæ ſanctificãtis menſurã in Latrone S. Auguſtinus[b] loco in hãc rẽ illuſtriſſimo, quem adſcribo. [Nemo fit membrum Chriſti, niſi aut baptiſmate in Chriſto, aut morte pro Chriſto. Vnde & Latro ille non ante crucem Domini ſectator, ſed in cruce confeſſor, de quo nonnunquam præiudicium capratur, ſiue tẽtatur contra baptiſmatis ſacramentum, à Cypriano ſancto inter martyres computatur, qui ſuo ſanguine baptizantur, quod pleriſque non baptizatis feruente perſecutione euenit. Tanto namque pondere appenſum eſt, tantúmque valuit apud eum qui hæc nouit appendere, quòd confeſſus eſt Dominum crucifixum, quantùm ſi fuiſſet pro Domino crucifixus. Tunc enim fides eius de ligno floruit, quando diſcipulorum marcuit, niſi cuius mortis terrore marcuerat, eius reſurrectione reuireſceret. Illi enim

b l. 1, de orig. ani. c. 9.

enim deſperauerunt de moriente, ille ſperauit in commorientem. Refugerunt illi auctorẽ vitæ; rogauit ille conſortem pœnæ. Doluerunt illi tanquam hominis mortem; credidit ille regnaturum eſſe poſt mortem, deſeruerunt illi ſpõſorem ſalutis, honorauit ille ſocium crucis. Inuenta eſt in eo menſura martyris, qui tunc in Chriſtum credidit, quando defecerunt, qui futuri erant martyres. Et hoc quidem oculis Domini clarum fuit, qui non baptizato, tanquam martyrij ſanguine abluto, tantam fœlicitatem ſtatim contulit. Sed etiam noſtrum quis non conſideret; quãta fide, quanta ſpe, quanta charitate mortem pro Chriſto viuente ſuſcipere potuit, qui vitam in moriente quæſiuit?] Habes appenſam pondere ſanctuarij, & ad non fallacem ſtateram diuinæ eſtimationis, quantitatem primę ſanctitatis in Latrone.

10. Huic primæ gratiæ, eodem planè momento quo parta eſt, acceſſit ea gratiæ menſura, quam Latro, (quem ſuppono fuiſſe Iudæum) & de more in minuſcula ætate circumciſum, aut remedio legis naturæ ante circumciſionem luſtra-

tum, in eo remedio ſi præceſſit, aut in circumciſione acceperat. Nam quamuis vi circumciſionis, aut vt dixit Apoſtolus conciſionis, non daretur gratia, idque peculiare & proprium ſit nouæ legis Sacramentis, vt gratia vi operis ſacramentalis exerciti tribuatur: Tamen niſi Dei prouidentiam erga antiquorum paruulos, mancã & obleſam abſurdè dicamus, concedendum eſt, in remedio legis naturæ, & circumciſione, cùm eius locum ſupplebat, apud Hebræos, ex mera Dei liberalitate conceſſam fuiſſe gratiã aliquam, qua paruulus labem noxæ parentalis elueret, & in Dei familiam tranſcriberetur, æternùm alioqui periturus; ſi quod per eius ætatis infirmitatem tam multis accidit, ante exortũ rationis iubar, & elicitam contritionem, exceſſiſſet è vita. Non fuiſſe autem eam gratiam, per antiqua illa ſacramenta collatam, vi ſacramentalis operis applicati & exerciti, ſed ob neceſſitatem paruulorum extremè indigentium, factam in eis à Deo prouidentiſſimè conſulente, hanc liberalitatẽ, ex eo licet deprehendere, quòd cùm ea ſacramenta applicabantur adul-

tis,

tis, qui ſibi ex opere operantis ſubuenire idonei erant, nullus ex egenorum illorum ſacramentorum applicatione latex gratiæ dimanabat: quod noſtris ſacramentis non accidit, quæ quia ſunt ex ſe gratię feracia, certam gratiæ portionem, etiã adultis vltra diſpoſitionis meritum, conuehũt, ex vi ſolius operis ſacramentalis, in ſubiecto apto, & non indiſpoſito exerciti. Hanc igitur gratiæ portionem, filius hic prodigus multò ante diſſiparat: recuperauit autem cùm primùm ad ſe reuerſo & ingemiſcenti, accurrens pater iuſſit proferri ſtolã primam. Quod enim de Chriſtiana meritorum reuiuiſcentia, & totius gratiæ deperditæ, etiam per ſacramenta partæ, recuperatione per pœnitentiam, tradunt Chriſtiani Theologi, æquè extendendũ eſt ad merita & gratiam antiquorũ, ob proportionales vtrobique rationes. Iungenda itaque eſt hæc prima gratia reſtituta, ex opere quaſi operato debita, cum prima gratia, ex opere operantis per pœnitentiam, & perfectam conuerſionem conciliata.

11. Progredior ad eius augmentum; quod vel ex opere, (vt vocant,) operan-

tis,perficitur,vel abſque eo,æquè ac prima gratiæ comparatio, quæ vtroque illo modo poteſt obtingere, etiamſi hic quod ad primã gratiam ſanctificantem attinet ſolus prior modus locũ, defactò habuerit; & idcirco cõſultò in hũc locũ remiſerimus eius cõſiderationem. Prior ergo modus, cernitur in comparatione gratiæ ſanctificantis interuentu diſpoſitionis liberę,qua homo diuinitùs prę̃uẽtus & adiutus,ſicut diuinã illã formã ſibi primò conciliat, ita antè partã, cumulat noua acceſſione.Poſterior modus,omnẽ aliam rationẽ ſanctitatis augendæ comprehendit, quæ duplex ſubdiſtingui poteſt.Gratia enim,vel cumulatur vi actionis alicuius à Deo inſtitutæ, & per idoneũ miniſtrũ exercitę,aliis quibuſuis adiunctis ad ſummũ remouẽtibus obicem, quantũ ad gratię menſurã huic operi reſpondentẽ attinet,quod eſt opus operatũ ex quo ſacramenta nouę legis conferũt gratiam. Aut certè augetur gratia ex diuino priuilegio perpeſſioni mortis adiũcto,vt accidit in martyrio, cùm eſt radicaliter perfectũ,&vi malorũ inflictorũ deuẽntum eſt ad diſpoſitionis corpo-

reæ ad fouendam animam neceſſariæ: ita vt ſit iuſtitium in ſenſuum functionibus quibuſuis, & multò magis in operoſioribus functionibus. Quamuis enim hæc gratiæ per martyrium collatio, non ſit propriè ex opere operato; (nec enim Chriſtus operationẽ martyrij inſtituit, & eam ſuis veluti meritis fœtam voluit nobis eſſe fontem gratiæ, ſed eam potius deteſtatur & plectit:) Tamen ſicut per ſacramentum datur gratia, quæ non habet pro cauſa diſpoſitionem fortè adhibitam, ſed ſolam illam operationem Chriſti meritis grauidam, ita ex diuino priuilegio, confertur martyri aliqua gratiæ portio ſupra illud quod debetur ex opere operantis, ſeu vi diſpoſitionum quatenus meritoriarum. Quod ſignificant ſcripturæ, quas in hanc rem dēſat locis innumeris S. Cyprianus magnus laudũ martyrij buccinator.[a] Itémque Tertullianus,[b] annuúntque reliqui Patres paſſim, idcirco cōcedentes martyrium in neceſſitate ſupplere Baptiſmum aquæ, & elargiri primam gratiam quos plenis examinibus educunt Suares,[c] Bellarminus,[d] Valentia.[e] Leſſius,[f] nec

[a] *cum in exhortatione martyrij tum altera l. de laude martyrij & paſſim alibi.*

[b] *l. ad martyres.*

[c] *t. 3 3. p. d. 29 ſ 2.*

[d] *l de bap. c 6.*

[e] *t. 3. d. 8. q 2. p. 2.*

[f] *l. 3 de virtut. c. 1. à n. 45.*

Nec video quãto iure in contrarium abierit Vaſques,[a] cauſatus idoneam tanti priuilegij aſſertionem, nec in ſcripturis, nec in Patribus comparere. Quamuis enim nihil vſpiam ſit adeò clarum, quin homini ab ingenio & ſolertia, benè conſtituto, procliue ſit, offuſis tenebris illud quoquomodò obſcurare, (quod hîc ab aduerſario tentatum): tamen nobis res apud Patres videtur adeò perſpicua, vt ad eam contuendam, non tota ſolis lanceam, ſed tantùm lucernæ ſpiculo lumine opus ſit.

a 3 p. d. 153. à c. 3.

12. Ex his duobus generalibus modis augendi gratiam, prior apertè habuit locum in Latrone. Quis enim dubitare poteſt de Latronis ſtudio, in cumulanda & augenda ſanctitate poſt primam ſanctificationem, eo toto tempore quod inter conuerſionem & mortem eſt interlapſum? Sanè plerique quos anterior Chriſti paſſio non mouerat, aut languidè affecerat; tamen extremã tragędiam, tantáque ſigna quanta de cœlo acciderunt conſpicati, percutientes pectora ſua reuertebantur: ipſéque Centurio, audiens morientem cum tanto clamore, & ad-

uerſus

uerſus Satanã & mortis ac peccati regnũ conclamantem, erupit in illas voces fidei & charitatis in Chriſtum plenas [*verè Filius Dei erat iſte.* Multò itaque congruentiùs eſt, exiſtimare, Latronẽ Chriſto ſuccenturiatum, & tanto eius beneficio, quantùm antea expendimus, præoccupatum, non deſtitiſſe Chriſti innocentiam & diuinitatem conteſtari, & aliis ſanctarum operationum acceſſionibus acceptiorem ſe Deo præſtare. Illud præſertim æſtimantem, quàm modicum tẽpus haberet, quódque per fidem ambulemus, non per ſpeciem: Id eſt, vt exponit Proſper [a] [in hac vita per fidem benè viuendo, proficientes, bonorum operum quodammodò paſſibus ambulemus: in futura autem iam non ſit quod velut proficiendo vlteriùs ambulemus, ſed vbicúmque in morte ceciderit lignum, ibi æternùm ſit. Quod ſi omnibus omninò dicitur, tempus breue eſt, eóque conſilio, Iudęis ſecundùm ſpiritum, hoc eſt, Chriſtianis omnibus (quæ eſt pia admodum S. Paulini conſideratio [b]) indicitur, vt baculum, bona ſcilicet opera manibus aprehendentes, cibum Dei,

a *de vita contemp. c. 6.*

b *ad Seuerum epiſt. 5.*

agnum

agnum myſticum , edant feſtinantes, quia maturandum eſt ob temporis anguſtias: ſi inquam omnes idoneos ſalutis ſuæ curatores, hæc maximè cura ſollicitat, quantò feruentiùs & exquiſitiùs in eam incubuerit bonus Latro, reliquo vitæ tempore à vocatione & conuerſione, qui & aduentus ſui hora vndecima conſcius, & iam iam exituram in tot cruciatibus vitam, non ignorabat?

Ingeminabat igitur etiam ipſe, illud hominis tandem è cœno vitiorum erepti. [a][Serò te amaui pulchritudo tam antiqua & tam noua, ſerò te amaui. Vocaſti, & clamaſti, & rupiſti ſurditatem meam. Coruſcaſti, ſplenduiſti, & fugaſti cœcitatem meam Flagraſti, & duxi ſpiritum, & anhelo tibi, guſtaui, & eſurio, & ſitio. Tetigiſti me, & exarſi in pacem tuam.] Nunc ſpectatores conteſtabatur; nunc collegam, vt tandem aliquando ſaperet, & lumini ſe ingerenti oculos panderet, nec ſe in æternas tenebras immergeret adhortabatur. Subinde fidei, ac ſpei; & pœnitentiæ actus iterabat, ſed maximè charitatis. Interpellabat Chriſtum amantiſſimis vocibus, & eius ſanctiſſi

a S. *Aug.* 10. *confeſſ* c. 27.

ctiſſimas exuuias poſt animę abſceſſum, ſenſu licet, deſtitutus ſuauiſſimè alloquebatur, perinde ac ſi non deeſſet vita. Laudabat Deum, qui ſic mundum dilexiſſet, vt pro tam malè merente, Filium ſuum vnigenitum daret. Extollebat flagrantiſſimam Vnigeniti charitatem,quę ſe ad tantam noſtri cauſa abiectionem ac calamitatem demiſiſſet. Supplex precabatur Spiritum ſanctum, ea vt cruciatuum vnigeniti Dei moles, benè generi humano vniuerſo, benè Iudæis, benè illis ipſis qui ſe ſuffixerant cederet, nulli foret fraudi. Agnoſcebat iudiciorum diuinorum profunditatem, in gratiarum actionem pro tanta Dei in ſe beneficentia effundebatur: colliqueſcebat gaudio, ad anterioris ſtatus ſui cũ præſenti contentionem ac commutationem: prædicabat fœlicem ſortem ſuam, ex ſocietate Iesv pendentis, & confixione cum eo. Inuitabat peccatores omnes qui vniuerſo terrarum orbe tunc viuerent, aut poſtea victuri eſſent. Dei miſericordiæ, & efficacitati diuinæ gratiæ ne diffiderent, néve lumini illucenti rebelles eſſent. Non ſum par iis calamo vel chartæ

committendis, aut etiam cogitatione perſpiciendis, quę ſpiritus ſanctus interno magiſterio appoſitè ad illud tempus Latroni ſuggerebat, aut ore promenda, aut mente & affectu voluenda, quibus ille ſanctè & nauiter perficiendis, mirum quantis acceſſionibus collatam primò ſanctitatem cumulabat.

13. Chriſti porrò collocutione, quantum in eius pectore excitaretur incendium quámque flamma eo fomite primùm concepta, arderet magis ſemper ac magis, egregiè tradidit probauítque verbis illis S. Macarius [c] agens de Chriſti ad Magdalenam collocutione, indéque ad alios, & nominatim ad Latronem deſcendens [Mariæ quæ diligebat eum, & aſſidebat pedibus eius, non ſimpliciter ſe adiunxit; ſed virtutem quamdam occultam ex ſua ſubſtantia contulit illi. Sermones enim quibus alloquebatur Deus quietè Mariam, Spiritus erant & virtus quædam; hique ſermones penetrabant cor, & animæ animam, Spiritus ſpiritum, & virtus diuina multiplicabatur in corde eius. Neceſſariò enim virtus illa, quocumque diuerterit, illic perſeue-

c hom. 12.

rat,

rat, velut poſſeſſio, quæ auferri nequit. Quare Dominus ſibi conſcius, quid Mariæ contuliſſet, ait: *Maria optimam partem elegit.* Non ita longè poſtea, quę beneuolè egerat Martha circa miniſterium, promouerunt eam ad donum illud gratiæ. Illa enim conſecuta eſt virtutē diuinam in anima. Et ſanè quid mirum ſi qui accedunt ad Dominum, eíque corporaliter coniunguntur, receperunt virtutem; cum Apoſtolis loquentibus verbum Dei, ceciderit ſuper credentes ſpiritus? Cornelius ex verbo Dei quod audiuit, accepit virtutem: quantò magis, cùm Dominus loqueretur cum Maria, aut Zachæo, aut peccatrice, quę paſſis capillis abſtergebat pedes Domini, aut cum Samaritana, aut Latrone, egreſſa eſt virtus, & permixtus eſt cum eorum anima Spiritus ſanctus.]

14. Hæc cumulandæ in Latrone ſanctitatis, veluti primaria principia. Et iuuabat ſubſequentis acceſſionis pleniorem menſuram, anterior gratiæ quantitas. Nam quo perſona eſt gratior & dignior, eo eius actio aptior eſt ad anteriorem gratiam cumulendam, vt fert verior

ſententia Valentiæ[a], Albertini[b], Suarij[c], ac vt videtur S. Thomæ. [d] Quam malè abijciunt Angeſtus [e] & Vaſques. [f] Eſt enim dignitati gratiæ ſanctificantis, & æquitati prouidētiæ diuinæ, ac prudentiſſimæ Dei æſtimationi congruentius, vt ſicut ſatisfactionem pleniorem ducit ac copioſiorem, quo perſona eſt gratior vt apertè in Chriſto eluxit; ſicut etiam eò faciliùs exorari ſe ſinit, quo perſona intercedens & orans, ſanctior eſt & acceptior: Ita opus hominis amicioris, & per gratiā augeſcentem, ſemper ac ſemper eminentioris, fructuoſiorem eſſe velit, & gratiæ fertiliorem. Idque planè videtur poſcere vulgare effatum, vt ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ſic magis ad magis. Quanquam vt hoc obiter elidam, ob quod aliqui ab hoc placito abhorruerunt, non contendo accrementum quod fit gratiæ, ſuppoſita iam aliqua perſonæ operantis, & gratiam ſibi cumulantis dignitate, eſſe æquale præiacenti quantitati gratiæ, vel exceſſui quo ſuperat aliam perſonā gratam, cuius operatio cum eius operatione confertur in ordine ad gratiæ augmentum: quaſi ſcilicet

a 1. 2 d. 8. q. 6. p. 3 ſub finem, b coroll. 18. ex 1. princ. cōpl. n. 50 c t. 1. 3. p. d. 4 ſ. 4. & l. 12 de grat. c. 12. n. 2. d in 2. d. 29. qu. 1. art 4. e c. 8. mor. t 4. f 3 p. d. 6. n 22. & 23.

ſcilicet ſi vna perſona eliciēs idem opus, habet triplo plures gratiæ gradus, incrementū quoque triplo creſcat. Hoc enim falſum eſt, & abſurdè à Medina ſupponitur [a]. Nam meritum gratiæ augendæ, eiúſque accrementum non creſcit ad æqualitatem graduum gratiæ, ſiúe ſimpliciter acceptæ, ſiue prout maioris: ſed prudenti taxatione diuina conſtitutum eſt, quantum meritum, quantæ gratiæ reſponderet; ita tamen vt maius maiori gratiæ reſpondeat. Qua in parte nulla cernitur perſonarum acceptio, vt aliqui per iocum vel per ſimplicitatem opponunt. Sed decernitur præmium ſpectatis perſonarum operibus, quæ ex ipſorum circonſtantia, *quis*, exiſtunt digniora, & moraliter maiora; ac talia, vt rependi eis debeat cumulatior gratia. Itaque non dubito, quin Latroni per poſteriores actus, à perſona maiori ſemper & maiori ſanctitate prædita deriuatos, eiúſque maioris gratiæ dignitate imbutós, accederet plus gratiæ quàm per eoſdem acceſſiſſet, si in eadem phyſica ſpecie ac intenſione, eliciti fuiſſent ante comparatam tantam gratiam.

a 1 2. q. 114 *art.* 8.

15. Venio ad ſecundum generalem modum, quo admittebam potuiſſe à Latrone augeri gratiam, ſtatuebámque eſſe bicipitem, nempe per Sacramenta, vel per martyrium. Sacramentis antiquæ legis nullus hic locus fuit. Et vt fuiſſet, nullam ab eis gratiæ acceſſionem ſperare oportuit, cùm eſſent infirma & egena elementa, nec niſi iuſtitiæ carnis: ne circunciſione quidem excepta, ſi per ſe & vi operis conſideretur. Nouæ autem legis ſacramentis omnibus, aditus paratur per baptiſmum, vt proinde eo excluſo, quærendũ non ſuperſit de reliquis. Non defuiſſe tamen Latroni baptiſmum, cenſuerunt Patres grauiſſimi, in eas ſe difficultatum pedicas induentes, quòd putarent omnes perẽptorio illo Chriſti edicto vrgeri, quo obſtructum ſalutis iter denunciatur omnibus iis qui renati non fuerint ex aqua & Spiritu ſancto. Ideò enim Punici vt D. Auguſtinus refert [a], Euchariſtiam vulgato nomine *vitam*; baptiſmum verò *ſalutem* vocabant, quòd vt præiacentem vitam diu fouere ac retinere nequeas abſque cœleſti alimento, ita neque ſalutem conſequi abſque bapti

a *de pecca to mer. cap.* 24.

baptiſmo, quo in noua lege Deo naſcimur. Et idcirco in ſcripturis, regenerationis ſacramentum dicitur; & à S. Cypriano [a] vnda genitalis, à Chryſoſtomo, [b] *vterus fidelium* ab eodem alibi, [c] *matrix Chriſtianorum*, à Bracharío [d], *Eccleſiaſtici fontis vterus & perplexi ſecretiq; vulua myſterij, filios Domini noſtri parturiens.* Ne igitur natum denuò Latronē ſanctū, diffiterentur; & vulgatæ inter Chriſtianos neceſſitati baptiſmi, fraudi eſſet Latronis ab vniuerſali eius lege exſolutio, adacti ſunt Patrum nonnulli, admittere Latronem fuiſſe baptizatum. Quo ipſo conceſſerunt, eum huius ſaltem Chriſtiani ſacramenti ſuſceptione, auxiſſe ex opere operato gratiam ex opere operantis primùm partam interuentu liberæ conuerſionis.

a epiſt 1.
b in c. 4. ad Gal. ſub finem.
c hom. 25. in Ioan.
d epiſt ad Ianuar.

Fuit apertè in ea ſententia, quidam de quo Hugo Victorinus ad S. Bernardum retulit. [e] Aiebat enim quiſquis ille fuit, (nam nomen non proditur,) ex quo primùm dictum à Domino legitur, *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non intrabit in regnum cœlorum*; ex eo inquam tempore, neminem [abſque eodem per-

e epiſt. 77.

cepto actualiter viſibili ſacramento, vel eius vice martyrio, vllatenus potuiſſe ſaluari. Sed etſi fortè illud quiſpiam cum vera fide, & contritione cordis expeteret, ſed præuentus mortis articulo aſſequi quod cuperet, non valeret, tamen omnino damnari.] Cùm ergo Latronem, non fuiſſe verè martyrem mox ſimus oſtenſuri, perſpicuè efficitur, Latronem iuxta prædicti auctoris ſententiam fuiſſe damnandum, niſi re ipſa fuiſſet baptizatus. S. item Auguſtinus agens cũ Vincentio Victore [a] habet hæc verba. [Non incredibiliter dicitur, Latronem, qui tũc credidit, iuxta Dominum crucifixum, aqua illa quę de vulnere lateris eius emicuit, tanquam ſacratiſſimo baptiſmo fuiſſe perfuſum. Vt omittam quòd eum, antequam damnaretur, baptizatum non fuiſſe, quoniam nemo noſtrum nouit, nemo conuincit.]

a l. 1. de animæ orig. c. 9.

16. Verùm anterior ille Chriſtianus Latronis baptiſmus, pugnat cũ ea Chriſti ignorãtia, quam Latroni ânte crucem tribuunt Patres omnes. Et ipſe Auguſtinus, eodem capite admittit, Latronem non fuiſſe Domini ſectatorem ante cru-

cem.

cem. Itaque reſtat, vt ſi verè baptiſmum ſuſcepit, baptizatus ſit in cruce, per aquã ex Chriſti tranſuerberato latere dimanantem. Quæ eſt illa altera via tuendi baptiſmi Latronis, quam D. Auguſtinus retulit, & probauit apertè S. Chryſoſtomus [a][Saluator quidem (inquit) ſalutem promiſerat, ſed tempus non erat; Neque permittebatur Latroni credere, ac baptizari, Pronuntiarat enim ſaluator, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non introibit in regnum cœlorum.* Opportunitatem aut licentiam non reperiebat Latro, ſuſcipiendi baptiſmi, tempus illi non ſuppetebat: quippe qui ſuſpenſus eſſet in cruce. Saluator igitur viam inuenit, qua impedita expediret. Nam quia crediderat is Saluatori, qui in peccatis inueterauerat, eùmque neceſsè erat baptizari, ſic diſpoſuit Deus, vt poſt paſſionem lancea miles Domini latus vulneraret, & exiliret ſanguis & aqua: (*Ex eius enim latere*, inquit Euangeliſta, *exiuit ſanguis & aqua*,) vt ſimpliciter non fluerent, ſed cum impetu, vt Latronis corpus aſpergerent. Quod enim cum impetuoſo fluxu emittitur, aſpergit: quod autem fluit, leniter

a orat. de cæco à natiuit.

fluit,

fluit, prout venit:at cum impetu exiuit ex latere ſanguis & aqua, vt Latronem aſperſum baptizarent, ſicut Apoſtolus ait, Acceſſimus ad Sion montem, & aſperſionem ſanguinis meliùs loquentem quàm Abel. Quare meliùs quàm Abel loquitur ſanguis Chriſti? quia ſanguis Abel inſidet capiti homicidæ. Chriſti verò ſanguis homicidas, etiam pœnitentes emundat.]

a *orat. de reſurrect. eod. tomo 6. pag. 445.*

Diſertiſſimè item alibi: [a] [Eſt magnum myſterium, Pœnitentiam egerat Latro. Aqua opus erat, vt baptizaretur. In cruce ſuſpēſus erat: alter baptiſmi locus non erat; non fons, non lacus, non pluuia, non qui myſteriis eum initiaret: Omnes enim propter Iudæorũ metum aufugerant diſcipuli. Non tamen Ieſu latices defuerunt: ſed & in ipſa cruce pendens conditor, fons aquarum eſt factus: quandoquidem fieri minimè poterat, vt ſine baptiſmate Latro in regnum intraret: eum verò qui pœnitētiam egiſſet, baptiſmo deſtitui non oportebat; aquam & ſanguinem è vulnerato latere ſuo ſaluator emiſit: vt & Latronem à malis impendentibus liberaret, & ſanguinem

guinem ſuum eorum qui in ipſum ſpem ponerent, redemptionem factam eſſe, declararet.] Rurſus alibi [a] id ipſum perſpicuè his verbis confirmat. Noli dubitare chariſſime, gratia enim Dei perfecta eſt, locus non prohibet, ſiue hîc baptizeris, ſiue in naui, ſiue in itinere. Philippus baptizauit in via. Paulus in vinculis, Chriſtus in cruce Latronem ex vulnere. & ſtatim paradiſi meruit ianuam reſerare.]

a ſerm. de regreſſu ex Aſia.

17. S. Auguſtinus cùm aliquoties negaſſet ſuſceptum realiter à Latrone baptiſmũ, eúmque per charitatem & conuerſionem perfectam expiatum, cœlóq; aptatum docuiſſet, [b] variis locis, quæ ſignat ex eo S. Bernardus. [c] Tamen alibi hæc loca retractans, nihil vult ſtatuere. [d] Imò [e] vehementer inclinat in eam partem quæ Latronem ſtatuit Chriſti baptiſmo ablutum: & recenſens Librum 83. quæſtionum [f] vbi dixerat Latronem non fuiſſe baptiſmo expiatum, ait [g] id quidem ab aliis anterioribus Patribus traditum fuiſſe, [ſed quibus documentis (inquit) ſatis poſſit oſtendi, quòd nõ fuerit baptizatus ille Latro. De qua re in poſteriori

b vt l. 4. de bapt contra donat. c. 23. & 25 contra Creſco c. 9 & q. 84. in Leuit & q. 63. ex 83.
c epiſt. 77.
d 2. retrac. c. 18.
d cap. 55.
e in 62
f 1 retrac. c. 26.

ſterioribus quibuſdam opuſculis noſtris diligentiùs diſputatum eſt, maximè in eo quod ad Vincentium Victorem de animæ origine ſcripſimus,] Nẽpe eius operis lib. 3. c. 9. vbi tametſi alium quoque modum commemorat, quo ſalus Latronis abſque baptiſmi reali ſuſceptione locari in tuto poſſit, nimirùm aſſerendo Latronis martyrium: tamen fuiſſe Latrònem reipſa baptizatum, cum aliis rationibus tuetur, tum in primis eò quòd [creditur aqua ſimul cum ſanguine, exiliente de latere Domini, iuxtà confixus potuiſſe perfundi, atque huiuſmodi ſanctiſſimo baptiſmate dilui.]

Verùm neque hoc pacto defendi poſſe, ſuſceptum reipſa fuiſſe à Latrone Chriſti baptiſmum, videtur extra controuerſiam. In primis quia illæ profuſus aquæ ex Chriſti latere ad Latronẽ, commentitius videtur. Præſertim cùm Latro à dextris penderet, Chriſtus autem in ſiniſtro latere punctus à nonnullis bonæ notæ Doctoribus exiſtimetur, quod miles qui in Chriſtum adegit lanceam, exploraturus an adhuc viueret, transfixionem cordis in latus ſiniſtrum vergentis

intende

intenderit, idque diuinitùs prouiſum videatur, tanquam accommodatius ad reſeratum cordis Chriſti oſtium demonſtrandum. In quam partem multa non improbabilia cumulat Suares.[a] Nolim tamen hinc admodum vrgere inanitatem baptiſmi Latronis. Quòd pars quę aſſerit Chriſtum in dextro latere punctum, non modò picturis & nummis antiquis ſit teſtata, ſed multis quoque Patribus diſertè placuerit, quos adducunt qui in ea ſunt ſententia, Paleotus,[b] & ad eum Malonius, ac Gretſerus,[c] & Collius.[d] Nominatímq; ita ſentit S. Bernardus.[e] Firmiora itaque proferamus in rem noſtram, illúdque præſertim, eum effluxum aquæ è Chriſti latere non fuiſſe idoneum ad baptiſmũ: Neque enim fuit actio vllius miniſtri baptiſmũ cõferẽtis. Non enim Chriſti qui iam efflarat animam: non militis lanceam immittentis, vt per ſe liquet. Nullus item adfuit qui formam baptiſmi enunciaret. Quid ſi etiam Latro, ex crurium confractione quæ Chriſti vulnerationem præceſſit, iam obierat; ac proindè idoneum baptiſmi Chriſtiani ſubiectum vltra non erat?

18. Con

a t 2. 3 p. d. 41. ſ 1.

b de ſacra ſyndone c. 20.

c l. 1. de cruce c. 35.

d l 4 de ſang Chriſti diſp. 6. c. 2.

e ſerm 7. in pſal qui habitat.

18. Concludendum itaque eſt, Latronem non fuiſſe reipſa baptizatum, ac proinde neque hoc ſacramento, ianua cœterorum, neque vllo alio Chriſtiano ſacramento fuiſſe initiatum: & quod inde ſequitur, non auxiſſe his viis gratiam libera in Deum conuerſione comparatã. Quod verò Gaufridus Vindocin.[a] Latronem nullo ſalutari ſacramento Chriſtiano deſtitutum contendit; illum & baptizatum, & confirmatum, & peccata confeſſum tradens, myſticum eſt, nec refert ad rem pręſentem.

a ſerm. 10.

Ne cui verò lex Chriſti de baptiſmo negotium in hac re faceſſat, addendum eſt; legem illam iuxta pleroſque neminem obſtrinxiſſe ſtatim à Chriſti morte, ſed tantùm ex quo facta eſt nouæ legis promulgatio in Pentecoſte, quoad Hebræos, qui erãt Hieroſolymis: Tardiùs autem quoad alios Hebræos atq; Gentiles; hoc eſt non niſi intra tempus quo lex illa ſufficienter eis promulgari & innoteſcere potuit: quæ eſt ſententia Suaris[b], Ægidij[c], Bellarmini[d], Bonacinæ[e], & aliorum quos iſti proferunt. Iuxta quam doctrinam ſucciditur planè, difficultas mota

b 1. de leg. c. 22. & l. 10. c. 4.
c 3. p. q. 68. n. 24.
d l. de bapt. c. 5. propoſ. 4.
e q. 2. de bapt p 2 n. 12.

mota circa Latronem, ex baptiſmi Chriſtiani lege. Nondum enim viguerit lex illa moriente Latrone. Ego tamen qui de neceſſitate illius Chriſti legis aliter philoſophor, paulò aliter in re præſenti ſtatuo. Secerno igitur circa eam legem neceſſitatem præcepti à neceſſitate medij. Et illam quidem ſentio non cœpiſſe publicè ante Pentecoſtem defectu anterioris promulgationis; vnde hæc obligatio non eſt Latroni iniecta. Poſteriorem tamen obligationem quæ medij dicitur, cenſeo cæpiſſe à morte Chriſti, translato tunc ſacerdotio, & expirante cum Chriſto lege veteri: Tunc inquam eam neceſſitatem puto cæpiſſe pro omnibus ex eo tempore iuſtificandis, non tamen pro iam conſecutis ſanctitatem. Quæ limitatio apponitur propter adultos in ſacramentis veteribus, vel ex opere operantis ante Chriſti mortem gratia donatos, eámque vitatis peccatis conſeruantes vſque ad tempus mortis ſuæ, poſt Chriſti mortem obitæ, ante Pentecoſtem. Itémque propter paruulos in circuncisione aut remedio legis naturæ gratiam adeptos, ante punctum mortis Chriſti.

Chriſti. Quia enim dona Dei ſunt ſine pœnitentia, non debuit adultis hiſce vel paruulis, auferri gratia: vel in eo ſtatu cum gratia morientibus, obeſſe defectus baptiſmi. Vnde cùm Latro inter hos adultos connumeraretur, mirum non eſt, quòd gratiam iam adeptus, potuerit ſalutem conſequi non ſuſcepto reipſa baptiſmo.

19. Occurrit alia ratio propoſitam difficultatem enodandi, dicendo cum Gaufrido Vindocin.[a] [Euangelicus Latro, & martyres ſancti, licèt viſibiliter myſteria baptiſmi circa eos non fuerint celebrata, baptiſmum tamen fide & voluntate perceperunt. Nam ſicut veraciter legimus, quicumque Spiritum Dei habent, accipiunt & gratiam eius, accepiſſet vtique Latro ille viſibiliter baptiſmum, ſi potuiſſet: quia paſſione ſua, vel quolibet bono opere, quod antè feciſſet, ſaluatus non eſt, ſed fide Chriſti & cõfeſſione. Non enim pro nomine Chriſti crucifixus eſt, nec quia credidit, paſſus creditur, ſed credidit dum pateretur.] Hoc eſt dicere Latronem in voto baptiſmi Chriſtiani fuiſſe ſanctificatum,

a ſerm. 5. qui eſt de Chriſti re ſurr.

quamuis

quamuis ab eius reali ſuſceptione excuſatus ſit ob impotentiam.

Verùm Latro dicendus non eſt iuſtitiam paraſſe, vel retinuiſſe in voto baptiſmi. Nam votum baptiſmi nihil aliud eſt quàm contritio vel perfecta dilectio, prout continent ſaltem virtualiter volitionem ſuſcipiẽdi reipſa baptiſmũ, eámque volitionẽ, de facto extundunt, ſi facultas ſuppetat: cũ repugnet aliquẽ perfectè Deũ diligere vel peccata deteſtari, nec tamen velle refugere violationem diuinæ alicuius legis: aut inſtitutionis, neceſſitatem iniicientis ad aliquid. Quia ergo nulla neceſſitas tunc temporis vrgebat ad baptiſmum ſuſcipiendum, contritio vel dilectio Latronis non eſt dicenda continere in voto volitionem baptiſmi ſuſcipiendi, eóque actu quaſi grauidari. Quamuis de quibuſvis poſt Christi mortem gratiam adeptis ex opere operantis, ita ſit philoſophandum. Conſentiunt in negatione re ipſa ſuſcepti Latronis baptiſmi S. Bernardus,[a] & Rupertus[b].

Non plura de ſecundo generali mo-

a *Epiſt.* 77.
b *lib.* 6 *de diuin offic. c.*35.

do augendæ gratiæ anteriùs acceptæ, quoad primũ illius ſecundi modi membrum, ſeu Sacramenta. Iam verò an modus augendi gratiam non ex opere operantis, conceſſus martyrio, locum habuerit in S.Latrone, pendet ex mox dicendis de S. Latronis morte, &; ex ibi adducendis, conſtabit, hunc modum augmenti gratiæ in S.Latronem non cecidiſſe.

20. Supereſt attingẽdus modus, gratiæ ſanctificantis per S. Latronem conſeruatæ: quo tria inſignia dona referuntur, nempe donum perſeuerantiæ, confirmatio in gratia, & nitela omnimoda à quauis labe gratiã infuſcante. Quę dona ſunt longè diuerſa, & diſſociabilia. Nam donum perſeuerantiæ iis omnibus conceditur, qui excedunt è vita cum gratia ſanctificante, ita vt quamuis ex quo primùm parta fuerat gratia, contingat relapſus in culpam lethalem, & gratiæ naufragium, tamen dummodò mors in gratia obeatur, quantæcumque eius intercifiones à prima acceptione ad mortem vſque interceſſerint, perſeuerantię donum

donum non defuerit: quod non à continua & numquam interrupta gratiæ poſſeſſione denominatur, ſed à poſſeſſione gratiæ in vitæ meta: ideóque nihil aliud eſt perſeuerantiæ donum, quàm collectio omnium auxiliorum efficaciũ, quibus iuſtus vſque in finem adiutus eſt, vt vitaret grauia peccata, & benè operando gratiam retineret, additis extrinſecis beneficiis quibus protectus eſt ne in peccata grauia incideret: vel ablatæ occaſiones grauis lapſus, ex iiſdem permiſſis ſecuturi, ac præſertim addito beneficio quo non eſt permiſſus mori quo vſque gratia potiretur, ſi ea aliquandiu caruit, vel non eſt permiſſus viuere, ſi eam breui erat amiſſurus. Ago de adulto perſeuerante, quia in paruulo, perſeuerantia, ſupra gratiam ſanctificantem, nihil importat præter extrinſeca beneficia ſtatui eius conſentanea. Hoc igitur eſt donum perſeuerantiæ.

21. Confirmatio autẽ in gratia, aliquid addit ſupra nudum donum perſeuerantiæ. Non enim omnes electi dicuntur confirmati in gratia, & tamen omnes

accipiunt perſeuerantiæ donum. Imò non omnes qui ſemper gratiam ſeruant, & non inquinant veſtimẽta ſua, dicuntur confirmati in gratia. Addit igitur confirmatio, iugem, & numquam peccati mortalis interuentu abruptam gratiæ poſſeſſionem, per eum qui alioqui vi ſtatus capax eſſet cadere, ni ita ſolidatus fuiſſet: cuiuſmodi non ſunt infantes. In quo confirmatio iam differt à ſimplici dono perſeuerantię, ac prætcrea addit ſtabilitatem in bono, quo voluntas quantumcumque reflante & colluctante Satana, concuti ab eó, & deiici de ſtatu gratiæ nequeat, eo quod Deus ſtatuerit non permittere vt confirmatus in gratia ab ea excidat per vllum peccatum mortale: Siue negato diuinitus ad peccandum concurſu, quod non pauci recentiores affirmant, minùs conſiderantes id ad peccata omiſſionis declinanda nulli fore vſui, & malè committendi libertatem excludere, quam tamen Apoſtolis iam in gratia confirmatis diſertè concedit S. Macarius[a]: ſiuè quod magis placet prouiſis efficaciſſimis &

[a] *Homil. 27. pagin. 364.*

& validiſſimis auxiliis, vltra communem perfectionem auxiliorum perſeuerantibus conceſſorum, quibus hominis confirmati voluntas ita ſtabiliatur in bono, vt quamuis abſolutè poſſet excidere à gratia atque peccare, tamen non modò reipſa non ſit caſura, (quod omnes prędeſtinati æquè habent,) ſed ne potentiam quidem cadendi habitura ſit, moraliter loquendo. Sicut enim ſumma infirmitas naturalis iunctis Satanæ inſultibus, cenſetur hominem ſtatuere impotentem ad nunquam peccandum venialiter; quamuis abſolutè peccata venialia & ſingula & omnia ſint ab homine euitabilia, (liberè enim admittuntur:) Ita ſumma roboratio per extraordinaria auxilia cenſeri poteſt firmare hominem in bono, & moraliter impotentem ad peccandum reddere, quamuis abſolutè peccare poſſet.

Tandem nitela omnimoda, & immunitas à quouis peccato, ſupra duo hactenus propoſita dona, addit longè pręſtantiſſimum munus excluſionis cuiuſcumque maculæ, etiam venialis: ita vt non tantùm lethales culpæ gratiam ex-

terminantes, ſed etiam labeculæ gratiã infuſcantes animam non commaculent. Quod priuilegium in longa vita nulli conceſſum conſtat, præterquam Deiparæ, vt S. Auguſtinus [a] diſerte docet, & confirmat Vega, [b] etiamſi Recentiores aliqui nullo firmo argumento nixi, ad Chriſti præcurſorem idem priuilegium extendi, probabile dixerint. Per breue autem tempus quod pro occaſionum varietate varium eſt, nihil vetat, aliquem etiam per communia auxilia, omnem labem reipſa vitare, quod ante Driedonem, [c] nemo inficiatus eſt, & pauci poſt illum.

a Lib. de nat. & grat. c. 36.

b Lib. 14. in Conc. c. 17.

c Lib. 1. de gratia, c. 5.

22. His tribus donis, exornatum dico S. Latronem. Quod non eſt æquè de omnibus clarum. Nam donum perſeuerantiæ, certò ſecundum fidem obtinuit, vt liquet ex Chriſti promiſſione de paradiſi ingreſſu, qui nulli niſi in gratia mortuo, conceditur. Confirmationẽ quoque in gratia ſemel adepta, conſecutus eſt. Iis enim diuinis auxiliis munita & firmata eſt eius conſtantia in bono, vt quamuis abſolutè labi poſſet, tamen moraliter loquendo dici poſſet impo-

tens

tens ad labendum, præ exuberantia & efficacitate morali auxiliorum quibus præueniebatur, ratione quorum non obſtante breuitate temporis quo ſuperſtes fuit poſt adeptam primam gratiam, dici poteſt confirmatus: quia quamuis omnes electi non confirmati ſaltem per breue tempus ante mortem perſtent in gratia, tamen non ſunt tunc adeò firmati & ſtabiliti in bono, vt poſſint dici moraliter impotentes ad labendum, non enim habent auxilia adeò excellentia, ac confirmati, qui illuminationibus colluſtrantur multo liquidioribus & limpidioribus, & guſtus boni habent longè ſuauiſſimos; præ quibus ad bonorum ſenſibilium ſuauitates deſipiunt: vt proinde nullum ſit periculum, ne abducantur per malè pellicientem eſcam boni ſenſibilis: quòd periculum ſemper imminet non confirmatis, etiam cum præueniuntur per gratiam efficacem, quæ infallibiliter excudit conſenſum in bonum.

Ex eodem principio eruitur tertia prærogatiua propoſita, nempe immunitatis à quouis veniali, & conſeruationis

ratiæ ſanctificantis cum ſumma nitela, quam infuſcant labeculæ veniales tanquam nçui corpus pulcherrimum oblędentes. Non quod reuera gratiæ aduenient, eâmve vllatenus ſeu minuant,ſeu intrinſecè commaculent: ſed quod perſona his ſordium minutiis oblita diſpliceat aliquoties Deo. Hoc eſt in leuem eius offenſiunculam incurrat,ſalua amicitia: ſicut plerumque in humanis,inter amicos ſuperſtite amicitiæ vinculo,ſubnaſcuntur offenſiunculæ, quæ ad diſſolutionem vſque amicitiæ non pertingunt: quamuis amicitiæ familiaritatem & veluti teneritudinem nonnihil temerent. Similiter ergo Deus, perſonæ culpa veniali inquinatæ, ſubinfenſus eſt, non tamen inimicus. Et quamuis velit ei malum temporariæ pœnæ, hic aut in emendatorijs ignibus ſubeundę;itemq; negationis auxiliorū vberiorū &diuinæ familiaritatis,quod eſt aliquatenus odiſſe illam perſonam; ea generali ratione qua velle malum eſt odiſſe:Non tamen ſimpliciter dicendus eſt eam odiſſe; quia vox odij in communi vſu ſonat non qualemcumque diſplicentiam, & mali voli

volitionem aliqualem ei adiunctam, ſed diſplicentiam cum amicitiæ diſciſſione quæ inter Deum & hominem culpis tantum venialibus ſordentem non intercedit, ideóque ſalua gratia, & adoptione perſonæ illius in filium, eíque adoptioni contexo iure ad gloriam, vult ei Deus aliqua minutiora mala quæ attigimus, quod eſt aliquatenus infuſcare gratiam quæ ex ſe liberos ad Deum aditus conferret, & expeditum ius ad gloriam abſque remora.

23. Hanc ergo gratiæ ſuæ ſanctificantis nitelam omnimodã ſortitus eſt S. Latro ex priuilegio ſpeciali. Nam quamuis aliqui citra ſpeciale priuilegium, per communia dumtaxat auxilia, & extrinſecam protectionẽ miraculi expertem, poſſint aliquandiu carere omni peccato veniali, ac fortaſſis ad moram æquè longam, aut etiam longiorem, ea per quam S. Latro poſt conuerſionem ſuperſtes fuit: tamen id in illis ad gratiam potiùs extrinſecam remotionis occaſionum, quàm ad munimentum per intrinſecam gratiam pertinet; quæ in eis nõ eſt adeò excellens, vt vi eius ſolius poſſent diu-

tiùs

tiùs aut paulò grauioribus inſultibus occurrentibus perſiſtere, integri vitæ, omniſque maculæ puri. At præuentio & ſtabilitio Latronis per auxilia intrinſeca, & omnem diuinorum beneficiorum collectionem, quibus repreſſum eſt in eo & præcluſum quodcunque peccatum, à puncto conuerſionis ad mortem vſque, fuit adeò illuſtris ac eminens, vt idonea eſſet ſtabilire S. Latronem in perpetuum, cum eadem puritate, quæcunque tandem procella aduerſa incidiſſet. Quare S. Latro, gratiam ſanctificantem illuſtriſſimo modo, & parauit, & auxit, & conſeruauit.

Extrema Latronis Sancti vita, Crurifragium, & mors pretioſa.

Capvt XII.

1. Efflaverat Chriſtus ſanctiſſimum Spiritum, mortua erat vita, & adhuc tota Latronis anima intrà eum erat. Nimirum homo duriore corpore, nec anterioribus

cruciatibus & vexationibus tam multis támque aſperis fractus, quàm mitiſſimus Dei agnus qui tollit peccata mundi, potuit diutiùs in crucis angoribus perſtare. Itaque ab hora nona, hoc eſt tertia noſtra pomeridiana, quæ fuit hora mortis Chriſti, Latro ſuperuiuebat in cruce iis quas paulò ante adumbrabam ſanctis occupationibus diſtentus. Non enim imitabatur Bomilcarem illum, quem Iuſtinus [a] refert, cum patibulo ſuffixus in foro medio penderet, de ſumma cruce veluti de tribunali Pœnorrum ſcelera concionatum, crudelitatem illis ac flagitia exprobraſſe. Non item quod illi apud Senecam deſperati, [b] [ex patibulo ſpectatores ſuos conſpuebat.] Non quod Latro collega, præ rabie ex immanitate cruciatus; numen ipſum laceſſebat, & ſeipſum cupiens diſcerpere intercidendis tantis doloribus, ea blaſphemo ore iactabat, ad quæ àudientium aures horrore, capita horripilatione corriperent. Homo námque deteſtabilis, non acquieſcens iuſtæ ſententiæ, ſed aduerſus ſtimulum calcitrans, poſuit in cœlum os ſuum, vt latè præ cæteris proſequitur

a *l.* 21.

b *l. de vita beatæ c.* 19.

Cardin.

a *chorda 7. c. 45.* Cardin. Vigerius.[a] At noſter, cum patientia & gratiarum actione, quam commeritum ſe eſſe agnoſcebat pœnam, ſuſtinebat, offerens Deo quidquid illud erat vexationis ac ſupplicij, & certus promiſſionis à Chriſto factæ, mortem non tam finiendis cruciatibus, quàm adeundi per eam Paradiſi ſecurus præſtolabatur.

Cùm ergo ſic affectus in cruce viueret, & victurus fortè paulò plus eſſet, accelerandæ illi mortis cauſa interceſſit. Eam aliqui ex eo petunt, quod apud Iudæos lex Diuina eſſet, lata Deuter. 21. *Quando peccauerit homo quod morte plectendus eſt, & adiudicatus morti appenſus fuerit in patibulo, non permanebit cadauer eius in ligno, ſed in eodem die ſepelietur.* Eáque ex cauſa Ioſue, Regem Hai,[b] móxque[c] quinque Reges quinque patibulis ſuffixos, cum vſque ad veſperam & Solis occaſum pependiſſent, tandem ad occaſum Solis deponi de patibulis & ſepeliri mandauit. Quod autem non eſſent viui deponendi qui acti in crucem fuerant, idcircò aliter acceleranda erat mors iis qui ſub veſperum non obiiſ-

b c. 8.
c c. 10.

ſent,

ſent, quod ſatis frequens erat, quandoquidem SS. pleroſque martyres biduo, vt S. Andream, triduo alios, vt S. Victorinum; aliquos etiam pluribus diebus, vt Timotheum & Maurum per dies nouem pependiſſe in crucibus legimus. Crura ergo ſuffringebant Iudæi, iis quorum mortem accelerari oporteret, ſub Solis occaſum priuſquàm deponerentur. Impactis autem ferreis vectibus aut malleis comminuebant eorum crura, ſupplente cruce vicem incudis, quæ alibi interdum in ſolitario crurifragio adhibebatur, vt ex actis S. Adriani & ſociorum, Nicomediæ crurifragio cæſorum perſpicuum eſt. Quanquam in actis S. Fœlicitatis, bacillorum dumtaxat, (haud dubiè ferreorum) fit mentio non incudis ſubiectæ.

2. Hunc crurifragij communiter circa ſuſpendioſos vſurpandi morem, fuiſſe Iudæis peculiarem, ſignificat Lactantius. [a] Nimirum quod adigerentur ante noctem tollere cadauera; hæc autem expedita via eſſet exanimandi ſuſpendioſos, vt poſſent tempori de cruce deponi, mandaríque ſepulturæ. Cæteræ námque

a l 4 c. 26.

nâmque gentes, niſi iuſta aut congruens cauſa aliqua intercederet, & natalis Principum, quod Philo [a] docet; vel petitionis per cognatos interpoſitæ, vt habet Vlpianus, [b] vel per alios quoſcunque, vt ibidem habet Paulus Iuriſconſ. cruciarios tabeſcere in crucibus ac putreſcere ſinebant. Itaque non vtebantur ad accelerãdam mortem crurifragio, quod ad beneficium ſepulturæ citiùs exhibendum vſurpabatur; ſed Solis vnguine, & Iouis lauacro prolui cadauera volebant, quod notauit Baro. ad Romanum martyrol. [c] Hoc in Polycrate ſeruatum, autor eſt Valerius, [d] & indicat Tertullianus ſeruatum item in ſeptem filiis Saul, quos Gabaonitæ Iudæorum legibus liberi, ad crucem poſtulatos & ſuffixos, inibi tabeſcere voluerunt.

a contra Flaccum.

b *l. corpora ff. de cadauer.*

c *7. April. littera D.*

d *l. 6. c. 9. exter. 5. & l. 6. 3. exter. 3.*

e *l. de anima.*

Ne tamen crucis ſupplicium diuturnitate intolerandum euaderet, ſolebant Romani, ſtatim à ſuffixione percutere ſub axillis eos qui cruci ſuffigebantur: niſi ſi quando reus magnis & enormibus ſceleribus obſtrictus, ea humanitate indignus videretur. Qua ferè ratione apud nos, qui rota comminuuntur, ſi immania

pecca

peccauerint, tardè vel nullomodo percutiùntur in præcordiis; vt vegeti ac valentes relicti in rota, atrociores & longiores pendant pœnas. Prodidit hunc Romanorum morem Origenes, [a] qui quod rem tradat attinentem ad vſum ſupplicij crucis ſuo tempore adhuc vigentis, addátque qui non ita percutiebantur, viuere ſolitos nocte conſequenti in ſummis doloribus; aliquos prætereà per totum diem conſequentem in illa tormentorum atrocitate duraſſe; locuples teſtis moris illius cæteroqui minùs ab autoribus proditi, videri debet.

[a] *tract. 35. in Matth.*

3. Noſter ergo cum ſocio, quamuis per Romanos miniſtros in crucem cum Chriſto actus, tamen quod Latro eſſet & immania fortaſſis patraſſet, fortè etiã quod Chriſto quem more flagitioſiſſimorum plecti placebat ſupplicij comes additus eſſet, axillifragium non ſubiit; (id enim ſcripturæ ſilentium & crurifragij ſubſequentis ad mortem maturandam neceſſitas ſatis indicat.) Itaque vt poſſet à Iudæis, qui diuina ſuperiùs adducta lege vrgebantur tradi ſepulturæ, crurifragium cum ſocio ſubiit; quod non ſubiit

ſubiit Chriſtus: quia cùm ad eum ventum eſt, inuentus eſt mortuus. Quo Euthymius [a] accommodat illud Eſaiæ 53. iuxta Græcum & Hebræum contextum, *deſpectum & nouiſſimum virorum.* Græca enim & Hebræa habent, *deficientem præ aliis viris.* Quod Euthymius refert ad Chriſtum, qui præmortuus eſt viris ſecum cõfixis, ſicque crurifragium non eſt perpeſſus. Eius verò rei alias prætereà morales ac myſticas cauſas benè multas, ingenioſè excogitarunt Patres. Nam Hippolytus martyr oratione de duobus Latronibus cuius fragmenta exhibet Theodoretus, [b] cauſam non confractorum Chriſti oſſium, ait fuiſſe, vt ſignificaretur, eius virtutem, cuius oſſa ſunt ſymbolum, non fuiſſe comminutam per paſſionem: quam rationem amplexus poſtea eſt S. Gregorius [c]. Idem tamen alibi [d] ſecutus Hieronymum [e] & Auguſtinum [f], prouiſum id putat ad ſignificandum, oſſa Corporis Chriſti, ſanctos inquam Apoſtolos, non fore confringenda.

Quò ferè recidit S. Hilarius [g] cum ait, non confracta Chriſti oſſa, quia Eccleſiæ

a *in panopl parte* 1. *tit.* 7. *in fine.*
b *Dialo.* 3
c *mor. c.* 38.
d 24. *mor. c.* 30.
e *in pſal.* 21.
f *in pſalm.* 34.
g *in pſal.* 40.

cleſia ex oſſe formata, nō debuit oſſium fractione debilitari. Rupertus denique aliter interpretatus Chriſti virtutem oſſibus non confractis deſignatam; ait, non eſſe confracta oſſa Chriſti, quia diuinitas eius violari per mortem corpori illatam non potuit. [a] Hæc crurifragij non ſubeundi cauſæ in Chriſto viguerunt, non in Latronibus. *a in c 12. Exodi.*

Cauſa crurifragij Latronibus impacti hactenus propoſita, communis eſt grauibus pleríſque Doctoribus. Ex parte tamen, videtur falſum continere. Nam ſupplicium Chriſto & Latronibus illatum fuerat, non per Iudæos tanquam miniſtros vel Iudices, vt propterea oporteret deponi ab eis & ſepeliri ſub veſperam; ſed per Romanos: quod textus Euangelicæ narrationis apertè clamat, prodens clamores Iudæorum, apud Pilatum inſonantium illa ſimulationis ac furoris plena, *nobis non licet interficere quenquam:* Vt nimirum Chriſtus, Romanam ſententiam ac pœnam crucis ſubiret, ipſique innoxij viderentur. Quamuis itaque renitentem Pilatum, ad monſtrum illud iniuſtitiæ perpulerint; tamen

neque damnarũt ipſi Chriſtum ea damnatione qua proximè periit, neque dãnationis ſententiam ſunt executi: ſed vt non contaminarentur, poſſéntque Paſchalibus cibis veſci, nitentes Iudaica puritate externam ſpeciem non tranſcendente, iudicij formam omnem, & ſupplicij irrogationem, Romanis permiſerunt; ſatis ſibi rabiem ſuam expleſſe viſi, quod ab inuito Præſide extorſiſſent agni innocẽtiſſimi truculentam necem, eiúſque turpitudinem cumulaſſent acceſſione ſupplicij Latronum per Pilatum: ſiue caſu, ſiue in Iudæorum id poſtulantium gratiam facta. Quare non vrgebat Iudæos in hoc euentu, lex illa Deuteronomij, vt rectè vidit Simon de Caſſia.[a] Romanos autem qui ſupplicium edixerant & irrogauerant, multo minus vrgebat. Non igitur ea ex cauſa crurifragium Latronibus illatum eſt, ac mors maturata.

[a] *de Chriſti geſtis l. 13. c. 24.*

4. Germana itaque cauſa ea eſt, quam attigit Ioannes. *Iudæi ergo* (inquit) *quoniam paraſceue erat, vt non remanerent in cruce corpora Sabatho, (erat enim magnus dies ille Sabathi) rogauerunt Pilatum, vt*

frange

frangerentur eorum crura, & tollerentur. Senſus eſt, diem illum quo Chriſtus Dominus cum Latronibus crucifixus eſt, fuiſſe diem immediatè præuium magno diei Sabathi, eiúſque præparationem: quatenus ſcilicet eo die, licet tunc Paſchali ac prima azymorum, præparabantur neceſſaria ad ſequens Sabathum, quo feriandum planè erat ritu Hebræo. Nam licuiſſe in Paſchatis feſto, & omnibus aliis dempto Sabatho, parare cibos; apertè dicitur Exo. 12. ſimilitérque licebat eo die opera pietatis exercere, v. g. ſepelire mortuos, & ad id neceſſaria emere ac parare. Magnum porrò vocatur Sabathum illud, quod non modò Sabathi dignitate collucerét, quæ per ſe maxima erat, ſed etiam inter dies azimorum ſiue Paſchales caderet. Ne igitur aliquid de tantæ feſtiuitatis maieſtate ac ſplendore decederet, ſi Romano more cadauera in crucibus per eum diem expoſita relinquerentur, id quod etiam facere poterat ad acuendam verſatilis plebis inuidiam; commutato ergaChriſtum affectu ex recordatione curationum, aliorúmque beneficiorum; viſum eſt Iu-

dæorum primoribus, rogare Pilatum vt crucifixorum corpora tolli iuberet, præmiſſa ad mortem maturandam crurium confractione, quod & impetrarunt.

5. Quia verò feſtiuitas Sabathi vt habetur ex Leuitico, [a] initiũ ducebat à veſpera diei pręcedẽtis, inde infertur, petitionẽ Iudæorum de cõfringendis cruribus nõ fuiſſe diu dilatam, ſed paulo poſt Chriſti mortem, quæ hora nona contigit, interpoſitam fuiſſe: vt ſub illius diei veſperam, aut Solis occaſum auſpicanti ſolemnitati ſuum decus remaneret. Quod autem Ioſephus[b] ſolemnitatem à nona diei pręcedentis inchoatã ait, accipiendum eſt de ſolemnitate & feſtiuitate tãtùm Eccleſiaſtica. Qua ratione nos quoque, ſolemnitatem diei ſequentis à primis veſperis inchoamus, indéque feſtum auſpicamur, Eccleſiaſticè (vt ſic dicam) hoc eſt ratione officij, non per ceſſationem à ſeruilibus operibus. Similiter ergo Iudæi, horâ nonâ quâ Chriſtus obiit, nondum alligabantur præcepto Sabathi ſub occaſum Solis inchoandi; poterántque inſtantis ſolemni

a *cap. 23.*

b *l. 16 antiq. c. 10.*

ſolemnitatis religione propoſita,& Prætorem adire; & crurium confractionem ac depoſitionem cadauerum vrgere. Ac ſi libuiſſet, & per Romanos licuiſſet,ſalua lege Diuina de Sabathi feriatione, deponere cruciarios ac ſepelire potuiſſent. Diuina quippe illa lex,Iudæos non aſtringebat ante ſolis occaſum; quo primùm vacandum erat omnibus ſeruilibus operibus.Proptereáque S.Lucas[a] ait, [a] c.23.
pios illos Chriſti veſpillones, Nicodemum & Ioſephum, coactos Chriſtum in vicinum monumentum condere: Sanctas item fœminas,à piis in Sanctum corpus officiis abſtinere edoctas, quia paraſceue erat, & Sabathum illuceſcebat: id eſt,quia iam erat propè Solis occaſum, cum Chriſtus depoſitus eſt, atque adeò appetebat Sabathi ſolemnitas, eiúſque initium, quod erat in Solis occaſu, ſatis tunc propinquum. Et quia hæc pia Ioſephi & Nicodemi officia, ipſáque etiam ſepultura, veſperam feriæ ſextæ qua Sabathum illuceſcebat,anteceſſerunt,ſubſecuta autem ſunt confractionem crurium Latronis, æquè Chriſto deſtinatam, niſi inuentus fuiſſet exanimis (eam

enim conſecutionem piorũ officiorum, ſubſecutam facta iam in Latronibus confractione crurium, docet diſertè Ioannes, nec ſanè conceſſum Ioſepho petenti fuiſſet Chriſti Corpus, niſi crurium confractione præmiſſa, ſi neceſſaria fuiſſet ad eius mortem maturandam, ſicùt fuit neceſſaria ad maturandam Latronum mortem.) Propterea perſpicuum apparet, confractionem crurium, intra ſeſquihoram, aut ad ſummum binas horas, poſt inchoatam nonam qua Chriſtus obiit, fuiſſe mandatam executioni. Tantum enim temporis aſſignandum videtur; partim aditioni Pilati per Iudæos, mandatum cõfractionis crurium & depoſitionis corporum exoraturos in gratiam feſti appetentis, vt poſſent maturè deponi corpora nec in aliquod feſti probrum & funeſtationem penderent magno illo Sabatho: Partim in militum ac miniſtrorum qui confractionem executuri erant, aduocatione, & profectione in Caluariam. Eo certè ſpatio temporis detracto, quod ſuperfuit diei, iis officiis quæ in ſanctum Corpus à piis illis viris impenſa ſunt, neceſſarium fuiſſe, vt ex-

pleri

pleri poſſent ante veſperam, qua Sabachi & neceſſariæ quietis initium erat, nemo non videt.

Porrò ex confractione oſſium S. Latronis, infert S. Gregorius [a] ad illud Iobi, *omnia oſſa eius marceſſere facit*, quis ſit germanus ſenſus illorum pſaltis verborum de iuſtis, *cuſtodit Dominus oſſa eorum, vnum ex his non conteretur.* Nimirum id non de oſſibus corporis, ſed de viribus mentis accipiendum. [Oſſa (inquit) in ſcriptura ſacra virtutes accipimus: ſicut ſcriptum eſt: *Dominus cuſtodit omnia oſſa eorum, vnum ex eis non conteretur.* Quod vtique nō de oſſibus corporis, ſed de viribus dicitur mentis. Nam certè nouimus quòd & multorum martyrum corporaliter oſſa confracta ſunt, & perſecutores Domini, Latronis illius cui dictum eſt: *Hodie mecum eris in Paradiſo*; ſicut Latronis alterius, in Cruce crura fregerunt.]

a 23. mor c. 24.

6. Crurifragium S. Latro, inſigni patientia, & iuſtorum Dei iudiciorum, ſuæque indignitatis confeſſione excepit, & inter eam carnificinam fide ſplendidiùs ſemper ac ſplendidiùs in eius intellectu

micante, quanto poterat animi niſu poſt Chriſtum & promiſſum Paradiſum ſuſpirans, & incenſiſſimos charitatis actus vibrans in cœlum, carnificibus benignè precatus, tandem Domini morientis extrema verba vſurpans, ac in manus eius ſpiritum ſuum commendans, placidiſſimè expirauit. Adhibebo hoc loco plagulam ex Nazianzeno, [a] de Cypriano quondam mago, tandem Chriſti martyre, quam Latroni noſtro in pari cauſa aptare placet. [Multis tormentis hanc coronidem imponit. Sic Chriſto offertur, ſic ad Chriſtum migrat, ille magnus in impietate, maior autem in pietate, &c. Non minus ob vitæ mutationem, quam ob virtutem admirandus. Neque enim tam amplum & præclarum eſt, boni formam & ſimulachrum conſeruaſſe, quam mutata vitæ ratione animum ad pietatis ſtudium contuliſſe. Illud enim conſuetudinis eſt, hoc probi & prudentis conſilij; illud frequens ac vulgare, hoc rari omninò exempli. Quanti hoc exemplum fuerit apud pleróſque, eiuſdem præſertim cum Latrone inſtituti, aut inſignes peccatores, infrà teſtatum dabo ſigna

a orat. 18.

ſignatis illuſtribus quorundam conuerſionibus. Nunc ſubit cum Eucherio [a] exclamare. [Quantum agit in ſpe ſalutis humanæ magnitudo fidei, & altitudo diuitiarum miſericordiæ Dei? Ecce hominem ſceleribus inuolutum, pœna miſit ad innocentiam, & offenſa ad gloriam. Quem ſalutis culpa perdiderat, perditio inuenit, cruciatus abſoluit, damnatio conſecrauit.] Hæc & alia plurima eo loco Eucherius, tandem concludens, hunc nondum diſcipulum, & iam magiſtrum, atque ex Latrone confeſſorem, glorioſa voce confeſſionis præſentis, temperaſſe cruciatus, quod à ſe additum ait Eucherius, quia [& ſi pœna cœperit in Latrone, nouo genere conſummatur in martyre.]

[a] *homil. de la rone.*

7. Ingerunt hæc Eucherij extrema verba, dubitationem de S. Latronis cruciatibus per martyrium conſummatis. Eucherius enim ſignificat, confeſſionem Chriſti effeciſſe, vt pœna Latroni iam cœpta irrogari tanquam Latroni, conſummaretur in eo vt in Chriſti teſte, quod videtur aſtipulari ſententiæ de boni Latronis vero martyrio, quam expli-

catiùs tradiderunt aliqui, inter quos Bened.Fernandius[a] & Carthagena.[b] Huius verba ſunt[milites quando Latronis crura fregerunt,id non ſolùm effeciſſe,quia ita moris erat crucifixos hoc ſupplicij genere antequàm morerentur afficere, ſed ſimul etiam ex odio in Chriſtum, quia viderantLatronem eum coluiſſe,& tanquam Regem cœli & terræ confeſſum fuiſſe.] Vnde concludit idem author non iam cum vacillatione aliqua aut ſuppoſitione , quam præferebant nonnulla anteriora verba, ſed abſolutè, [Hæc ergo ſuſtinens Latro illata tormenta propter egregiam & præclaram quam de Chriſto protulerat confeſſionem, non dubitarim illum cum D. Cypriano martyrem vocitare] Subſcribit, laudato, imò propè verbatim exſcripto Chartagena,Corenus[c]. Eandem cauſam S. Latronis inter martyres recẽſiti à quibuſdam Patribus, profert (quamuis ſub dubitatione,) Henriques [d] cui ſubſcribit Bonaci..[e] Quanquam hic inſinuat alium modum quo S. Latro videri poſſit martyr ; ob acceleratam ſcilicet ipſi mortem in odium Chriſti. Nimirum

quia

a *in c.40. Geneſ. ſ 2. v.10. & 11.*

b *l.11.de Chriſto homil 3.*

c *l.1.de patien.c. 21.*

d *l.1.de pœn.c.14. n.2. littera K.*

e *diſp 2.de ſacr.q.1.p. 2.*

quia non ita citò fuiſſet abreptus ad ſupplicium, niſi cauſa conciliandæ Chriſto ea ſocietate infamiæ, impuliſſet Iudæos. S.Bonauentura [a] aliò recurrit, nempe ad patientiſſimè exceptam mortem à Latrone iam iuſto. Id enim ad Latronis ſancti martyrium, putat ſufficere.

a Serm 2. de plur. martyr & 3 pa 322 & in 4.d. 4.dub.1.

8. Patres, martyrem vocantes Latronem, præter Eucherium iam allegatum, proferre in primis poſſumus; Cyprianũ [b] quatenus Latronem ſanguine ſuo baptizatum & paſſione ſanctificatum tradit, eúmque profert in exemplum ſuppleti in martyribus quibuſdam adhuc Cathecumenis baptiſmi. Sic enim de his Cathecumenis ſcribit. [Sciant eos non priuari baptiſmi ſacramento, vtpote qui baptizentur glorioſiſſimo & maximo ſanguinis baptiſmo, de quo & Dominus dicebat, habere ſe aliud baptiſma baptizari. Sanguine autem ſuo baptizatos, & paſſione ſanctificatos, conſummari, & diuinæ pollicitationis gratiam conſequi, declarat in Euangelio idem Dominus, quando ad Latronem in ipſa paſſione credentem & confitentem loquitur, & quod ſecum futurus ſit in paradiſo pollicetur. Idem

b epiſt.73. n.74.

Idem affirmat Autor antiquus libri de operibus Chriſti cardin. Cypriano adſcripti, [a] ſic ſcribens de Latrone. [Latrocinij damnationem meruerat & ſupplicium, ſed cor contritum, pœnam mutauit in martyrium, & ſanguinem in baptiſmum.]

a Serm. de Cœna Domini.

Et alibi [b] ſic de Ægyptiis & Pentapolitanis ſubuerſis [ſi in eiſdem ſubuerſionibus gemerent pœnitentes, temporali pœnæ æternalis non ſuccederet pœna; ſed eſſet eis pro remedio ſupplicium, & pro abſolutione tormentum, nec contritos corde æternum contereret, & aggrauaret iudicium. Sic in Cruce Latro confitens, non tantum indulgētiam meruit, ſed Chriſti familiaris effectus, præmiſſus eſt in Paradiſum; & factus eſt particeps Regni, per confeſſionem factus Collega Martyrij.]. Hæc duca non profero tanquam Cypriani, nec ad ea reſpexit S. Auguſtinus hanc ſententiam de Latrone martyre ex S. Cypriano referens [c] ſi enim opus illud de operibus Chriſti cardinalibus agnouiſſet Auguſtinus tam quam Cypriani non omiſiſſet in cauſa de hæretico, miniſtro idoneo baptiſmi

b Serm. de paſſ. Domini.

c l. 1. de orig. animæ c. 9. & l. 4. de bap. contra Donatiſtas c. 23. & aliquoties alibi.

profer

proferre illuſtrem ex eo opere locum [a], quo veritas Catholica apertiſſimè tra- ditur nec fuiſſet tantopere ſudandum Auguſtino, vt obiectum à Donatiſtis D. Cypriani authoritatem declinaret. Eo namque adactus tandem eſt confugere, vt diceret, Cyprianum martyrij falce eum næuum exſecuiſſe; in dubio argumento alterius eſſe opus illud quàm Cypriani: quod etiam ſtyli diuerſitas, & alia ſcriptionis forma clamat. Nã Cyprianus iudice Hieronymo, [b] inſtar fontis puriſſimi dulcis incedit & placidus: At hic author perpetuò tumet, & ſemper attollitur. Legi qui illud Lucio Papæ ſub ea tempora florenti adſcriberet. [c] Sed ad rem.

a ſerm. de bap Chriſ. & ſerm. de paſſ.

b epiſt. 13.

c Robertus Furnierius orat. de Chriſto circumciſo habita in Conc. Trid anno 1562.

9. Alij præterea Patres, Latronis ſancti martyrio aſtipulautur vt S. Hieronymus ſic ſcribens. [d] [Latro crucem mutat paradiſo, & facit homicidij pœnam martyrium.] Et [e] alibi [Chriſtus in paradiſum de cruce Latronem intulit, & ne quis aliquando ſeram conuerſionem putaret, fecit homicidij pœnam martyrium.] Præiuerat S. Hilarius [f] [hominis filius, loquens in terris manet, & in cœlo, marty-

d epiſt. 13.

e epiſt. 58.

f l 1 de Trinit.

ri ſuo paradiſum promittens.] Agit de Latrone; & facta ei à Chriſto promiſſione paradiſi. Et pulcherrimè ad illud Pſal. 65 *boues cum hircis.* [Non ſolùm autem arietes cum incẽſo offeruntur, ſed etiam boues offeruntur: Id eſt, contumacis naturæ pecora in culturam Dei mitigantur, in hoc martyrium Chriſti nominis doctrinis Apoſtolicis edomita. In hoc autem quod dicitur, *offeram tibi boues cum hircis*; virtutem verbi ex Hebræo in Græcum demutati Latinus ſermo non tenuit. Nam quod nobiſcum eſt, *offeram tibi boues cum hircis*: cum illis ita habetur; ἀνοίσω σοι βόας μετὰ χιμάρων. Cùm Græcis non proprium, ſed appellatiuum, nomen hircorum eſt, & eorum maximè qui in ipſo hyemis tempore editi ſunt: & ſcriptura hoc in loco tantum χιμάρρους nuncupauit cæteris autem locis quos nos hircos dicimus, τράγους poſuit. Confirmat autem ſpiritalis intelligentiæ ſenſum, aliorum conſonans ſibi & concors tranſlatio: qui pro χιμάρρους, τράγους tranſtulerunt, τράγοι enim ſignificantur, qui ex ipſo tempore editi ſunt. χιμάρροι autem quos hyems genuit. Vnde & torrẽtes eodem vocabulo Græ-

citas

citas nuncupat, quos ex nihilo in fluuios hyems auxerit. Ergo cum ait βόας, non de pecudibus ſe loqui propheticus ſermo demonſtrat, ſed in bubus, Eccleſię ſe homines oſtendere. χειμάρρους autem, eos quos ipſa perſecutionis tempeſtas ad martyrij gloriam genuerit. Scimus enim plures Sacramentorũ Diuinorum ignaros, exemplo Martyrum ad martyrium cucurriſſe: & extra ſcientiam fidei, aut viuentis facto fidei præſentis edoctos, ipſam illam conſummatæ in martyrio fidei gloriam conſecutos. Qualis fuit ille qui Dominum in ipſa ſua damnatione confeſſus eſt, dicens. *Memento mei, Domine, cùm veneris in regnum tuum.* Qui mox tale martyrij huius à Domino munus accepit: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo.*]

Baſilius Seleucia,[a] tractans illud, *non eſt meum dare vobis*, & oſtendens pręmia cœleſtia dari tantùm iis qui præuenti adiutíque diuinitùs, ſtrenuè collaborarint gratiæ ſubminiſtratæ, addit; [Neque enim Patris eſt, temerè gratíſque talia largiri. Propterea martyrium perferenti, regnum concedo. Hodie mecum eris in paradi- a *orat.* 24.

paradi

paradiſo. Viſo námque animi deſiderio, dona præbeo.]

a *l. de paſſ. Dom Sacram.* Drogo Oſtienſis Epiſcopus [a] [ô beatiſſimum Latronem. Immò non Latronem, ſed Martyrem, & Confeſſorem: neceſſitatem enim vertit in voluntatem, & pœnam commutauit in gloriam, & crucem in triumphum, in te beatiſſime Confeſſor Martyr, de totius mundi ſterilitate, fidei reliquias colligit Chriſtus.]

b *l. de ſent. Dei qui eſt carminum 3. in fine.* Alcimus Auitus, [b] agens de S.Latrone.

Martyrium de morte rapit, cui fine ſagaci,
Prouida cura fuit tales non perdere pœnas,
Præripuítque aditum moriens, cælóque leuandus,
Ardua ſublimi tenuit compendia ſaltu.

c *alloquio cæleſti 30* S. Anſelmus [c] Chriſtum alloquens, agénſque de S.Latrone. [Venerabilis ille Confeſſor, & glorioſus Martyr, tecum fuit per totum illud hodie.]

d *ſerm. 10.* Gaufridus Vindoc. [d] [Latro Confeſſor ex Latrone efficitur, & Martyr ex Cõfeſſore, & tormenta quæ priùs in Latrone cœperant, nouam gratiæ coronam & præmium martyris ſortiuntur.] Iterat eundem titulum aliquoties eodem ſermone

mone. Ex his ergo Patrum teſtimoniis, effici videtur, Latronem ſanctum obiiſſe martyrem.

10. Vt liquidò ac ſolidè diſſoluatur hæc difficultas, breuiter præmitto, de ratione martyrij preſsè ac propriè accepti, eſſe, vt qui martyr dicitur, mortem ex motiuo de quo poſtea, reipſa perpeſſus ſit, vel ſaltem exceperit lethalia incommoda ex quibus mors ſecutura omnino fuiſſet, niſi Deus ſupra naturæ ordinem operans obſtitiſſet. Quo pacto S. Ioannes Euangeliſta, quia iuxta Chriſti prænunciationem calicem lethiferum bibit, à S. Auguſtino [a] martyr vocatur. Aliud enim eſt iuxta S. Cyprianum [b] martyrio animum deeſſe, aliud animo defuiſſe martyrium. [Nec enim Deus ſanguinem noſtrum, ſed fidem quærit.] Non dico vt quis cenſeatur martyr, ſufficere martyrij deſiderium, & voluntatem eius internam. Exigitur enim exterior perpeſſio, qua ſecluſa non modò accidentale martyris præmium, ſiue aureola negatur, (vt cenſuit Vaſques, [c] annuens de gratia & pręmio eſſentiali quod martyri rependitur: Nimirum quia nullam agnoſcit gra-

[a] *l de bono coniugali. c* 21.

[b] *epiſt* 9. & 37: *ac* 58 & *l de mort ſub fin* & *l. de exhort. martyr c.* 12. *ſub finem.*

[c] *c* 12. *d.* 76. *n* 12.

tiam martyri reponi niſi ex opere operantis:) ſed etiam illa gratiæ menſura quæ datur ex priuilegio, quaſi ex opere operato ſupra quantitatem operi operantis reſpondentem. Neque verò quælibet mortis perpeſſio ſufficit ad martyrium, ſed neceſſe eſt eam inferri intuitu veritatis alicuius reuelatæ: nimirum vel in eius odium, vel ob eius defenſionem, aut executionem. Si enim Tyrannus cœteroqui hoſtis Chriſtianorum, mortem alicui inferat ob prædam, vel ex occidendi mera libidine, non erit martyr qui ſic exceperit mortem. Ideóque Epiſcopi Orientales nixi doctrina S. Baſilij, obſtiterunt Phocæ Imperatori, tentanti perficere, vt milites omnes qui in bello aduerſus infideles cecidiſſent, annumerarentur martyribus, vt ſcribit Balſamon.[a] Præter defectum enim mortis acceptatæ, & interpoſitam reſiſtentiam mortem inferentibus, interueniebat etiam næuus ille, quod cum infidelibus alia ſæpè ex cauſa pugnetur, ipſique alia ex cauſa mortem plerumque inferant, quàm ob reuelatam aliquam veritatem: quæ tamen, vt dixi, eſt de ratione obiecti martyrio cauſam dantis.

[a] *ad canonem 13. S. Baſilij.*

Quod intelligens Lanfrancus, vt eſt apud Edinerum in Anſelmo, [a] dubitauit de S.Elphegi martyrio, quod referretur occiſus ob recuſatum ingens litrum quod expoſcebatur à Sicariis. Et verè dicendum eſſet non fuiſſe martyrem, ſi purè ne aurum perderet, fuiſſet occiſus. Annumeratus tamen meritò eſt ſanctis martyribus, quod non ob negatum præciſè litrum vitam amiſiſſet, ſed ne tãtam ſummam ſubditorum ſpoliatione, contra iuſtitiam per Chriſtum reuelatam, corradere cogeretur, vt philoſophatum eſſe S.Anſelmum refert Edinerus: itémque vt obſiſteret Eccleſiæ ſuæ vaſtatoribus, eóſque ab infidelitate conuerſos, à multis quoque ſceleribus auerteret, vt Edinerus addidit. Sanè ex ſenſu Eccleſiæ, martyrium ſemper ad mortem aliqua huiuſmodi ex cauſa reuelatam veritatem inuoluente exceptam, reſtrictum eſt: falſóque Ammianus Marcellinus, [b] homo Ethnicus, effutiuit apud Chriſtianos in martyrum album referri ſolitos, quos occidi iniuſtè contigiſſet: cum tamen conſtet ſemper in Eccleſia viguiſſe ſenſum illum, vt quis ſit verè martyr, ne-

a *ſub finem libri primi.*

b *l.27.*

ceſſariam eſſe perpeſſionem mortis ex alicuius veritatis reuelatæ odio, vel ob eius defenſionem, aut executionem.

11. Ita ſemper explico cauſam mortis vero martyri irrogatæ: nec me reſtringo ad cauſam martyrij maximè vulgarem, qua ſcilicet mors infertur alicui, eo quod in Idololatriam eiúſve, germanam hæreſim nolit conſentire. Quia quamuis ea martyrij cauſa ſit maximè illuſtris, tamen aliæ præterea ſunt veri martyrij cauſæ in Eccleſia probatæ. Nã ſi mori pro Chriſti fide non abneganda, pretioſum eſt, & ad martyrij decus pertinet, quidni etiam mori pro tenenda vel amplificanda charitate, quæ virtus eſt longè altior? Idem argumentum duci poteſt ex aſſertione & ſtudio pudicitiæ, vnde S. Ioannis Baptiſtæ martyrium obtigit: Sanè mori ne ſcindatur vnitas Eccleſiæ, ſatis ſupérque eſt ad martyrium, vt ſępè inculcat S. Auguſtinus. Imò Dionyſius Alexand. apud Euſebium [a] illud præfert martyrio, quod quis ſubit detrectans idolis ſacrificare: Sic, contundi inter diuellendum eos qui rixantur, partem martyrij vocat S. Chryſoſtomus, plenum

a *6. hiſtor. c. 35.*

plenum haud dubiè martyrium admiſſurus, ſi mors inferretur homini Chriſtianam pacem inferre, & damni irrogationem Chriſti lege vetitam, impedire ſatagenti. Sic mori propter dilectionem, & alterius fieri ſeruatorem ſuſtinendo propter alium, Chriſti imitatione, qui cùm eſſet vita, propter nos pati voluit, vt eius paſſione viueremus, martyrij occaſionem ac genus eſſe agnoſcit Clemens Alexand.[a] Sic denique in Romano martyrologio, [b] adſcripti leguntur martyrum titulo Sancti Presbyteri, & Diaconi, aliíque Chriſtiani Alexandrini, qui in exercitio Chriſtianæ charitatis ſponte ſuſcepto, mortem obiiſſent, iuuando peſte attactos.

a 4. *ſtromat. c.5.* in fine.

b 28. *Feb*

Hos ego in omni rigore Theologico martyres cenſendos, nullo modo ambigo. Cùm enim de ratione martyrij propriè ac preſsè dicti, tantùm ſit, vt mors propter veritatis reuelatæ teſtificationem aut exercitationem voluntariè ſubeatur; conſtétque qui mortem iuuandis ægris hoc modo oppetunt, ad præbendam in actu exercitto veriatem honeſtatis in ęgrorum ſubuentione per Chri-

ſtum reuelatæ, morte defungi; Et vt eam teſtificationem in actu ſignato non intenderent, re ipſa tamen ob illud charitatis Chriſtianæ exercitium vita excedere, eóque pacto reuelatam illam honeſtatem teſtificari, quod ad S. Ioannis Baptiſtę verum martyrium abundè fuit: Nihil in his de quibus agimus, deſiderari ad martyrij veritatem poteſt, niſi quod mors eis ab alio non videatur inferri. Sed hoc eſt in iſtis maioris generoſitatis argumentum, quod alácriter induant ſe in certum diſcrimen, & mortem quantum in ipſis eſt, laceſſant. Nam etiam Sanctorum martyrum nonnulli, qui vltrò in ignes, aut flumina inſiluerunt, martyrij prærogatiua non exciderunt. Idem porrò Spiritus ſanctus qui illos ad huiuſmodi generoſam mortis deſpectionem impulit, hos quoque impellit, vt in mortis cauſas ſponte & lubentes irruant. Præterquàm quod verè mors eis ab externa cauſa infertur, nempe ab ægris quos ſubleuant. Quod verò non inferatur ex odio veritatis reuelatæ; ſed quod ad ægros attinet, caſu ac omnino contra mentem, opitulatoribus ſuis noceāt, pa-

rum refert: neque enim Deus ad exornandos martyrij decore athletas ſuos, malignitatem hoſtium ſuorum attendit, ſed ſeruorum ſuorum affectum, & motiuum ex quo mortem ſubeunt, quod in iſtis, eſt germaniſſimum martyrij motiuum. Atque ita exiſtimo, eis & aureolam, & gratiam martyrio quaſi ex opere operato reſpondētem, non negari quod iuſto volumine comprobatum, vltra non vrgeo. Et quia ibidē latè tota parte prima de martyrio improprio, & largè dicto, actū eſt, fruſtra hîc de his aliqua iterarem. Stat ſcriptio illa, ſtabítq; cum bono Deo. Nam nec Luna, quantiſuis canum oblatrationibus emouetur.

12. Ex his ad difficultatem propoſitam circa Latronis ſancti martyrium, expedita reſponſio ducitur; nimirum fuiſſe quidem illum patientiæ martyrem, & quocunque ex impropriè dictis martyrij generibus libuerit pretioſam eius mortem donare, quod omnium propè virtutum inſignia in eo eluxerint. Fuiſſe item quod vox martyris ſonat, admitto, hoc eſt, teſtem Chriſti, eiúſque diuinitatis profeſſorem. Martyrem ta-

men aio preſsè ac propriè non fuiſſe reipſa,&(vt ex ſcholæ vſu loquar)formaliter, ſed tantùm æquiualenter.Confirmo poſteriorem hanc partem pronunciati mei,nam prior per ſe liquet ex declaratis ſuperiùs tot ſancti Latronis virtutibus ad miraculum eximiis, nominatímque patientia, cui ſpeciali iure decus ſimilitudinarij martyrij tributum conſtat, ob proditum in eius exercitio infractum animi robur,& inconcuſſam aduerſis rebus firmitatem. Adde etiam fortitudinem qua libertimè Chriſtum Deum teſtificatus eſt, quod etiam martyres faciunt. Et idcircò à S.Athanaſio,[a] Latro *martyrum imitator* agnominatur.

a Serm in paraſc.

Quod ergo in poſteriore illa pronunciati parte primùm dico, nempe non fuiſſe Latronem ſanctum verè ac reipſa martyrem, aſſeritur à S. Antonino[b] & à S.Bonauentura,[c] confirmatúmque manet ex dictis de germana ratione martyrij, quæ nullo modo in S. Latronis mortem cadit. Neque enim mors illa irrogata eſt in veritatis alicuius reuelatæ odiũ, vel ob eius executionem, aut defenſionem à Latrone ſuſceptam; ſed vt ipſemet

b 3. p. tit. 31. c. 9 § 1.

c in 4 d. 4. n. 39. circa iteram.

met verè dixit, iuſtè plexus eſt, & digna factis recepit. Qui verò crurifragium S. Latroni illatum, odio celebrati per eum Chriſti diuinant, dum ad vulgi ſenſum ac plauſum potiùs, quàm ſolidè Euangelium tractant, non aduertunt quàm non ſatis cohærentia vel etiam inepta proferant. Crurifragium námque, nō plus vni Latroni quàm alteri decretum eſt, & illatum: Nec alia ex cauſa quàm ad mortem maturandam, vt cadauera poſſent ſepulturæ mandari ante exordium Sabbathi magni, cuius contaminationi per eam ſuſpendioſorum inſepultorum expoſitionem timebant. Hanc vnam crurifragij cauſam Euangeliſtæ omnibúſque retrò Doctoribus compertam habemus. Aliam quiſquis adijcit, & vel cruciatus aliquod ſuperpondium, in odium celebrati Chriſti, vel illius vtrique communis ſupplicij cauſam aliam comminiſcitur, coniectorem ſe vanum prodit, non Latronem martyrem probat.

13. Imò quamuis verum eſſet, illud ipſum crurifragium quod ad mortem accelerandum irrogatum diffiteri non licet, fuiſſe ſimul ex odio Chriſti cele-

brati illatum, non plus liceret concludere martyris prærogatiuam Latroni concedendam, quàm concederetur ſicario Chriſtiano, quem Turca neci addiceret, eam ob cauſam principaliter ac primariò, quod ſicarius eſſet, accedente tamen inſuper tanquam cauſa impulſiua, odio Chriſtianitatis quam profeſſus eſſet ſicarius. Ac ne ſi ex æquo quidem intelligantur concurrere cauſæ illæ, cenſendum eſſet, verum Chriſtianum martyrium interuenire. Quod vt perſpiciatur, aduerto præter coniugationem cauſarum illarum proximè propoſitam, qua duæ illæ cauſæ inferendi cruciatum aut mortem, poſſunt coniungi, nimirum qua mortis acceleratio eſt primaria, altera impulſiua dumtaxat; poſſe cogitari earundem concomitantiam, tanquam cauſatum ęquè primò interuenientium, ſiue totaliter, ſiue partialiter. Totaliter quidem, ſi cauſa cruciatum aut mortem inferendi, eſſet vtraque illarum ſeorſum, ita vt ſecluſa altera & ſolo præſenti alterutrius influxu interueniente, æquè inferretur, quamuis per accidens comitentur ſibi inuicem, & actio ex vtroque

motiuo

motiuo ſuſcipiatur. Partialiter verò, ſi neutrius cauſæ præſens influxus ſolitariè ſpectatus, idoneus eſſet ad permouendam inferentis voluntatem; ex vtraque tamen adunata vnum conflaretur motiuum ſufficiens. Vtrouis ergo ex his modis interuentum cauſarum illarum imaginaremur, necdum tamen haberetur germana & vera martyrij ratio, quæ purè eo quod ſuprà deſcripſi motiuo niti debet: vel ſi quid extraneum admiſcetur, ad ſummum neceſſe eſt habeat rationem cauſæ impulſiuæ, ſine qua res æquè foret quamuis nō æquè expeditè. Alioqui enim perſpicuum eſt, martyrij decus non infuſcari tantùm, ſed planè obtenebrari: neque fas fore arrogare ei qui ſic obierit mortis pro Chriſto obitæ laudem, cum æquè pro ſcelere irrogatam, ſit exprobrandum. Ex quibus confutata præterea manet diuinatio eorum qui acceleratam Latroni mortem aiebant, ad affundendam Chriſto ignominiam ex ſocietate eius in ſupplicio. Quamuis enim verè res ita geſta eſſet, nec id à Pilato ſolo factum caſu foret, liquet ex dictis id non ſuffecturum ad

marty

martyrium preſsè & propriè dictum, de quo agimus.

14. Non fuit igitur S. Latro martyr, verè, & vt aiebam formaliter: idque diſertè fatetur S. Auguſtinus, agens cum Donatiſtis [a] [Baptiſmi ſanè vicem (inquit) aliquando implere paſſionem, de Latrone illo, cui non baptizato dictum eſt, *hodie mecum eris in paradiſo*, non leue documentum idem Beatus Cyprianus aſſumit. Quod etiam atque etiam conſiderans, inuenio, non tantùm paſſionem pro nomine Chriſti id quod ex baptiſmo deerat poſſe ſupplere, ſed etiam fidem conuerſionémque cordis, ſi fortè ad celebrandum myſterium baptiſmi in anguſtiis temporum ſuccurri non poteſt. Neque enim Latro ille pro nomine Chriſti crucifixus eſt, ſed pro meritis facinorum ſuorum: Nec quia credidit paſſus eſt, ſed dum patitur, credidit. Quantum itaque valeat, etiam ſine viſibili ſacramento Baptiſmi, quod ait Apoſtolus, *Corde creditur ad iuſtitiã, ore autem confeſſio fit ad ſalutem:* in illo Latrone declaratum eſt,] Quod in prioribus huius loci verbis ait, paſſionem poſſe ſupplere martyrium,

a l. 4 de bapt. c. 22.

tyrum, ídque à Diuo Cypriano ex Latronis exemplo illatum, retractat hunc ipſum locum,recognoſcens[a]. Perſtat tamen quod ex ſua mente hîc protulit, tanquam à ſe etiam atque etiam id conſiderante animaduerſum; nempe quod Latronis ſanctificatio, viuæ eius fidei,ac perfectæ conuerſioni tribuenda ſit, non paſſioni, quæ à laude martyrij tantum abfuit, quantum iuſta pœna Latronis, à crudeli erga innoxiũ carnificina, quamuis cum pateretur crediderit, & ita crediderit, *vt inuenta in eo ſit menſura martyris:* verba ſunt S.Auguſtini [b]. [Tanto namq; pondere,(vt idem rectè addit)appenſum eſt,tantúmq; valuit apud eũ qui hæc nouit appendere, quod confeſſus eſt Dominum crucifixum, quantum ſi fuiſſet pro Domino crucifixus.] Rurſúſque paulò poſt. [Et hoc quidem oculis Domini clarum fuit, qui non baptizato tanquam martyrij ſanguine abluto, tantam fœlicitatem ſtatim contulit.] Vtique non iure martyrij, ſed iure conuerſionis perfectæ, quæ fuit tam probæ notæ, vt illicò beandum effecerit perinde ac ſi tum primùm ritè ablutus,exceſſiſſet è vita,

a 2 *retrac. c.18.*

b *l.1. de orig. an ma c.9.*

è vita, quod eſt aliquatenus æquiualere martyrio quoad vim conciliandæ ſubitò gloriæ eſſentialis, nec in minori quantitate quam per martyrium concilietur, cum vel à paruulo quid ſubeat ignaro, vel ab adulto ex minori actu virtutis ſuſcipitur, ita vt gratia ex opere operantis & ex martyrij priuilegio rependenda, non ſuperet gratiam ſoli conuerſioni iſti collatam, quæ exæquatio facillimè poteſt accidere. Hac interpretatione, S Augnſtinus benignè exponit dictum S. Cypriani, affirmantis S. Latronem fuiſſe in ſuo ſanguine baptizatum. Nec diſſimiliter locum Hieronymi ſupra allegatum exponit Gloſſa,[a] & Viualdus[b].

a de pœnit diſt. 1. cap. importuna.

b l de vita contrit. c. 116.

Ingreſſus animæ Latronis in paradiſum, ex Chriſti oraculo: Quid eiuſdem corpore & cruce factum.

Caput XIII.

Disrupta eſt per mortem vitta aurea (vt Eccleſiaſtes appellat) ſancti Latronis corpus & animam

mam colligans. Nunc quid vtríſque ſeorſim poſitis acciderit: hoc eſt, quis vtrique ſtatus & locus obuenerit, veſtigandum.

Et animæ quidem ſtatum ſi quæras, dicendum eſt, eam iuxta Chriſti promiſſum ingreſſam eſſe paradiſum: hoc eſt iuxta promiſſionis interpretationem ſupra datam, conſecutam eſſe fœlicitatem eſſentialem. Quodcunque enim dixerimus illud eſſe quod eſſentialem beatitudinem conſtituit, hoc ipſum cum proprietatibus ſuis inſeparabilibus, adeptus Latro, dicitur ingreſſus eſſe paradiſum, vt ſatis ſupra expenſum eſt. Beatitudo autem eſſentialis, aut ſola clara Dei viſione, aut eadem, eiúſque inſeparabilibus adiunctis, continetur. Eámque beatitudinem adepta eſt Latronis anima, ne verbum Chriſti irritum abiret, quod aliter ſubſiſtere non poſſe, ſupra vidimus, benéque expendit Auguſtinus.[a] [Videamus (inquit) in cruce poſitus quid promiſit? *hodie* (inquit) *mecum eris in paradiſo*. Hodie (inquit) non poſt triduum, cum carnem meam de ſepulchri requie reſuſcitauero: non cum in me primicias

a *l. contra Fœlicem Arrianum c 25.*

futuræ

futuræ reſurrectionis oſtendero. Cuius putamus hæc vox eſt: Maieſtatis, mētis, aut corporis? Corpus autem in ſepulchro fuiſſe, nullus ignorat. Reſtat vt diuinitati, vel menti vox ita conueniat. Sed dicit aliquis: Deitatis hāc, non animæ Chriſti credimus vocem, Et quid in eo cui promittebatur accipimus? *Hodie,* inquit Latroni, *mecum eris in paradiſo,* cuius Corpus ad futuram reſurrectionem mors communis incluſit.] Anima igitur eſt, cui Dominus hoc promiſit, & præſtitit.]

2. Ex his confutata manet inepta Græcorum recentiorum ſententia, qui Latronem paradiſum, hoc eſt, dumtaxat arrhabonem regni Dei & beatitudinis accepiſſe docent, tandem beandum in die iudicij. Quod maximè confirmant eo ſancti Pauli teſtimonio, quo dixit ſcribens ad Hebræos, poſtquàm multos SS. Patres recenſuerat, eos non accepiſſe promiſſiones, ſed in gratiam noſtri dilatos eſſe, ne ſine nobis conſummarentur: perinde ac pater (inquit S. Chryſoſtomus) vrgenti cœnam filio qui domi moratur, porrigit aliquid quo ſe reficiat, in-

terim dum frater peregrè regrediatur, & ſimul cœnent. Et ita apertè de Latrone Euthymius [a] ad caput Lucæ 23. Vbi Theophilactus, plurimas Græcorum de hac re ſententias profert, tandem tamen concludens, Latronem non paradiſum modò aliquem à Dei regno diſtinctum, ſed ipſum quoque regnum Dei, quod à paradiſo ipſi promiſſo non ſecernitur, eſſe aſſecutum: ſed ibi collocatum, expectare diuinæ beatitudinis nulli adhuc Sanctorum repenſæ, adeptionem. Hæc illi de eo Græcorum errore quem dixi, memorátque & refellit S. Thomas [b], ac latè Bellarminus [c] antiquorum Græcorum primores laudans in hanc ſententiam [d]. Veritas autem Catholica, de omnibus animabus plenè purgatis aliud ſtatuit: nempe eas illicò à purgatione, vel ſi planè nitentes hinc excedant, illicò à diſſolutione vnionis cum corpore, frui Dei viſione, & beatas eſſe eſſentialiter, quamuis conſummatam, ex iterata animæ iam beatæ, & corporis rediuiui ac glorioſi conſociatione fœlicitatem, nec antiqui Patres obtinuerunt nec poſteriorum beatorum vllus, (demptis in-

a *c. ſuo 82 in Lucam*

b *opuſc. 6. c. 9*

c *l. de SS. beatitud. à c. 2.*

d *c. 4.*

frequentibus priuilegiis) aſſequetur, ante iudicij vltimi diem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non ſine nobis conſummarentur, vt Apoſtolus dixit à quo apertè deſciuerunt Manichæi, quos S. Chryſoſtomus [a] ex Latronis ingreſſu in paradiſum abſque corpore, intuliſſe refert, nullam fore corporum reſurrectionem, cum Latroni repoſita ſit promiſſa beatitudo abſque corpore. Sed conſideratum ab eis oportuerat, animas ſufficienter purgatas, aut nitentes, ita donari eſſentiali beatitudine, vt tamen abſque nobis non conſummentur, vt Apoſtolus dixit. Conſummabuntur autem, reſumpto corpore, ac ſuo modo in partem fœlicitatis aſcito.

a *ſerm 7. addit in Geneſ t. 2. Græcol. 926.*

3. Animæ beatitudinem, eo ipſo die quo Chriſtus obiit, adeptam eſſe Latronem dubitare non licet, ſuppoſito ſenſu verborum Chriſti ſupra poſito. Nec admitto quod Anaſtaſius [b] affirmauit, Latronem *non fuiſſe ea die beatum experientia, ſed ſententia.* Reuera enim ſententia experientiam inuehebat, quia ita ferebat Chriſti oraculum de Latronis beatitudine eo ipſo die danda. Itaque hoc ſuppo

b *q. 73. in ſcript.*

ſupponamus vt ratum. Tantùm interrogari & controuerti poteſt, an eam adeptus ſit illicò à morte, an vero paulò pòſt, intra exiguum illud tempus diei, quod ſuperfuit à morte Latronis, ad eius vſque diei clauſulam. Nam dummodò intra diem illum admittamus Latronem fuiſſe cum Christo in paradiſo, ſiue poſitum eſſe eſſentiali beatitudine, ſaluum erit verbum Chriſti: & alioqui multa ac magna per totam vitam ſcelera Latronis, videri poſsũt indiguiſſe purgatione aliqua per ignes emendatorios; Idque aſſerere, multo magis neceſſarium videtur, ſi verum eſt quod à nonnullis Patribus ſignificatur, omnes omnino animas, cum hinc excedunt tranſire per ignem oportere, vt quale opus earum ſit, igne probante manifeſtetur. Ita Origenes, [a] & venuſtiſſimè de More Eucherius [b] ſatis erit adducere verba Ambroſij. [c] Omnes oportet per ignem probari, quicumque ad paradiſum redire deſiderant. Non enim otioſè ſcriptum eſt quod eiectis Adam & Eua de paradiſi ſede, poſuit Deus in exitu paradiſi gladium igneum verſatilem. Omnes oportet

a homil. 3 in pſal 36. & homil 5 in Ezech.
b homil. 3 de Epiph. ſub finem.
c ſerm. 20. in pſalm 118 v 1.

tranſire per flammas, ſiue ille Ioannes Euangeliſta ſit, quem ita dilexit Dominus, vt de eo diceret ad Petrum: *ſic eum volo manere, quid ad te? tu me ſequere.* De morte eius aliqui dubitauerũt, de trãſitu per ignem, dubitare non poſſumus, quia in paradiſo eſt, nec ſeparatur à Chriſto: ſiue ille ſit Petrus qui claues accepit regni cœlorum, qui ſupra mare ambulauit, oportet dicat: *Tranſiuimus per ignem & aquam, & induxiſti nos in refrigerim.* Sed Ioanni citò verſabitur igneus gladius, quia non inuenitur in eo iniquitas, quem dilexit æquitas. Si quid in eo vitij humani fuit, charitas diuina decoxit. Alę enim eius ſicut alæ ignis. Qui habuerit hic charitatis ignẽ, illic ignem gladij timere non poterit. Ipſi Petro qui toties mortem ſuam pro Chriſto obtulit, dices, tranſi, recũbe, ſed ille dicet: *Igne nos exãminauit, ſicut examinatur argẽtum.* Etenim in quo aqua multa excludere nõ potuit charitatẽ, quomodò eam ignis excludet? Sed ille examinabitur vt argentum, ego examinabor vt plumbum, donec plumbum tabeſcat, ardebo, ſi nihil argenti in me inuentum fuerit, heu me in vltima inferni

ñi detrudar, aut vt ſtipula totus exurar. Si quid inuentum in me fuerit auri vel argenti, non per meos actus, ſed per miſericordiam & gratiam Chriſti, per Miniſterium Sacerdotij, dicam fortaſſe ego. *Etenim qui ſperant in te, non confundentur.* Illo igitur igneo gladio iniquitas exuretur, quæ ſedet ſuper talentum plumbeum. Ideò vnus ignem illum ſentire non potuit, qui eſt Iuſtitia Dei Chriſtus, quia peccatum non fecit. Nihil enim ignis in eo quod exurere poſſet, inuenit. Denique illi ſoli eleuatæ ſunt portæ æternales, vt intraret Rex gloriæ, non reus cauſæ.] En quomodo S.Ambroſius, omnes Chriſto dẽpto, tranſire per ignẽ debere cõfirmat, etiã eos qui primitias ſpiritus acceperũt, & aliquam ex naturæ vitio rubiginem igne Spiritus ſancti deterſerant: Quanto magis Latronem ſceleribus ad extremam vſque vitam innutritum? Videndus in eandem ſententiam idem Ambroſius, tractans illud,[a] *retribue ſeruo tuo viuifica me.* Et ad illud pſalmi 36. *gladius eorum intret in corda ipſorum.* item S.Baſilius[b] atque Lactantius.[c]

[a] *ſerm.3. in pſalm.* 118.*v.*1.
[b] *in cap* 4. *Iſaiæ.*
[c] 7. *inſtit. c.*21.

Ex altera tamen parte cum dona Dei

ſint perfecta,& Latronis conuerſio in eo fuerit perfectionis gradu,quem exhibuimus,admittendum videtur,eius animam nullius pœnæ reliquatricem hinc exceſſiſſe : atque adeò non adito Purgatorio ingreſſam eſſe Paradiſum. Et ita planè ſtatuere videtur EcKbertus, [a] ſi eius non nuda verba attendantur, ſed mens ac ſcopus. Probans enim contra Catharos, purgatorij veritatem, addit: [de Latrone mihi forſitan obiicitis, quod eadem die qua confeſſus eſt, in paradiſo fuerit cum Domino Ieſu. Ad quod ita reſpondemus : quia hoc ei ſpecialiter conceſſum eſt præ aliis pœnitentibus, propter admirabilem fidei eius virtutem, qua hominem quem vidit non habentem ſpeciem neque decorem, & quaſi nouiſſimum virorum, ignominioſæ morti traditum, credere potuit Deum eſſe, dicens: *Domine memento mei dum veneris in regnum tuum :* Quæ fides, vt arbitror, coram Diuino examine maioris meriti habita eſt, quàm multorum annorum grauis pœnitentia,]

[a] Serm. 9. aduerſus Catharos in fine.

4. In hac re, illud tantum eſt ex fide certum, quod ſuprà ex ſcriptura cõſtare dixi; nẽpe ſuppoſito eo paradiſi promiſſi

ſenſu quem tradidimus, obtigiſſe illum Latroni, ea ipſa die qua Chriſtus obiit. An verò dies ille reſtringendus ſit ad diem artificialem, ſiue ad Solis occaſum, an verò pertingat ad mediam vſque noctem, qui eſt dies naturalis, ambiguum eſſe poteſt. Fatetur ergo Suares,[a] quamuis contrarium ſit longè probabilius, ac ferè certum; tamen non poſſe erroris contra fidem inſimulari, cum qui diceret, Latronem fuiſſe per aliquot horas in Purgatorio, intra eum tamen diem naturalem fuiſſe beatum, & cum Chriſto, iuxta promiſſionem factam. Verùm qui de die artificiali locutum Chriſtum ambigeret, naturalem diem aliter quàm Hebræi conſtitueret, ſequeretúrque vſum noſtrum, qui diem naturalem, à media nocte, ad alteram conſequentem mediam noctem porrigimus: cum è contra Hebræi, diei naturalis fines ſtatuerent, vel anteriorem veſperam, & veſperam conſequentem, vt vult Sotus,[b] vel ortum Solis & alterius ſequentis ortum, vt contra Solum diſputat Ægidius[c]. Quæ cũ ita ſint, Chriſtus Dominus quẽ cõſtat cum Latrone, more & vſu Hebræorum de

a *3. p. q. 46. ad art. 11.*

b *in 4. d. q. 9. art. 4. §. 3. fundam.*

c *3 p. q. 74. n. 60.*

die collocutum, ſiue diem artificialem ac vſualem ſiue naturalem intellexiſſe dicatur, omninò ſignificare voluit animam Latronis, intra illius diei artificialis quo loquebatur veſperam poſteriorem, beatitudine fruituram. Ac proinde cum ſub veſperam illam Latro obierit, ſi non illicò beatus fuit, ad breue omnino tempus beatitudine caruiſſe dicendus eſt, non autem per aliquot horas: quod dumtaxat per breue tempus effluxerit inter Latronis mortem, & horam veſpertinam, qua concludebatur dies ille vſualis ac etiam naturalis Hebræorum, quo Chriſtus obuenturam Latroni fœlicitatem promiſerat.

5. Quidquid verò hac in re ex fidei ſcitis affirmare neceſſe ſit, mihi quidem & concors Patrum ſententia, & congruentiſſima ratio euincere videtur, Latronis animam, illicò à diſſolutione vnionis cum corpore, potitam eſſe fœlicitate, quippe nitentiſſimam, & ad purum à ſordibus ante contractis abſterſam, vi perfectæ pœnitentiæ, eiúſque eximiæ conuerſionis quam ſupra deſcripſimus. Quod tanquam certum ſtatuit Magi-
ſter

ſter [a] & affirmatur à Ruperto [b] & à Vega [c]. Quis verò dubitet, quin tantum gratiæ opus perfectum fuerit, ac proinde non modò culpam, ſed omnes quoque eius propagines & frutices, ſtirpitùs euulſerit? Hoc planè ſenſu Chryſologus [d] dixit, [Latro in ipſo momento mortis, Paradiſum inuaſit.]

a *in* 4. *d.* 20.
b *l.* 4. *in Geneſ. c.* 7.
c *l* 7. *de iuſtific. c.* 11.
d *ſerm.* 60.

Idq́ue apud prudentem æſtimatorem, omnino ratum erit ex ipſis verbis promiſſionis à Chriſto factæ, eo tempore ac loco: hoc eſt, Chriſti ſanguine in ablutionem peccatoris latè exundante, & in præmium tam eminentiſſimæ in Chriſtum fidei ac flagrantiſſimæ dilectionis impenſæ à Latrone. Quare ei Chriſtus pro poteſtate, ac vt iudicij poſtremi ſpecimen ederet, plenariam indulgentiam ac remiſſionem peccatorum, à culpa & pœna eſt elargitus, Conceſſam Latroni indulgentiam dico, cum Auguſtino, [e] vt ſignificem, communicatum illi abundè fructum bullæ imputribilis à Summo Pontifice Chriſto in throno Crucis confectæ, vt Arnoldus Bonæ-vallis Abbas, [f] piè admodum ac elegãter ſcripſit. Idem etiam dixit Author libri de operibus

e *tract.* 31. *in Ioan. in fine.*
f *tract. de* 7. *verbis c.* 1.

a *ſerm. de paſſ.* Chriſti cardinalibus[a] [deleta dãnationis cõſcriptione, nouis litteris aſſignatã eſſe & reſtitutam,libertatem,priuilegio dato

b *l 1.epiſt. 7.* chartæ indulgẽtiæ, ſigillo plagæ lateralis firmata]AnnuitGaufrid.Vindoc.[b][Vniuerſalis, (inquit) Eccleſia, chartã fidei libertatis &caſtitatis,ne perdat,quã Saluator ore ſuo dictatam,& ſigillatã in cruce, manibus propriis, Chriſtianis omnibus tradidit in pignus & tenorẽ dilectionis.]

6. Vides quàm non de meo protulerim conceſſam à Chriſto fuiſſe Latroni bullam plenariæ indulgentiæ. Quanquam non exiſtimo, Chriſtum aliquam reatus partem ſupra exigentiam operis operãtis,ablatã voluiſſe, ſiue per meram condonationem qua gratis abſumeretur ea reatus portio,ſiue applicata ad id portione aliqua ſatisfactionum ſuarum, vel earum quæ ſuperfuerunt anterioribus Patribus aſſeruaturum in theſauro ad eam diem nunquam recluſo, cuius clauem Chriſtus Vicario ſuo erat permiſſurus.Hi namque modi abſtergendi reatum,quamuis ſint inChriſti poteſtate,tamen ſunt præter ſtatam legem; Nec eſt vnde affirmemus,eos eſſe à Chriſto vſurpatos.

patos. Aliunde verò, & jpſi Chriſto, & Latroni glorioſius eſt, ſi dicamus, tantam Diuinæ gratiæ vbertatem in Latronis pectus demiſſam eſſe, ad concipiendam pœnitentiam vndecunque perfectam, & totius rubiginis peccati exquiſitè emundatiuam; vt vi illius actus tanquam cauſæ meritoriæ. depulſus ſit vniuerſus temporalis reatus, æterno reatui in iuſtificatione abolito, plerumque ſuperſtes. Quanquam enim in conuerſione perfectiſſima momentanea, & culpæ maculæ, & reatus æternæ pœnæ, & debibitum pœnæ temporalis in iuſtificatione ex imperfectioribus diſpoſitionibus facta ſuperfuturæ, eodem temporis momento eradantur: Tamen duo priora, rectè negantur cadere ſub meritum condignum peccatoris, ſub quod remiſſio temporarij reatus in imperfectiore ad gratiam diſpoſitione ſuperfuturi, poteſt cadere, eodem modo quo gloria eodem momẽto temporis obijcitur merito condigno, cui tunc locus non eſt quoad remiſſionem peccati, & primam gratiam ſanctificantem. Itaque quoties Chriſtus peccata inſigni alicui peccatori remiſit;

(quod

(quod de remiſſione quoad culpam, & omnimodam reatus abſterſionem accipiendum eſt, quia Dei perfecta ſunt opera) non illum poteſtatis excellentiæ proprium modum abſtergendi reatum vſurpaſſe cenſendus eſt, ſed iſtum quem propoſui: quo ſcilicet ſuppeditatis efficaciſſimis auxiliis, homo eam peccati deteſtationem, eúmque Dei amorem conciperet, vi cuius vniuerſa animæ rubigo potentiſſimè abſtergeretur: Ad quod conſequens eſt, vt ſi in eo ſtatu exceſſiſſet integer vitæ labíſque purus, non adito Purgatorio illicò beandus, & ſine comperendinatione particeps Dei eſſet futurus.

7. In hoc ordine, agmen duxit S. Latro. Qui tametſi poſt factam liberaliſſimè à Chriſto culpæ totius ac pœnæ abſterſionem, per aliquot horas ſuperſtes fuit, tamen non eſt cenſendus homo tantis diuinis benedictionibus præuentus, poſt exquiſitam illam deterſionem, labeculas aliquas leuium peccatorum ſibi affricuiſſe, quæ obſtarent quo minus anima ſtatim in exitu à corpore frueretur Deo. Quare perennante beneficium ſuum

Chriſto,

Chriſto, eámque puriſſimæ animæ nitelam aptationémque ad gloriam, hoc eſt, à culpa ac reatu vniuerſo plenam emundationem quam paulò ante impenderat, conſeruante; fœlix Latro, crucem paradiſo, ſupplicium æterna animæ beatitate mutauit; vt frequentiſſimè de eo loquuntur Patres, nominatim Chryſoſtomus [a] Cyrillus Hieroſol. [b] Gregorius [c] & diſertè Latronis Purgatorium excludens Laurentius Iuſtinianus. [d] Quod item facit, reddita hac ratione S. Gregorius [e] ad illud, *vt offerat nummum argenteum.* [Ex vi conuerſionis magnitudo deletur criminis. Vis autem conuerſionis, eſt affectio charitatis, cordi infuſæ viſitatione ſancti Spiritus: & ſcriptum eſt de eodem ſpiritu, quia ipſe remiſſio peccatorũ eſt. Nam cum electorum corda dignanter viſitat, ab omni peccatorum immunditia potenter purgat: quia vt ſe menti infuderit, eam protinus in peccatorum & vitiorum odia, & in virtutum amorem ineffabiliter excitat. Facit eam ſtatim odiſſe, quod amabat, & quod odio habuerat ardenter diligere, atque in vtroque valdè ingemiſcere. Quia & mala quæ odit, ſe damnabiliter

a *variis locis, infra ſignandus.*
b *Catech.* 13.
c *hom.* 20. *in* . *uang.* & 29 *ma.* c 9.
d *de triũph. Chriſti agone c.* 18.
e *l.* 2 *in* 1. *Reg.*

nabiliter amaſſe recolit, & bona quæ diligit odiſſe. Quis enim audeat dicere, licet omnimoda peccatorum ſarcina prægrauetur, quod perire poſſit aliquis viſitatus gratiâ Spiritus ſancti? Quia ergo peccator nulla hora conuertitur, niſi qua à ſancto Spiritu illuſtratur, quid reſtat, niſi, quia ſicut peccati mortem execrando deſerit, ita vita iuſtitiæ, ad quam ſe deſideranter conuertit, viuat? Qui ſtatim poſt mortem in vita recipitur, ſi tantum amoris ignem recipit in conuerſione, qui conſumere in anima poſſit omnem congeſtam peccati rubiginem: Vnde & de peccatrice muliere dicitur: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Hinc ab eadem veritate, in Cruce pendenti dicitur, *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo.* In vitæ igitur exitu hi ſolummodò ſalubriter reſipiſcunt, qui & per internam viſitationem perfectè bona diligunt, & mala oderuot, quæ amauerunt. Qui tamen ſi ſufficiẽter pro admiſſis iniquitatibus dolere non poſſunt, nihilominus & iſti in hora, qua conuertuntur, viuunt. Nam qui perfectionem bonæ voluntatis habuerunt in confeſſione

feſſione peccati, poſt mortem purgatoria pœna peccati ad vitam tranſeunt, ſi ad delenda peccata, ſufficientem vim amoris nequaquam habuerunt. Vnde & Paulus dicit; *ſic ſalui fieri, quaſi per ignem.* Sed peccator qui ibi ſaluari per ignem meruit, hic per afflictionem carnis adimpleat hoc, quod ſibi de vi amoris deeſſe cognoſcit.]

Adſcribo præterea Arnoldum ſiue Erualdum (vt alicubi allegatum inuenio,) Bonæ-vallis Abbatem, S. Bernardi æqualem, cuius egregium de Latrone elogium [a] non nunc primùm adduco. Ita habet in calce tractatus poſt deſcriptam largitatem variis pœnitentibus exhibitam. [Inter cætera pietatis exempla, Latro noſter nobis occurrit, pœnitentiæ regula, confeſſionis forma, indulgentiæ præco, ſpei exemplum; qui dum ingemuit, ſubitò quod quærit inuenit, quod petit accepit, & illicò audit: *hodie mecum eris in paradiſo.* Non ad loca purgatoria, flammáſque peccatorum vltrices, confitens deſtinatur; non ad loca tenebroſa & tormenta deducitur; nullam pars aduerſa gratiæ Dei præſumit inferre calumniam.

a *tract.* 2. *de Chriſti vltimis verbis.*

lumniam. Vna Crucis pœna, omnia abolet crimina: imò non pœna, ſed gratia. Præmittitur igitur in Paradiſum hic noſtræ nuncius abſolutionis, & primitias libertatis noſtræ, (teſtis libertate donatus) Paradiſi ciuibus id expectantibus & deſiderantibus, primus inuexit.] Omnibus perfectis, idem iuris tribuit [a] Richardus Victorinus, dicens. [Perfecti viri in ipſo ſtatim exitu animæ, in ipſo primordio incipientis vitæ, emancipantur à culpa, & liberantur à pœna, confirmantur in gratia, & ſublimantur in gloria.] At Latronem à perfectione auſpicatum conuerſionem, ſupra eſt demonſtratum. Quare nihil illi cum Purgatorio.

a l. de different. Sarit. Abrahæ & Mariæ.

8. Patres porrò quos referebam, ſignificantes nemini, Chriſto excepto, tranſitum patere ad gloriam niſi per ignem purgatorium, intelligendi ſunt de igne Diuini iudicij, de quo etiam loquitur Apoſtolus, docens, ignem, vniuſcuiuſque opus probaturum quale ſit. Vel accipiendi ſunt de acceſſu ad purgatorium ſine læſione, quo pacto ea ſententia nobis non videtur neceſſaria aut approbanda, quamuis nullum errorem contineat

neat iudice Bellarmino. [a] Sunt qui hos Patres interpretentur de igne vniuerſalis conflagrationis.Nám Chriſto ad iudicium veniente, ignis in conſpectu eius exardeſcet, & ignis ante ipſum præcedet. Et quia hic ignis aget vt Diuinæ potentiæ inſtrumentum, S. Thomas [b] ait eum bonos citra nocumentum omne, probaturum; malos autem in fauillas verſurum mox ſuſcitandos ad æternum viuicomburium. Hanc,vt vocat,rationalis flammæ diſciplinam, & ſapientis pœnæ diſcretionẽ, perbellè deſcrbit alicubi S. Auguſtinus.[c] Non poſſumus tamen prædictos Patres, de hoc igne interpretari, cum manifeſtè agant de igne quem quiſque in exceſſu ſuo adit.Præterquàm quod non eſſe omnes homines igne illo Chriſti iudicis anteceſſore cruciandos aut purgandos, probabilior ſententia fert de qua alibi.Quare amplectenda potiùs eſt aliqua propoſitarum interpretationum.

a l.2. de purg c.1.

b in 4 d. 47 ſub finem.

c hom.16. ex 50.

Non me latet, quid Geneuenſis Nabuzardan, [d] ex hac per nos ſtabilita, & per Chriſti promiſſionem inſinuata Latronis immunitate à Purgatorio, contra

d Calu. in Harmon.

Catholicam purgatorij aſſertionem concludat, in ſua male modulata Euangeliorum Harmonia. En (inquit) donatum paradiſo Latronem, abſque ſubitione ignis Purgatorij. Figmentum igitur Papiſticum de non remiſſo reatu pœnæ temporalis ſimul cum culpa, atque adeò de ſubeundo purgatorio, inde euertitur. Bella argumentatio, & eo caluo ſyncipite digna, quæ ex vno particulari cuius omnino eſt diſpar cauſa, infert vniuerſalem concluſionem ad quoſcunque quomodolibet affectos pertinentem. Itaque argumentationem inſulſiſſimam, non aliter condio, quàm verbis authoris libri de vera & falſa pœnitentia apud Auguſtinum, quæ leguntur etiam in iure Canonico [a] [Licet Latro veniã meruiſſet in fine de ſuo omni crimine, nõ tamẽ dedit baptizatis peccandi, & perſeuerandi auctoritatem. Tunc enim baptizatus eſt, qui tunc primum in Cruce Chriſtum confeſſus eſt. Pœnitentia enim ſi in extremo hiatu vitæ aduenerit, ſanat & liberat in ablutione baptiſmi, ita quod nec purgatorium ſentiunt qui in fine baptizantur: ſed ipſi ditati bonis ſanctæ Matris

a *cap. nullus, de pœnit. diſt. 7.*

tris

tris Eccleſiæ, ſunt recepturi multiplex bonum in vera beatitudine. Illi autem qui cum potuerunt, nunquam conuerti voluerunt, confitentes, cum iam peccare nequeunt non ſic facilè acquirunt quod volunt.] Cæterum non eſt quod Caluinum, ac ſuos, tam malè habeat purgatorium. Pro eis enim nullum eſſe Purgatorium, vltrò damus, ſolis Catholicis non plenè nitentibus, deſtinatum profitentes. Pari porrò ſubtilitate Caluini combibones aliqui apud Peltanum, [a] ex eo quod Latro, vt ſupponunt, nullam externam ſatisfactionem Purgatorij præcluſiuam pro peccatis ſuis exercuerit, colligunt inanitatem operum ſatisfactionis. In quo dupliciter peccant. Nam & Latro poſt conuerſionem multos internos actus elicuit ſatisfactorios, multáque patienter tulit aptiſſimè ad ſatisfaciendum. Et quod caput eſt, tanta conuerſionis perfectione neceſſitatem ſatisfactionis omnem præcluſit, quæ in aliis vulgo deficiunt.

[a] *tract. de ſatisfactio. ſect. 10 argum. 3.*

9. Sed quod Latronem primitias libertatis noſtræ primùm inueniſſe affirmabat Arnoldus paulò ante adductus, id

ipſum eſt, quod alij pleríque Patres tradunt, Latronem ex omnibus primum ſubiiſſe paradiſum. Ita Chryſoſtomus [a] Auguſtinus [b] Rupertus [c] aliique multi quos profert Henriques. [d] Eodémque recidit, quod S. Gregorius [e] ait, patrem familias ab hoc Latrone qui nouiſſimus venerat, cœpiſſe denàrij retributionem: & quod Innocens tertius [f] ait, in hoc nouiſſimo incepiſſe perſolutionem mercedis. Explicatiſſime verò idem tradit Cyrillus Hieroſol.[g] verbis illis[O ingentem & inenarrabilem gratiam! Nondum Abraham fidelis ingreſſus eſt, & Latro ingreditur: nondum Moyſes & Prophetæ, & iam Latro iniquus ingreditur. Admiratus eſt te etiam Paulus, dicens: *vbi abũdauit peccatum, ſuperabũdauit & gratia.* Qui tulerunt æſtum, nondum ingreſſi ſunt; & qui vndecima hora venit, ingreſſus eſt.] Denique Author libri de operibus Chriſti cardinalibus [h] [Conſidero, Domine, te in illo patibulo, vbi videbaris, ſine adiutorio, quo modo imperatoria poteſtate, Latronem præmittis ad regnum: in cuius aſſumptione iam manifeſtè conſtat, quantum apud dere-

liℓtos

a *ſerm.7. addit. in Geneſ. t.2. Græcol.*
b *ſerm. 130. de temp & ſerm.95. de diuerſ.*
c *l.3. in Geneſ. c. 32.*
d *l.1. de pœnit. c. 14. n.2. litera l.*
e *hom.19. in Euang*
f *ſerm 2. de Septuag.*
g *catech. 13.*
h *ſerm de paſſ.*

lictos profeceris, quorum primus iſte, gloria & honore coronatus, ipſa die paradiſi Ciuis, & domeſticus curiæ cœleleſtis efficitur.]

10. Hic tamen magna omnino difficultas ſuboritur, quandoquidem certum eſt, in ipſo puncto mortis Chriſti, patefactam eſſe Sanctorum viam: eodémque momento, iuſtis qui ſedebant in tenebris obortam eſſe lucem gloriæ, & Deum clarè ab eis viſum fuiſſe. Nihil enim ſupererat, quod animabus illis plenè nitentibus Dei viſionem intercluderet: Nec Chriſti præſentia, etiam Phyſica, deerat; ſi quod nõnullæ ſcripturæ ſignificant, & paſſim Patres myſterium reſurrectionis tractantes confirmant, eam Patrum in limbo detentorum deductionem ad lucem gloriæ, Chriſto tribuere velimus. non modò vt cauſæ meritoriæ (quod eſt indubitatum) ſed etiam vt cauſæ, ad cuius tantùm præſentiam, Phyſica effectus illius cauſatio exeratur, à quocumque exeratur. Id enim ad Chriſti dignitatem permagni facere videtur, éſtque admodum veriſimile & congruum, vt ſanctæ illæ animæ, Solem ſuum in ipſo puncto

depulſarum ſuarum ſpecialium tenebrarum, venerarentur præſentem. Hoc igitur admiſſo, præſentia Chriſti Phyſica, in eo puncto non defuit ſanctis illis animabus limbo concluſis: quia quamuis magnum chaos inter Caluariam & limbum Patrum eſſet firmatum, tamen facilè fuit Chriſto, animam ſuam eodem momento quo exceſſit è corpore, ſiſtere limbo Patrum; vel per motum ab extremo ad extremum abſque tranſitu per medium, ſi motus ille ſaltem Diuina vi admittatur poſſibilis; vel per reproductionem animæ inſtantaneam, ab ipſamet anima Chriſti, (quippe præexiſtente,) prodeuntem, ſeque illo ipſo mortis momento locantem in Limbis, abſque fluxu temporaneo per medium: quem non importat *deſcenſus*, qui Chriſto ad inferos tribuendus eſt realis ac phyſicus. Sufficienter nanique deſcenſus ille, æquè ac deſcenſus è cœlis, videbitur, exponi poſſe de adeptione phyſicæ præſentiæ, ſubſecuta exiſtentiam in ſuperiore loco quomodocumque ad locum inferiorem deuentũ ſit. Quod ſi id alicui minus quadrare videatur, cum propria notione deſcen-

ſus; quæ motum ſonare videtur, neque tamen placeat admittere motum ab extremo ad extrémum abſque tranſitu per medium dicendum erit, eatenus Patrum animas, præſenti animæ Chriſti, effectum ſuæ beatitatis debere, quatenus ſanctiſſima illa anima, inchoato iam ad limbos motu, intra breuiſſimum tempus conſummando, habita eſt moraliter præſens iuſtis animabus, iam ab initio illius motus, confeſtim futura præſens etiam phyſicè. Quia ergo animæ Patrum, illo ipſo momento quo Chriſtus obiit, vident Deum; difficultas (vt dixi) grauis ſuboritur, qua tandem ratione, Latro qui Chriſto per aliquod tempus ſuperſtes fuit, dicatur à prædictis Patribus, ſubiiſſe paradiſum, ante Abrahamum, Moſem, & Prophetas, ac eos qui pondus diei & æſtus portarunt, vt Cyrillus affirmabat: Nam ſi comparatio tantùm fieret cum Apoſtolis, aut etiam cum omnibus Sanctis Noui Teſtamẽti, id eſt cum omnibus illis qui poſt perſolutum pro nobis pretium, vita functi ſunt; vix eſſet difficultas: quia facilè dici poſſet, à Chriſti morte ante mortem Latronis, nemi-

nem adultum plenè nitentem, ac neminem infantem culpa parentali liberum, obiiſſe. Sed facta cum anterioribus comparatione, difficultas eſt longè maxima, quam non elidit Laurentius Iuſtin.[a] antiquos Patres quos Latro præceſſit in gloria, exponens Apoſtolos atque diſcipulos. At Patres citati, apertè agunt de Patriarchis, & Sanctis Chriſto anterioribus, & inter eos diſertè nominant Moſem, Abrahamum, & alios.

[a] *de triũph. Chriſti agone c. 18.*

11. Non habeo commodiorem verborum cæteroqui difficilium enodationem, quàm ſi dicam idcircò Latronem affirmari, primum à Chriſto ſubiiſſe paradiſum, ſiue vidiſſe Deum, quia cum antiqui Patres non ſtatim à morte, ſed poſt longum tempus interpoſitum, ad Dei fruitionem ſint euecti, ipſe primus hoc à Chriſto accepit muneris, vt illicò à morte beatus eſſet. Quod aliter dicitur, Latronem fuiſſe primum beatum, & antiquis Patribus in fœlicitate priorẽ, non prioritate abſoluta, quæ attẽderetur penes phyſicũ momentũ mortis & gloriæ per vtroſq; aditæ; ſed prioritate proportionali: Quatenus tametſi ſpecta-

to

to phyſico momento aditionis paradiſi, ſeu viſionis Diuinę, Latro quia poſt Chriſtũ obiit fuerit Patribus poſterior; tamen anterior fuit, ſpectata capedine quæ interceſſit inter Patrũ mortẽ, & gloriã: cum inter Latronis mortẽ ac gloriam, ne momentum quidem ſit interpoſitum. Vel certè quod inſinuare videtur D. Auguſtinus, [a] Latro ex iis qui poſt paſſionem Chriſti eiúſque mortem obierunt, intrauit primus in cœlum, ſaltem primus ex iis de quibus conſtat eſſe beatos. Dico, poſt Chriſti mortem. Nam quod Maximus Taur. [b] momentum mortis Chriſti putat fuiſſe momentum ingreſſus Latronis in cœlum, non cohæret cum conſtituto ſupra tempore mortis eius, nec intereſt præſentis negotij. Et idem aſſerendum eſt de ea ſententia Ruperti, [c] qua S. Latronem Chriſto præiuiſſe ad Tartara, exiſtimauit.

a ſerm 95. de diuer.

b hom. 2. de S. Latrone.

c lib. 3. de oper. Spir. ſancti c. 8.

12. Circa hoc tempus aditæ gloriæ per Latronis animam, non eſt omittendum quod Moſes Barcephas [d] tradit, ex Philoxeno, ſancto Ephrem, & Iacobo Sauigenſi, quorum hanc refert ratiocinationem [Sexto die, creatus eſt Adam,

d parte 1. operis de Paradiſo ferè in fine.

eodem excruciatus eſtDominus noſter; in eius diei initio, ille eſt ex luto compoſitus; hic item ad tribunal raptus. Hora illius diei tertia inductus eſt Adam in paradiſum; & Seruator noſter tertia hora extractus eſt ab vrbe Hieruſalem humeris Crucem ſuam baiulans. Et quo tempore Adam manus protendit ad decerpendos fructus negatos, eodem Chriſtus ſuas diſtendit ſuper lignum. Rurſus à ſexta ad nonam horam exutus eſt Adam ſua gloria, voxæque deditus. Itaque & ob Crucem Chriſti ſol à ſexta ad nonam, amiſſo ſplendore obſcuratus eſt, atque vniuerſa creatura luctu cooperta, quaſi refricata priſtini Adę caſus memoria. Elapſa deinde hora nona, diſſipatæ atque abactæ ſunt tenebræ, qua re ſignificabatur, ſoluta iam tum eſſe ea mala, quæ genus humanum circumdederant, atque occuparant propter legem Dei ab Adamo violatam. Inſuper quo tempore confoſſus eſtDominus noſter lancea, eodem à Cherub Cuſtode paradiſi, & arboris vitæ ablata eſt lancea. Denique qua hora pulſus eſt paradiſo Adamus à Deo, eadem prorſus à Chriſto immiſſa eſt in

paradi

paradiſum anima Latronis: Ac proinde quo tempore dæmō videns eiectum paradiſo Adamum, gauiſus eſt, eodem & doluit, cernens Latronis animam in paradiſum reductam; quippe cum Chriſti anima in Cruce eſſet à corpore ſeparata, ipſa Diuinitas ſimpliciter neque corpus, neque animam deſeruit, ſed & vnà cum corpore ſepulchum ſubiit, & ſimul cum anima inferos correxit, atque ad eas animas quæ inibi tenebãtur, concionem habuit, ſicut ait Petrus Apoſtolus in ſua Epiſtola. Itaque anima Chriſti eas animas quę in ſe credebant, ab inferis ſuſtulit, ſubuectáſque induxit cum Latronis anima in paradiſum, vnde expulſus fuerat Adamus.]

Sic illi Patres quos mirum eſt, (vt poſtmodùm tradit Barcephas), aſſeruiſſe, Adamum non amplius ſex horas in paradiſo commoratum, à tertia ſcilicet vſque ad nonam diei ſextæ. Quî enim potuit eodem die, imò intra ſex horas, peragi cumulus ille actionum, quas Adamo in paradiſo accidiſſe ſacra narrat Hiſtoria, vt poſſet factæ in eiuſdem diei meta, expulſioni Adami è paradiſo, reſpondere

a *in calce partis citata.*

dere reductio Latronis, facta eodem hora? Commodiùs eam horarum antiſtropharum conſenſionem, tuerentur Pererus [a] & alij qui Adami in paradiſo commorationem ad octiduum protendunt. Sic enim in feria ſexta recurrente, peractis iam omnibus quæ prodit ſacra hiſtoria, Adamo contigiſſe in paradiſo, faciliùs poſſet ea horarum conſenſio, & conuenientia retineri. Quod idem de Adamo hora nona expulſo, & Latrone hora nona reducto, aiebant hi DD. non cohæret cum iis quæ de tempore obitus Latronis cõſtituta ſunt ſuperiùs. Oſtendimus enim poſt Chriſtum hora nona ineunte mortuum, interceſſiſſe paucas horas, (vnam fortaſſis & alteram,) ante Latronis mortem. Atque adeò non potuit Latro, reduci in paradiſum hora nona vſuali: de ea namque loquuntur DD. prædicti, vt conſtat ex termino ſex horarum quem præfigunt incolatui Adami in paradiſo, quod apertè accipiunt de horis vſualibus.

a l. 6. in Geneſ.

13. Itaque non diffiteor, ſalutem humanam, quod Chryſologus [b] ſcitè dixit, iiſdem à Chriſto lineis quibus per Adamum

b ſerm. 77.

mum perierat fuiſſe reparatã.[Et idcircò (vt ſapiẽtiſſimè de more Nazianzenus[a]) lignum aduerſus lignum, & manus aduerſus manum; illæ, inquam, fortiter extenſę, aduerſus incontinenter extenſam: illæ clauis confixæ, atque conſtrictæ, aduerſus remiſſam & ſolutam; illæ orbis fines coniungentes, aduerſus eam quæ Adamum è paradiſo exturbauit. Idcircò ſublimitas aduerſus lapſum; & fel aduerſus guſtum; & ſpinea corona aduerſus prauum Imperium, & mors aduerſus mortem: & tenebræ propter lumen, & ſepultura aduerſus illam in terram reuerſionem, & reſurrectio propter reſurrectionem. Hæc omnia diuinæ cuiuſdam erga nos diſciplinæ erant, infirmitatíſque noſtræ veluti medicina quædam veterem Adamum eò, vnde exciderat, reducens, & ad illud vitæ lignum adducens, à quo ſciẽtiæ lignum, intempeſtiuè atq; incommodè perceptum nos remouerat.] Non diſſimilia Damaſcenus[b], & diligenter collatis & expenſis ad id pleríſque ſimilibus diſſimilitudinibus, Francolinus[c] nóſque in explicatione illius Chriſti tituli, *Noua Dei creatura.*

a *orat.* 1.

b *hom. de Sabatho S. ſub medi. pagin.* 239.

c *l. de hor. Can. c.* 58.

Hæc igitur, rata ſunto. Eam tamen horarum, vel etiam momentorum conſenſionem quam Syri illi DD. inuehebant, non habeo vnde ſtabiliam, quamuis de die poſſit faciliùs ſuaderi quod affirmant, & tradit etiam S. Athanaſius, aut vt alij malunt Euſebius Alexand. ſerm. de paſſione, quem nondum editum allegat Gerardus Voſſius. [a] De tempore item pomeridiano Adæ expulſionis, & Latronis reductionis diuinitùs diffinito, pulchrè in hunc modum Cyrillus Hieroſolym. [b] [miratus ſum certè figurarum veritatem: in paradiſo caſus, & in horto ſalus; De ligno peccatum, & per lignum ſaluatio, poſt meridiem Domino perambulante, occultati ſunt, & poſt meridiem Latro à Domino in paradiſum introducitur.]

a *ad S. Ephrem. ſer. de paſſ. tomo* 3.

b *catech.* 13.

14. En igitur beatitudine potientem ſtatim à corporis morte Latronis animã. En ſpectaculum Chriſti benignitate dignum, ſpecimen fructuum Crucis propter nos aditæ, & operum gratiæ planè admirabile. [Stipula Tartari (vt in ſimili dixit Petr. Dam. [c]) cedrus eſt paradiſi. Torris inferni, factus eſt ſplendidum ſydus cœli.] Benedictum lignum, (exclamat

c *ſerm. de S. Bonif.*

mat Andreas Cretenſis [a]) in quo Deus corpore ſuo extenſus eſt.Et quid hoc ad mirabilius? Cernere Deum in Cruce pendentem, & quidem inter Latrones. Benedictum lignum per quod Latro paradiſum inhabitat, & ligni eſus amarum expulit edulium. Quid hoc mirandum magis? quia quem locum clauſit deceptus Adam, hunc aperuit Latro,ad veri Dei agnitionem euectus, & à quo ille loco extorris factus eſt, huius iſte, inuitatus, adſcriptus eſt Ciuis. O congruam permutationem. Egreſſus eſt fur, & loco eius ingreſſus eſt fur:ille quidem ob præuaricationem, hic verò ob agnitionem.Ille ſeductus ab eo qui illum ſupplantauerat, hîc verò ſimul crucifixus cum eo,qui ipſum crearat.]

a orat in Crucis exaltationem.

Abfuit planè,abfuit à Chriſto,vt cum Bernardo loquar, [b] [Ægyptia illa crudelitas,pincernæ Pharaonis,qui in gradum priſtinum reſtitutus, ſtatim oblitus eſt Ioſeph ſancti, qui in carcere tenebatur. Non enim erant vnius capitis membra, nec aliqua pars fideli cum infideli,aut vlla ſocietas Iſraëlitæ ad Ægyptium, non plus quàm luci ad tenebras. Interpretatur

b ſerm 5. in feſto omnium SS.

tur enim Ægyptus tenebræ, Iſraël verò, videns Deum,atque ideò vbicunque Iſraël erat, lux erat. Non ſic noſter Ieſus crucifixi ſecumLatronis potuit obliuiſci. Factus eſt vtique quod promiſſum eſt: ipſa die qua compaſſus eſt, conregnauit.] Commodè omnino,nec abſque anteriorum Patrum ſuffragio , iſta Bernardus. Nam Ioſephum, pincernæ & piſtoris diiudicatorem, Chriſti duos Latrones diiudicantis typum fuiſſe , Chryſoſtomus [a] & Proſper [b] multo ante , aduerterant.

15. Quantitatem porrò beatitudinis eſſentialis in Latrone , ex quantitate ſeminis,ſiue gratię,metiri neceſſe eſt. Seruant enim proportionem , iuxta illud Bernardi [c] [Secundùm magnitudinem gratiæ , magnitudine gloriæ exaltatus. Nam & iuxta radicum quantitatem, rami prodire noſcuntur : & quot radicibus arbor innititur,[tot ramis ſicut aiunt, decoratur.] De gratiæ autem quantitate, ſatis ſupérque ſupra diximus,& ex ea inferre poſſe videmur,cum S.Bernardino,[d] Latronem eſſe de prioribus & eminentioribus cœlitibus. Sanè Arnoldus Abbas

a *ſerm. de negatio. Petri t.6. Græcol. 627.*
b *p 1 de prædict. c. 28.*
c *ſerm. de S.Bened.*
d *ſerm. de amore anguſtioſo pag. 150.*

bas[a] ita loquitur. [En Latro locatur, vnde Lucifer corruit.] Quod tamẽ video poſſe generaliter accipi, de loco ad quem reductum Latronem dixerat, hoc eſt de cœlo, nihil ſpecialiter determinando, de ſpeciali loco & dignitate quam Latro in cœlo ſortitur.

a *tract. 2. de vlt. verbo.*

Nec plura de ſtatu animæ Latronis diuulſæ à corpore. Quo autem phyſico loco fuerit, non videtur obſcurum, ſi promiſſionis à Chriſto factæ verba, accipiamus vt ſonant, & paulò latiùs quàm ferat longè certior eorum ſenſus. Nimirum ſi illud Chriſti *hodie mecum eris*, non tantùm de ſocietate fœlicitatis eſſentialis, ſed etiam de coexiſtentia locali accipiamus, vt factũ eſt à S. Thoma[b]. Quamuis enim ea ſocietas gloriæ, primò ac directè verbis illis ſignata eſt, vt ſuprà oſtẽdimus, tamen poſſumus quoque ea extendere ad conſignificandam localem exiſtentiam quam prima ſpecie ſonant. Itaque cum Chriſtus per illud triduum & trinoctium, iuxta prænunciationem à ſe factam, fuerit in corde terræ, hoc eſt in limbo Patrum: ibidem quoque fuit Latronis anima, etiam illomet die quo

b *3 p. q. 52. art. 4. ad 3.*

Chriſtus Latroni promiſſo firmarat, *hodie mecum eris.* Conſtat quidem magna ſpatia inter Caluariam & cryptas illas quibus abdebantur ſancti Patres, interpoſita fuiſſe: tamen non difficilè intelligimus, Latronis animam illuc breui tempore pertingere potuiſſe: ſiue communicato diuinitus inſtantaneo motu immediato, ab extremo ad extremum, ſi eſt poſſibilis; ſiue facta diuinitus eius reproductione momentanea in limbo Patrum; ſiue interpoſita locali deductione per Angelos, intra breue tempus quod diem illum non excederet, tametſi iam inclinantem. Quarum rationum aliqua, de ordinario animarum ad inferni vel purgatorij loca deſcenſu, nec non de ſubuectione in cœlum peracta purgatione philoſophandum eſt. Latronis enim animam nondum fuiſſe cœlo exceptam, ſed decus illud Chriſto rediuiuo poſt diem quadrageſimum à reſurrectione fuiſſe reſeruatum, notius eſt quàm vt moneri oporteat. Quare ad limbum Patrum, vbi agebat tunc Chriſti anima, profectam conſtat.

16. Hîc pium lectorem, diſpicere attentiùs

tentiùs ac veſtigare velim, quis Sanctorũ Patrũ in infernis illis ſedibus iã tranſlatis in paradiſum, quis Chriſti ipſius, quis Latronis ſenſus fuerit, cum ea benedicta anima non Latrociniorum ſordibus oblita, ſed puriſſima, per crurifragium ac mortem, euolans ad liberatorem ſuum in limbum, ei adorabunda occurrit, eóque gratiarum & laudum munere quod tantam erga ſe beneficentiam decebat, humillimè oblato, eidem ſupplex accidit. Chriſtus ſanè hanc prædam Tartareo lupo ereptam, oſtentare gloriosè potuit, & quantam ſalutis generi humano facilitatem morte ſua paraſſet, prædicare ſanctis illis ſpiritibus, quando etiam Latronem ad tantam gloriam ſubitò euectum viderent. Quemadmodum medicus corporum, longè glorioſiùs, ægrum deſperatæ ſanationis, in artis ſuæ ac peritiæ ſpecimen proferret, quàm aliquem leui inualetudine tentatum, quem curatione admota firmum præſtiterit. Itaque in his humanæ ſalutis primitiis, ac veluti libis reparatæ naturæ è tam ſicco & exſucco ceſpite, vim & energiam fuſi ſanguinis, partæque per eũm gratiæ aduer

terent. Edocebat enim quantis ſceleribus per vniuerſam vitam obrutus fuiſſet Latro, vſque adeò vt in ipſa etiam cruce, per ſummam barbariem probris & conuitiis proſcinderet, pendentem ſecum vitæ autorem, qui tantis eum beneficiorum imbribus compluere decreuiſſet, donec momento affuſa ſtilla roris illius cœleſtis, cuius fonte crux manabat, aridum ſolũ in eas ſpirituales fruges erumperet, quarum conſpiceret meſſem. Super hæc, alterius confixi in ſcelere & nequitia obdurati impietatem ab iſto reprehenſam, Regiæ Chriſti poteſtatis ſolemnem profeſſionem ab eodem, in Hieroſolymitanæ vrbis, ac propè vniuerſi theatro editam, erectiſſimam eius ſpem, flagrantiſſimam charitatem, & reliqua ab eo poſt tantam improbitatis caliginem ſplendidè geſta, memorabat. Quam ego non minimã partem fuiſſe dixerim argumentorũ de quibus Chriſtus Dominus, iuxta S. Petrum, iis qui in carcere erant Spiritibus prædicauit. Quę illi cum audirent, eo ſenſu excipiebant, vt niſi recens beatitas fontes mœroris obſtruxiſſet, ceſſuri haud dubiè fuiſſent dolori,

præſer

præſertim Iudeę gẽtis ſatores ſancti, quibus conſociatio cũ Latronibus, & alia indigniſſimè admiſſa à ſemine ſuo, ac nepotibus in deſiderium collium æternorum, digniſſima videbatur perpetui cordolij, mœſtitiæque materia. Sed præcludente mœrorem omnem noui ſtatus fœlicitate, itum eſt ab omnibus in fauſtas acclamationes, Regi Domino mortis, ac Tartari triumphatori datas.

17. Non auſim anſer ſtrepere inter olores. Itaque illa Hieronymi [a] vſurpabo, quæ fortaſſis non multum abſunt, à Sanctarum animarum Chriſto ſanctam prædam gratulãtium oratione. [O mors, adduxit vrentem ventum Dominus de deſerto aſcendentem, qui ſiccauit venas tuas, & deſolauit fontem tuum. Deuoraſti quidem Ionam, ſed & in vtero tuo viuus fuit. Portaſti quaſi mortuum, vt tempeſtas mundi conquieſceret, & Niniue noſtra illius præconio ſaluaretur. Ille, ille te vicit. Ille te iugulauit. Fugitiuus propheta, qui reliquit domum ſuam, diuiſit hæreditatem ſuam, dedit dilectam animam ſuam in manibus quærentiũ eum. Qui per Oſeæ quondam tibi rigidus mi-

[a] *epiſt.* 3.

nabatur. Ero mors tua ô mors: ero morſus tuus inferne. Illius morte, tu mortua es, illius morte, nos viuimus. Deuoraſti, & deuorata es. Dúmque aſſumpti corporis ſollicitaris illecebra, & auidis faucibus prædari putas: interiora tua adūco dente confoſſa ſunt. Gratias tibi Chriſte Saluator, tua agimus creatura, quod tam potentem aduerſarium noſtrum, dum occideris, occidiſti. Quid ante miſerius homine, qui æternæ mortis terrore proſtratus, viuendi ſenſum ad hoc tantùm acceperat, vt periret? Regnauit eius mors ab Adam vſque ad Moyſen, etiam ſuper eos qui non peccauerunt, in ſimilitudinem præuaricationis Adæ. Si Abraham, Iſaac & Iacob in inferno, quis in cœlorum regno? Si Amici tui ſub pœna offendentis Adam, & qui non peccauerant alienis peccatis tenebantur obnoxij: quid de his credendum eſt, qui dixerunt in cordibus ſuis, non eſt Deus? qui corrupti & abominabiles facti ſunt in voluptatibus ſuis? qui declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum? Quod ſi Lazarus videtur in ſinu Abrahæ locó[illegible]
refrige

refrigerij: quid ſimile infernus & regna cœlorum? Ante Chriſtum Abraham apud inferos; poſt Chriſtum Latro in paradiſo.]

Poſſumus etiam non inopportunè eodem referre illa Athanaſij, [Beata & viuifica Crux Saluatoris quæ de morte triumphaſti, & eum qui mortem in ſua poteſtate habebat, Diabolum ſuſtuliſti.[a] O Diuine ſermo, & reuera ſapientia Patris, tu verſuti illius faciem aperuiſti, & ſinus, plicaſque illius pectoris denudaſti, vt & nos dicamus: Non enim illius cogitationes ignoramus, mortalium amator & bone Domine: Tu nos captiuos redemiſti, & ſeruientes peccato, tua propria morte liberaſti: Scimus quod à peccato liberati ſumus, ô Pacificator, Fili Dei. Tu nobis filiorum adoptionem reddidiſti, & vbi nos Tuo Patri reconciliaras, inimicitiam in carne aboleuiſti. O opulenre Saluator & reuera Rex, tu pauper fuiſti, vt nos tua paupertate diteſceremus. Tu nobis regnum cœlorum largitus es. O Creator, & conditor omnium Verbum Patris tu nos denuò reformaſti; tuæque creaturæ ſumus, conditi ad bona opera,

[a] *ſerm. in paſſ.*

lumen reuera & Iubar Patris; Tu enim nos in tenebris illuminaſti, & non videntes in lucem produxiſti, ô forma & Imago vera Patris. Tu enim nos perditos formaſti, & imaginem Dei nobis retribuiſti, Deus, verbum & prorſus vita. Tu nos mortuos viuificaſti & corruptos renouaſti, induens nos immortalitate. Virtus, reuera & brachiũ & dextera Patris. Tu enim dolores mortis ſoluiſti, ianuas æreas & vectes ferreos confregiſti, vt Scriptura dicit. Tu & ſerpentem Diabolum, hamo eſcáque humanæ carnis circumegiſti per Crucis trophæum. Tuo ductu Diuinóque auſpicio, omnes eum conculcant, omnes ei illudunt. Te enim primum in illum inſultante, initium creaturæ incepit eſſe, conditæ ad hoc, vt illi inſultaret.] Hæc de Sanctarum illarum animarum, ad Chriſtum liberatorem ſuum, acclamationibus, coniectata potiùs, quam expoſita, ſunto.

Latroni item acclamatum ab omnibus, eiúſque ſalus celebrata: Nec pudor erat Latronem vixiſſe vniuerſa propè vita, & plurima dictu auditúque immania perfeciſſe. Quin potiùs ea omnia cede-

bant

bant in Chriſti gloriam, & Latronis decus: quod hic ſollicitanti Deo obaudiuiſſet, ille non renitétem, admota manu & arte ſua vulneribus deſperatæ curationis feciſſet medicinam. Nec plura de S. Latronis anima, corpore ſoluta per mortem.

18. Corpus Latronis (vt ad illud tandem veniam,) de cruce depoſitum eſt, ſub diei veſperam; conſentaneè ad legem Iudaicam, quam his verbis elucidat Philo [a] [homicidis lex non indulget, vt pecuniis luant, quod luendum eſt capite, aut exilio, ſed exigit rigidè, vt ſanguis expietur ſanguine, & inſidiatoris capite ſatisfiat interempti manibus. Alioqui peruerſa ingenia numquam ſatiantur maleficiis, ſed facinora cumulant facinoribus; augendo vſque malitiam, nec vllis etiam circumſcribendo terminis. Contra tales mille ſupplicia decreuiſſet Legiſlator, ſi potuiſſet: Id quia non poterat, nouam pœnam addidit, iubens in ligno ſuſpendi homicidas. Móxque ad ſuam clementiam reuertitur, humanitatis erga inhumanos non oblitus: Non occidat, inquit ſol, ſuper pendentes in li-

a *l. de ſpecial. leg.*

gno,ſed depoſiti ante occaſum ſepelian-tur.Nã neceſſe fuit eos qui omnes mun-di partes infeſtarunt, ſublimes tolli, vt oſtenderetur ſoli,cœlo,aëri, terræque il-lorum ſupplicium : móxque in ſepul-chreto condi,ne quid ſuper terram con-taminent.]

Ea itaque ex cauſa, depoſitum Latro-nis corpus, ob imminens Sabbathi ma-gni iuſtitium, tumultuaria humatione conditum eſt,in ipſo Caluariæ colle,ibi-démque hæſit, quo triduo anima infra terram cum Chriſto manſit. Nam poſt illud triduum, reueniẽte ad vitam Chri-ſto,multos quoque Sanctos qui dormie-rant ſurrexiſſe, glorioſum Principis vitæ Satellitiũ,author eſt S.Matthęus. Quam-uis quod anticipata narratione, excita-tos ad vitam referat, inter narrandum quæ ſub Chriſti paſſionem contigerunt, impoſitum ſit pleriſque, morem illum præoccupãdi apud ſcriptores ſacros non attendentibus, vt cenſerent ſurrexiſſe tempore paſſionis,& ante Chriſtũ,quem tamen primitias mortuorum ad peren-nem vitam reſurgentium,vocat Apoſto-lus.Ideóque coguntur Sanctos viros ite-

ratæ

ratæ morti ſubdere, minùs profectò congruenter ad diuinam in illos beneficentiam: Nec ſatis appoſitè ad honorem Chriſti, quem par fuit, reſurgentem: vt SS. omnes anteriores gloriæ eſſentialis, ita aliquos ſpeciali fauore corporeæ reſurrectionis participes facere. Legenda quæ in hanc rem eruditè tradunt Suares [a] & Maldonatus. Reſurgente [b] itaque Chriſto, non potiùs, ſurrexerunt Sancti plerique non expectata generali anaſtaſi, cœlóſque poſtmodum etiam in carne ſubiuerunt, quod miror hæreſeos damnari ab Etherio & Beato Elipandum impugnantibus. [c]

a 3. p. q. 54 ad artic. 3.
b in cap. 27. Matth. num. 27.
c lib. 1. pag. 358.

19. His Sanctis rediuiuis Chriſto reſurgenti ſociatis, vt eos velut quædam reparatæ liba naturæ Patri offerret, ſi ſecluſa temerè quicquam definiendi præcipitatione Sanctum Latronem quis annumeret, aſtipulatorem me nec inuitus adiungam. Sic enim optimè accidet vt quem Chriſtus paſſionum & crucis ſocium habuit, reſurrectionis quoque habuerit & integræ redintegrato homine conſolationis. Sic Latro totus, cum toto Chriſto eſſe dicetur, non dimidius dumtaxat.

taxat. Et Chriſti promiſſio, quamuis (quod vnum verba ſonabant,) effectum ſortita ſit quoad animam, iam ex die ipſo obitus Latronis, tamen quādo poſt triduum ab ea morte poteſt quoque ad corpus pertingere, quid eſt quod vetet exiſtimare, Chriſti beneficentiam illuc vſque pertinuiſſe? Eccui verò congruentius ea immortalis vitæ prompta repenſio, facienda fuiſſe videri poterit, quàm illi qui adeò impigrè vocāti adhæſit, & omnibus blaſphemantibus ſtrenuè æquè ac piè celebrauit? Accedit quod nuſpiam ſacræ vllæ S. Latronis exuuiæ produntur, cum tamen veriſimile non videatur, paſſurum Chriſtum, vt tantus theſaurus infoſſus terræ perpetuò iaceret, ſi verè extaret in terris.

Nihil definio, & ſcio D. Auguſtinum alia omnia agentem obiter [a] affirmare [Corpus ſāncti Latronis ad futuram reſurrectionem, morte communi incluſum eſſe.] Videor tamen non improbabiliter coniectare, hominem cuius dilectio tantoperè incenſa in Chriſtum fuit nubilo tempore, à Chriſto ad pinguem (vt ſic dixerim) fortunam regreſſo, pleni gaudij ſui

a l. contra felicem c. 15.

ſui participem factum, & corpore ſimul ac anima, cœleſti fœlicitate donatum, præoccupata communi corporum anaſtaſi, vt quibuſdam aliis Sanctis conceſſum eſt ex priuilegio. Et [1] videtur etiam ad Chriſti decus ſpectaſſe, ſpolia hæc opima & raptam de lupi faucibus ſemeſam ouem, plenam & integram oſtẽtare in ſuo triumpho. Ea autem præoccupatione admiſſa, nihil attinet de ſtatu corporis ſancti Latronis admonere, cùm conſtet, corporis quod animæ beatæ organum fuit, fœlicem ſtatum ad conſertæ denuò animæ gloriam eſſe admetiendum. Itaque quod hîc nihil peculiare annotandum occurrat, pergo ad S.Latronis crucem, quæ vna ſupereſſe in terris poteſt, ex ſancti Latronis exuuiis.

20. Crucem Latronum depoſitorum vnâ cum Chriſti cruce, opera quorundam ex principibus Iudæorum terræ altè infoſſam fuiſſe, ſcribit Leo Imperator, epiſtola ad Vmarum Saracenorum Regem, [a] addens locum infoſſæ triplicis crucis vni tantùm innotuiſſe qui nemini dum viueret rem aperuit, [a] ſed ſub mortem dumtaxat; quod & ab eius nepotibus

a t.1. Bibliorh. & apud Greter. t.2. de Cruce.

bus ſimiliter ſeruatum ait, donec eorum vnus, poſt illata variis Iudæis tormenta, conſcius loci in quo tumulatæ fuerant cruces, deprehenſus eſt à Conſtantini matre, B. Helena, quæ Iudæum illum quod aperire arcanũ renueret, in puteo ſine cibo ac potu concluſum ad euulgationem adegit, tandémque oſtenſo loco inter fodiendum, fumus incenſi de fouea exiuit, oſtendens tres cruces, ante annos trecentos ibidem abditas: quarum quæ erat vera Crux Dominica, cadaueris cui admota conſultò eſt animatione, deprehenſa, ſummo deinceps honori fuit. Sic Leo, diſtinctiùs quàm plerique alij, quorum de crucis inuentione narrationes, in partem primam, ſecundi ſui de ſancta Cruce voluminis, retulit Gretſerus: Quanquam apud alios ibidem prolatos variantem in minutiis quibuſdam narrationem, facilè eſt deprehendere, v. g. ſtudio Iudæorum defoſſas cruces ſcribit Leo. At S. Paulinus epiſtola [a] qua crucis inuentionem latè deſcribit, ſtudioſorum Chriſti cura factum ſignificat, vt occulerentur cruces, Chriſti paſſi monimẽta, quæ Iudæi ſi comperta habuiſſent,

[a] 11. ad Seuerum.

exuſta

exuſta aut contrita voluiſſent, conterendæ Chriſtianitatis gratia. Item terræ infoſſas cruces, ait Leo. At Sozomenus[a] in parte antri quo Chriſtus conditus fuerat, repertas teſtatur. Vt quod Cardinalis Baronius [b] conſiderauit, minus mirum eſſe poſſit, non modò Crucem Domini, ac etiam crucem ſancti Latronis, quod poſſet miraculo tribui, ſed etiam crucem reprobi Latronis non penitus emarcuiſſe, per trecentos annos ſubtus terram deliteſcentem. Concordia videtur iniri poſſe, ſi dicamus, primùm quidem à Iudæorum miniſtris defoſſas humi Latronum cruces, ſeorſim à Cruce Domini, per ſanctos illos Chriſti pollinctores in antrum illata cum ſancto corpore. Vel quod Adricomius[c] affirmat, temerè coniectas in vallem cadauerum Caluariæ ſubiectam tres cruces, oppleta ſenſim ingeſtis ſordibus valle, obrutas fuiſſe. Poſtmodùm tamen ab Adriano, Chriſtiani nominis memoriam, loci iniuria obliterare cupiente, tres ſimul cruces omnibus ad Chriſti paſſionem quoquomodò attinentibus ſtudiosè quæſitis in idem antrum coniectas: Locum autem vniuerſum

a l. 3. hiſto. c. 1.

b ſ anno 326.

c in deſcrip. Hieroſ. num. 242.

ſum immẽſo aggere ſuperingeſto obrutum, & Idolomaniæ ſeruitutis, Iouis ac Veneris ſimulachris, dehonuſtatum fuiſſe. Helenam verò diſiectis ſimulachris, & altè egeſta terra, atque ruderibus, ad antrum tandem, ſimúlque repoſitas cruces, deueniſſe. Sic igitur defoſſæ, ſic erutæ cruces.

21. Quid deinde factum ſit Latronum crucibus, omittit Leo enarrare. Suidas [a]
a v. φόρος, tamen à Conſtantino Magno, ſub columna porphyretica defoſſas in Cõſtantinopolitanæ vrbis foro, ſcribit. Quæ quod indidem ſublatæ per Theodoſium Magnum leguntur apud eundem Suidam, flagitio Græci librarij factum eſt, qui vbi legendum fuerat ἀνασφαλισθέντα, corruptè exſcripſit ἀφανισθέντα, quod contrarium planè ſenſum facit. Vera ergo lectio, non fert ablata à Theodoſio, ſed munita ac firmata, ad diuturniorem conſeruationem, quæ ibidem à Conſtantino fuerant repoſita; nimirum varia Ieroſolymis aduecta monumenta: & in his quod partim idem Suidas, partim Cedrenus, [b]
b *in compend.* partim Nicephorus [c] eadem recenſentes
c *l 7. c. 49.* commemorant, vaſculum vnguenti

quo

Chriſtus vnctus fuerat,duodecim cophinos, & ſeptem ſportas eſcis mirabiliter multiplicatis nobiles; reliquias ſeptem panum, quibus benedictione conſecratis Chriſtus multitudinem pauit,panibus panes parientibus, & non de ſpicis, ſed de manu Domini effloreſcentibus, vt Baſilius Seleuciæ [a] ſcitè dixit: Nominatim verò cruces Latronum cum Chriſto ſuffixorum, quod de aliqua fortaſſis particula crucis ſancti Latronis accipiendum eſt. Nam ipſam crucem Cyprij, in templo quodam monaſterij montani non procul à Nicoſienſi ciuitate, exhibent; poſt altare abſque retinaculo, aſpectabili pendentem miraculo, vt quidam putant, vt alij humano artificio. Perſuaſum autem habent Cyprij, eam & S.Latronis crucem eſſe, & illuc aduectam fuiſſe à S.Helenâ; quæ Crucis Dominicæ particulam eidem cruci incluſiſſe dicitur, ad maiorem venerationem conciliandam. Hoc Felix Fabri, [b] hoc Lucas Tudenſis, [c] aliíque recentiores paſſim produnt:addítque Tudenſis,poſt collocatam in Cypro crucem prædictam, magnum inſulæ munus à Deo con-

a *orat.* 33.

b *in Itinerario.*

c *l.* 2. *contra Albigenſes c.* 19.

ceſſum, vt ſepulta inibi mortuorum corpora, quæ antea humus abiiciebat, poſtea quietè, ſepulchri azylo fruerentur. Quod verò Tudenſis, de non adoranda ſed amplectenda S. Latronis cruce addit, eo quòd ſolius Chriſti Crux ſit adoranda, pertinere poteſt ad litem de nomine. Cæteroquì enim, inſtrumentum quod vir Sanctus attactu ſuo ſanctificauit, & ſanguine imbuit, eam adorationem ſecundariam & venerationem participare debere, quam ſimilibus aliorum Sanctorum inſtrumentis piè deferimus Catholici, extra controuerſiam eſt. Viderint verò alij quomodò cum Tudenſis & aliorum narratione cohæreat, quod Primus Carilonenſis Epiſcopus [a] refert, crucem boni Latronis ſeruari Trauaxæ ciuitate Mediæ, vbi Catholicus, id eſt vniuerſalis Perſidis Metropolita, cui Archiepiſcopi duodeuiginti ſubſunt, ſedem habet.

[a] *in mappa mundi ſpirali V. Trauaxa.*

Patrum

Patrum in S Latronem Elogia, plena & breuia.

CAPVT XIV.

1. ESSENTIALEM S. Latronis fœlicitatē, eiúſque, vt nobis veriſimile eſt, ad corpus rediuiuũ diffuſionem, hactenus expoſitam dedimus. Nunc vt accidentalem beatitudinem attingamus, quatenus nobis aliqua ex parte poteſt innoteſcere, ab iis Patrum in S. Latronem laudationibus, aut iuſta oratione, aut vno alteróve verbo comprehenſis, auſpicamur, quibus peccatores ad ſpem veniæ animare Latronis exemplo, aut Chriſti potentiam, vel benignitatem aliúdve ſimile Dei aut Chriſti attributum in Latronis conuerſione proditum, patefacere, conniſi ſunt. Quod in S. Latronis accidentalem gloriam redundat, dum fideles, eius exemplo incenduntur ad bonum. Hîc enim nomine gloriæ accidentalis non intelligimus quicquid eſt extra eſſentiam me-

taphyſicam beatitudinis, qua ratione amor & gaudium iuxta veriſimiliorem ſententiam dicerentur actus accidentales beatitudini, cum tamē omnium conſenſu ſint partes eius ſubſtantiales & quaſi integrantes ac conſummantes; quandoquidem habent pro obiecto immediato ipſum Deum. Neque itē nomine accidentalis beatitudinis intelligimus hoc loco, ea quæ ita ſunt extra cōnſtitutionē & conſummationē beatitudinis eſſentialis, vt tamē ad modū accidentium inſeparabilium aſſectentur infallibiliter beatitudinem, eo modo qui vnicuique beato debetur, cuiuſmodi ſunt aureolæ, gaudia de bonis operibus elicitis in via, honor mutuus beatorum, & quem habent apud Deum, cognitio creaturarum in proprio genere ratione ſtatus beatifici obueniens, & ſi quæ ſunt alia eiuſmodi. Nomine ergo accidentalis beatitudinis, intelligimus hoc loco, illa præmia quæ ex peculiari fauore conceduntur Beato, nec aſſectantur neceſſariò vel inſeparabiliter beatitudinem ſed ei contingenter & ſeparabiliter accreſcunt pro variis occaſionibus. Qua ratione, gaudium quod

S. Latro

S. Latro accipit ex eo quod collaudata Dei in ipſo curando peritia & benignitas, ſit alicui incentiuum, vt admoueri ſibi curationem à Deo velit, ad fœlicitatem eius accidentalem pertinet. Sicut è contra, quod quis damnati hominis vel libro vel factis, ad offendendum numen excitetur, ad acceſſionem aliquam damnationis ſpectat, vt rectè de Marcionis libris agens, docet S.Baſilius.[a] Itaque non malè hoc loco illis de laudationibus agemus, mox ſubiuncturi illuſtriora quædam exempla, eorum qui propoſito S.Latronis exemplo, pœnitentiam conceperunt.

[a] *lib. de vera virginit.*

2. Plenas & iuſtæ magnitudinis laudationes Latronis ſancti, habuerunt grauiſſimi Patres, non modò interpretantes ea Euangelicæ narrationis capita, quibus Chriſti paſſio & Latronis conuerſio deſcribitur; ſed etiam ſeorſim. Hyppolitum perantiquum Epiſcopum & martyrem, orationem ſcripſiſſe de duobus Latronibus, Theodoretus author eſt,[b] aliquas ex ea oratione plagulas delibans. Apud Chryſoſtomum de cruce & Latrone homiliæ binæ leguntur; quarum priorem

[b] *dialo. 3.*

ex Græcis codicibus, Græcè, & longè fidelius Latinè quam antea expreſſam, ſuis collectaneis orationum de cruce inſeruit Iacobus Gretſerus. Eſtque planè eadem cum ſermone 130. de tempore, apud Auguſtinum, niſi quod apud iſtum in fine ſermonis, deſiderantur nonnulla quibus apud Chryſoſtomum clauditur prædicta oratio ſiue homilia. Eam ego vt ab Auguſtino, ex Græco Chryſoſtomi Latinè expreſſam credam, eo modo quo videmus S. Ambroſium, qui rerum forenſium quàm ſacrarum peritior in Epiſcopum electus fuerat, integras S. Baſilij orationes Latinè factas habuiſſe ad populum, ægrè omnino adducor vt credam: prҿſertim cum ſermonibus qui Auguſtini nomine circumferuntur de tempore ac de Sanctis, plurimos contineri non Auguſtinianos ſit indubitatum, id quod etiam in exemplo mox demonſtrabo. Ex ea priore Chryſoſtomi oratione, non modò bona pars alterius quҿ eodem de cruce & Latrone titulo præfixa continenter ſubijcitur, ſed etiam integrè alia homilia quæ de Latrone inſcribitur, conſarcinata eſt. Eius initium eſt *Lectio Euangelij*.

Auguſtini nomine, legitur ſermo 120. de tempore, qui totus in Latronis celebratione inſumitur, quamuis titulum præferat de generis humani reparatione. Non eſt tamen Auguſtini, ſed Eucherij vel Euſebij Gallicani, inter cuius homilias habetur, titulo homiliæ de Latrone. Vt hinc quoque videas, quod paulò antè affirmabam, inter ſermones Auguſtini de tempore nonnullos eſſe alieni ingenij fœtus, perperàm ſuppoſitos Auguſtino. Similiter qui apud Ambroſium inſerti habentur ſermones de S. Latrone, numerantúrque inter Ambroſij ſermones, quadrageſimus quartus, & quadrageſimus quintus, Maxim. Taurinienſis ſunt, non Ambroſij. Id quod etiam de bona parte ſermonum S. Ambroſio adſcriptorum, perſpicuum eſt. Arnoldus Abbas tractatum ſecundum de vltimis Domini verbis Latroni ſancto exornando addixit. Item Gaufridi Vindocinenſis, ſermo decimus, eſt de S. Latrone, nec non ſermo vnicus S. Vincentij in feriam 4. maioris hebdomadę. Recens inter ſermones nouos S. Fulgentij, proximè addendos locupletiori noſtrę eiuſdem Do-

ctoris operum editioni, nacti ſumus de hoc argumento ſermones duos 28. & 29.

Hæ occurrunt iuſtæ ac integræ de S. Latrone lucubrationes, vel homiliæ. Quibus adiungi iure poſſint, quæ de eo apud aliquos, per aliam quidem occaſionem, & inter tractandum aliud argumentum, ſed tamen fusè ac plenè traduntur. Cuiuſmodi in primis eſt, excellens omnino de Latronis virtutibus ac meritis excurſio, quæ intexta eſt ſermoni de cœco à natiuitate apud Chryſoſtomum.[a] Item quæ habetur apud Athanaſium[b] & alia apud Drogonem,[c] ac denique alia apud Anſelmum.[d]

a tomo 6. Græcol.
b ſerm. in paraſceuem.
c libello de Incarnat. Dominici ſacram.
d alloquio cœleſti 30.

3. Nunc illuſtria quædam ſancti Latronis agnomina quibus à Patribus appellatur, iuuat attexere: quæ ſunt breuia illa elogia, ſupra iuſtas tractationes, hîc addenda, vt ſuprà recepi. Tumultuariè ea in hunc ſyllabum congeram, prout in memoriam & calamum incident.

e ſerm in paraſc.

Evangelista. S. Athanaſius[e] tractans Latronis orationem, [tanquam Latro crucifixus es ô bone, & repente Euangeliſta euaſiſti? Eodem modo Latronem

tronem appellat Baſilius Seleuciꝫ.[a] [Latro Chriſtum vel crucifixum prædicabat, & reus, erat Euangeliſta, dolorem clauorum præ Domini deſiderio nihil æſtimans.]

a *orat.* 17.

Dictator Evangelii. Arnoldus Abbas.[b]

b *tract. de ſecundo verbo Chriſti.*

Propheta. Id eſt prędicator & enarrator magnitudinis Chriſti: qua ratione apud Apoſtolum, & ſępè alibi in ſcripturis, vſurpatur vox Prophetæ. Hoc ſenſu ſic loquitur de Latrone S. Chryſoſtomus.[c] [O potentiam Iesv. Latro iam propheta eſt, & è cruce prædicat. Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum.] Penſanda Latronis concio, quàm plena & è quàm variis gentibus, quæ per diei feſti occaſionem Hieroſolymam conuenerant, & ad ſpectaculum Chriſti configendi accurrerant numero propè immenſo, vt ſuprà expendi, agens de Latronis S. fortitudine. Ad eam numeroſiſſimam coucionem, centum plus minus millium hominum, (ea certè audiente aut adſtante,) Latro de crucis ſuæ ſuggeſto, prædicauit, Chriſtum eſſe verum Meſſiam. Quidni ergo

c *ſerm.* 2. *in paraſc.*

Euangelicus prædicator iure audiat?

4. Concionator Illvstris. Arnoldus.[a][Ibi igitur philoſophatur,& prędicat, & fatetur, vbi non tantùm diffugiunt & tremunt Apoſtoli, ſed & ipſi maligni ſpiritus, iam iam impoſiti ſibi fræni ſaliuaria maſticantes, per antiquum organum ſuum (linguam fœmineam,) nitebantur colligationes illas impietatis diſſoluere, ſciẽtes quia fortis armatus hic, ancipiti gladio, erat eos de diù poſſeſſo huius mundi atrio eiecturus. Itaque concionator illuſtris, oblato confeſſionis & fidei adoramento, impoſitóque Latroni blaſphemanti, ſilentio, victoriæ ſuæ palmam & auctoramentum à Iudice exigens, ad Chriſtum conuertitur, & dicit: *Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum.*]

[a] *de ſecundo Chriſti verbo.*

Confessor. Et hoc ſatis propriè. Nam quamuis in quodam vocis rigore, olim dicti tantùm ſunt confeſſores qui Chriſtum interpellati fatebantur, eóque nomine à profeſſoribus, qui vltrò ſe ad id ingerebant, ſecreti ſint, ſicque apertè voces confitendi & profitendi ſecernat S. Cypr.[b] tamen laxata tantiſper notione,

[b] *epiſt.* 82.

tione, omnes Chriſti veræque fidei aſſertores, dicti confeſſores. Id quod etiam vocis cortex præfert. Hoc ſenſu paſſim à Patribus Latro dicitur Confeſſor. Eucherius.[a] Nondũ diſcipulus, & iã magiſter, atq; ex Latrone cõfeſſor.] S. Auguſtinus.[b] [Chriſtus pro impiis mortuus eſt mox ſacculũ carnis ſuæ, in Crucis ligno perſoluit, & pretium noſtrum exactori reddidit. Ibi ſtatim illum Latronem fecit confeſſorem, vt per eum, impiorum reſtauraret ruinam. Videte redemptum quem Diabolus poſſederat homicidam. Videte Dominum virtutum & in ipſa morte miracula facientem. Tunc Latro confitebatur, quando Petrus turbabatur. Tunc iſte agnouit, quando ille negauit. Sed nunquid quia Dominus acquiſiuit Latronem, Petrum perdidit negatorem? Abſit, abſit. Agebat myſterium, qui fundebat pretium; In Petro demonſtrans, non in ſe quemquam iuſtum debere præſumere: in Latrone nullum impium conuerſum, poſſe perire. Timeat bonus ne pereat per ſuperbiam, non deſperet malus de multa malitia.]

S. Gregorius,[c] [Parce mihi Domine,

Cle

a *hom de Latr.*

b *l. 2. de ſymbo ad Catechu. c. 6.*

c *in apolo. 1. ad finem libri ſacramentorum.*

Clementiſſime, pœnitenti; qui Dauid poſt lapſum clementer ad veniam reuocaſti; qui Petri miſericors amarè flentis lachrymas reſpexiſti; qui Latronem in Crucis patibulo tanti facinoris reum, Diuina gratia illuſtraſti: cui mox obtinuit confeſſio perſpicua Dei filium, fides præmium, pœna veniam, lamenta gaudia ſempiterna: dum Confeſſor in Cruce, poſſeſſor extitit paradiſi poſt Crucem.]

a c. 11. 5. MARTYR Multi ſupra relati [a] vbi etiam expoſitum eſt, quomodo accipiẽda ſit hęc Latronis appellatio. Ab authore libri de operibus Chriſti Cardinalibus, vt ibidem retuli, appellatur *Collega martyrij Chriſti.* Sed cum in Latrone martyrium non fuerit preſsè ac propriè dictum, quale reuera fuit Chriſti martyrium, agnoſcenda eſt in voce *collegæ*, quædam proportio, non tamen vniformitas, & vt ita dicam, homogeneitas. Neque enim eodem Martyrij genere ac modo propriè dicto, quo Chriſtus, eodẽ Latro martyr fuit. Siquidem hic non niſi martyr patientiæ fuit: Chriſtus autem in omni rigore, vt agnouit Damaſcenus [b]

b *l. 4. de fide c. 10. in 7. ſpecie baptiſmi.*

S. Max.

S.Max.[a] exponens calicem martyrij. *a ſerm. 1. de S.Cyp.*

Discipvlvs probvs Christi. Quod Latronem nondum diſcipulum, dixit Eucherius, [b] iam fuiſſe confeſſorem, intelligendum eſt, de diſciplina externa quam ille à Chriſto non hauſerat, cùm collegam primò alloqueretur. Nec enim adhuc exceperat voces illas, quibus Chriſtus confeſſionem Latronis ex interiore diſciplina altæ & ſecretæ ſcholæ profectam, ratam habuit. Itaque propriè, internæ illius ſcholæ magiſterio, euaſit in diſcipulum Chriſti optimum. Ita Patres. Chryſoſtomus[c] [Latro truculentiſſimus fuit homicida, ſed paradiſi Ciuis effectus eſt. Nec Iudæ profuit quod Magiſtrum diſcipulus ſequebatur, ſed periit: Latro autem in cruce, probum ſe diſcipulum fecit. Hæc Dei mirabilia ſunt, ſic Magi comprobati: ſic publicanus Euãgelium cecinit, ſic Paulus è blaſphemo in Apoſtolum euaſit. Hæc conſiderans non deſpera, ſed miſericordia Domini fretus, excita teipſum, viam ſolummodò facere incipias, & citò peruenies.] Non excludit gratiam præuenientem, vt alibi demonſtro: ſed ſuppoſita præuentione,

b hom. de Latrone.

c homi 68. in Matth.

trone,qui eorum tãquam primitiæ quædam ac princeps fuit, & ſimul ſecum eſt crucifixus,reſtituit: *amen,amen* (inquiẽs) *dico tibi,hodie mecum eris in paradiſo.*]Petrus Damiani [a] [Crux Latronem cœlo, vt reuera ſui fructus primitias, intulit: & per hunc paradiſi ianuas, quas deinceps electi omnes ſcanderẽt,patefecit? Enimuerò Cherubin ille, qui rompheam excluſionis acceperat, ſignaculum in eo crucis aſpexit,cui ſe nequaquam contradictor oppoſuit. Nec eius Crucis certè, quam pertulit, ſed illius potius, cuius myſterium credidit, in cuius virtute ſuperauit, dicens: *Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum.*]Et mox[dixerat Dominus]: *ego ſi exaltatus fuero à terra,omnia traham ad meipſum.* Eorum itaque qui trahendi erant,Latro præuius fuit, cui mox dixit: *hodie mecum eris in paradiſo.* Quem ergo de perpetuæ mortis laqueo primum traxit,hunc ad vitam primitùs introduxit.] Inſignit etiam hoc nomine S. Latronem Taulerus. [b] & gemina eſt locutio Arnoldi Abbatis, vocantis Latronem *primitias derelictorum.* Et in fine tractatus, ait, [hunc teſtem libertate

a *ſerm.de exalt.S. Crucis*

b *c.43. exercitiorum de vita & paſſ. Domini.*

bertate donatum,primitias libertatis noſtræ paradiſi ciuibus expectantibus primum inuexiſſe.]

Fvr Paradisi. Chryſoſtomus [a] [Vnus erat Latro & corpore & mente proximus: Alter alteri quidem vicinus, ſed multùm corde diuiſus. Pendebat Chriſtus in medio, & tanquam fulgebat in throno.Cõfitebatur vnus & honorificabat,alter incredulus blaſphemabat.Iudex modò dictat vni ſententiam, alteri porrigit indulgentiam. O mira rerum conuerſio.Latro credit, & Iudæa fremit. Fecit Latro de cruce impetum, & intrauit paradiſum romphæa flammea circundatum, Iudæa verò amiſit lumen, quando perdidit Solem, ſicut ſcriptum eſt; *ſupercecidit ignis, & non viderunt ſolem*. O violentum Latronem! ô artificioſæ effractionis vim! Ipſum clauicularium tenuit, & per ipſum ad paradiſi interiora peruenit.] Idem alibi [b] [vidiſti quomodo neque in cruce artis ſuæ obliuiſcitur,ſed per ipſam confeſſionem, prædatur regnum.] Et alibi [c] [Video Latronem qui me aſſiduè per vim ad ſe rapit. Neque mirum: etenim paradiſi portas per vim

a *hom. 3. de reſurr. &.*

b *orat in paraſc.*

c *orat. 2.*

ex Græcis codicibus, Græcè, & longè fidelius Latinè quam antea expreſſam, ſuis collectaneis orationum de cruce inſeruit Iacobus Gretſerus. Eſtque planè eadem cum ſermone 130. de tempore, apud Auguſtinum, niſi quod apud iſtum in fine ſermonis, deſiderantur nonnulla quibus apud Chryſoſtomum clauditur prædicta oratio ſiue homilia. Eam ego vt ab Auguſtino, ex Græco Chryſoſtomi Latinè expreſſam credam, eo modo quo videmus S. Ambroſium, qui rerum forenſium quàm ſacrarum peritior in Epiſcopum electus fuerat, integras S. Baſilij orationes Latinè factas habuiſſe ad populum, ægrè omnino adducor vt credam: prȩſertim cum ſermonibus qui Auguſtini nomine circumferuntur de tempore ac de Sanctis, plurimos contineri non Auguſtinianos ſit indubitatum, id quod etiam in exemplo mox demonſtrabo. Ex ea priore Chryſoſtomi oratione, non modò bona pars alterius quȩ eodem de cruce & Latrone titulo præfixa continenter ſubijcitur, ſed etiam integrè alia homilia quæ de Latrone inſcribitur, conſarcinata eſt. Eius initium eſt *Lectio Euangelij.*

Auguſtini nomine, legitur ſermò 120. de tempore, qui totus in Latronis celebratione inſumitur, quamuis titulum præferat de generis humani reparatione. Non eſt tamen Auguſtini, ſed Eucherij vel Euſebij Gallicani, inter cuius homilias habetur, titulo homiliæ de Latrone. Vt hinc quoque videas, quod paulò antè affirmabam, inter ſermones Auguſtini de tempore nonnullos eſſe alieni ingenij fœtus, perperàm ſuppoſitos Auguſtino. Similiter qui apud Ambroſium inſerti habentur ſermones de S.Latrone, numerantúrque inter Ambroſij ſermones, quadrageſimus quartus, & quadrageſimus quintus, Maxim. Taurinienſis ſunt, non Ambroſij. Id quod etiam de bona parte ſermonum S. Ambroſio adſcriptorum, perſpicuum eſt. Arnoldus Abbas tractatum ſecundum de vltimis Domini verbis Latroni ſancto exornando addixit. Item Gaufridi Vindocinenſis, ſermo decimus, eſt de S.Latrone, nec non ſermo vnicus S. Vincentij in feriam 4. maioris hebdomadę. Recens inter ſermones nouos S. Fulgentij, proximè addendos locupletiori noſtrę eiuſdem Do-

ctoris operum editioni, nacti ſumus de hoc argumento ſermones duos 28. & 29.

Hæ occurrunt iuſtæ ac integræ de S. Latrone lucubrationes, vel homiliæ. Quibus adiungi iure poſſint, quæ de eo apud aliquos, per aliam quidem occaſionem, & inter tractandum aliud argumentum, ſed tamen fusè ac plenè traduntur. Cuiuſmodi in primis eſt, excellens omnino de Latronis virtutibus ac meritis excurſio, quæ intexta eſt ſermoni de cœco à natiuitate apud Chryſoſtomum.[a] Item quæ habetur apud Athanaſium[b] & alia apud Drogonem,[c] ac denique alia apud Anſelmum.[d]

3. Nunc illuſtria quædam ſancti Latronis agnomina quibus à Patribus appellatur, iuuat attexere: quæ ſunt breuia illa elogia, ſupra iuſtas tractationes, hîc addenda, vt ſuprà recepi. Tumultuariè ea in hunc ſyllabum congeram, prout in memoriam & calamum incident.

Evangelista. S. Athanaſius[e] tractans Latronis orationem, [tanquam Latro crucifixus es ô bone, & repente Euangeliſta euaſiſti? Eodem modo Latronem

a tomo 6. Græcol.
b ſerm. in paraſceuem.
c libello de Incarnat. Dominici ſacram.
d alloquio cœleſti 30.
e ſerm in paraſc.

tronem appellat Baſilius Seleuciẹ.[a] [Latro Chriſtum vel crucifixum prædicabat, & reus, erat Euangeliſta, dolorem clauorum præ Domini deſiderio nihil æſtimans.]

a *orat.* 17.

Dictator Evangelii. Arnoldus Abbas.[b]

b *tract. de ſecundo verbo Chriſti.*

Propheta. Id eſt prẹdicator & enarrator magnitudinis Chriſti: qua ratione apud Apoſtolum, & ſẹpè alibi in ſcripturis, vſurpatur vox Prophetæ. Hoc ſenſu ſic loquitur de Latrone S. Chryſoſtomus.[c] [O potentiam Iesv. Latro iam propheta eſt, & è cruce prædicat. Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum.] Penſanda Latronis concio, quàm plena & è quàm variis gentibus, quæ per diei feſti occaſionem Hieroſolymam conuenerant, & ad ſpectaculum Chriſti configendi accurrerant numero propè immenſo, vt ſuprà expendi, agens de Latronis S. fortitudine. Ad eam numeroſiſſimam coucionem, centum plus minus millium hominum, (ea certè audiente aut adſtante,) Latro de crucis ſuæ ſuggeſto, prædicauit, Chriſtum eſſe verum Meſſiam. Quidni ergo

c *ſerm.* 2. *in paraſc.*

Euangelicus prædicator iure audiat?

4. CONCIONATOR ILLVSTRIS. Arnoldus.[a] [Ibi igitur philoſophatur, & prędicat, & fatetur, vbi non tantùm diffugiunt & tremunt Apoſtoli, ſed & ipſi maligni ſpiritus, iam iam impoſiti ſibi fræni ſaliuaria maſticantes, per antiquum organum ſuum (linguam fœmineam,) nitebantur colligationes illas Impietatis diſſoluere, ſciẽtes quia fortis armatus hic, ancipiti gladio, erat eos de diù poſſeſſo huius mundi atrio eiecturus. Itaque concionator illuſtris, oblato confeſſionis & fidei adoramento, impoſitóque Latroni blaſphemanti, ſilentio, victoriæ ſuæ palmam & auctoramentum à Iudice exigens, ad Chriſtum conuertitur, & dicit: *Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum.*]

a *de ſecundo Chriſti verbo.*

CONFESSOR. Et hoc ſatis propriè. Nam quamuis in quodam vocis rigore, olim dicti tantùm ſunt confeſſores qui Chriſtum interpellati fatebantur, eóque nomine à profeſſoribus, qui vltrò ſe ad id ingerebant, ſecreti ſint, ſicque apertè voces confitendi & profitendi ſecernat S. Cypr.[b] tamen laxata tantiſper notione,

b *epiſt.* 82.

tione,

tione, omnes Chriſti veræque fidei aſſertores, dicti confeſſores. Id quod etiam vocis cortex præfert. Hoc ſenſu paſſim à Patribus Latro dicitur Confeſſor. *a hom de Latr.* Eucherius.[a] Nondũ diſcipulus, & iã magiſter, atq; ex Latrone cõfeſſor.] S. Auguſtinus.[b] [Chriſtus pro impiis mortuus eſt *b l 2. de ſymbo ad Catechu. c. 6.* mox ſacculũ carnis ſuæ, in Crucis ligno perſoluit, & pretium noſtrum exactori reddidit. Ibi ſtatim illum Latronem fecit confeſſorem, vt per eum, impiorum reſtauraret ruinam. Videte redemptum quem Diabolus poſſederat homicidam. Videte Dominum virtutum & in ipſa morte miracula facientem. Tunc Latro confitebatur, quando Petrus turbabatur. Tunc iſte agnouit, quando ille negauit. Sed nunquid quia Dominus acquiſiuit Latronem, Petrum perdidit negatorem? Abſit, abſit. Agebat myſterium, qui fundebat pretium; In Petro demonſtrans, non in ſe quemquam iuſtum debere præſumere: in Latrone nullum impium conuerſum, poſſe perire. Timeat bonus ne pereat per ſuperbiam, non deſperet malus de multa malitia.] *c in apolo. 1. ad finem libri ſacramentorum.*

S. Gregorius,[c] [Parce mihi Domine,

Cle

Clementiſſime, pœnitenti; qui Dauid poſt lapſum clementer ad veniam reuocaſti; qui Petri miſericors amarè flentis lachrymas reſpexiſti; qui Latronem in Crucis patibulo tanti facinoris reum, Diuina gratia illuſtraſti: cui mox obtinuit confeſſio perſpicua Dei filium, fides præmium, pœna veniam, lamenta gaudia ſempiterna: dum Confeſſor in Cruce, poſſeſſor extitit paradiſi poſt Crucem.]

[a] c. 11.

5. MARTYR Multi ſupra relati [a] vbi etiam expoſitum eſt, quomodo accipiẽda ſit hęc Latronis appellatio. Ab authore libri de operibus Chriſti Cardinalibus, vt ibidem retuli, appellatur *Collega martyrij Chriſti.* Sed cum in Latrone martyrium non fuerit preſsè ac propriè dictum, quale reuera fuit Chriſti martyrium, agnoſcenda eſt in voce *collegæ*, quædam proportio, non tamen vniformitas, & vt ita dicam, homogeneitas. Neque enim eodem Martyrij genere ac modo propriè dicto, quo Chriſtus, eodẽ Latro martyr fuit. Siquidem hic non niſi martyr patientiæ fuit: Chriſtus autem in omni rigore, vt agnouit Damaſcenus [b]

[b] *l. 4. de fide c. 10. in 7. ſpecie baptiſmi.*

S. Max.

S.Max. [a] exponens calicem martyrij. *[a] ſerm. 1. de S.Cyp.*

DISCIPVLVS PROBVS CHRISTI. Quod Latronem nondum diſcipulum, dixit Eucherius, [b] iam fuiſſe confeſſorem, intelligendum eſt, de diſciplina externa quam ille à Chriſto non hauſerat, cùm collegam primò alloqueretur. Nec enim adhuc exceperat voces illas, quibus Chriſtus confeſſionem Latronis ex interiore diſciplina altæ & ſecretæ ſcholæ profectam, ratam habuit. Itaque propriè, internæ illius ſcholæ magiſterio, euaſit in diſcipulum Chriſti optimum. Ita Patres. Chryſoſtomus [c] [Latro truculentiſſimus fuit homicida, ſed paradiſi Ciuis effectus eſt. Nec Iudæ profuit quod Magiſtrum diſcipulus ſequebatur, ſed periit: Latro autem in cruce, probum ſe diſcipulum fecit. Hæc Dei mirabilia ſunt, ſic Magi comprobati: ſic publicanus Euãgelium cecinit, ſic Paulus è blaſphemo in Apoſtolum euaſit. Hæc conſiderans non deſpera, ſed miſericordia Domini fretus, excita teipſum, viam ſolummodò facere incipias, & citò peruenies.] Non excludit gratiam præuenientem, vt alibi demonſtro: ſed ſuppoſita præuentione,

[b] hom. de Latrone.

[c] homi 68. in Matth.

tione, alacritatem liberæ cooperationis expoſuit. Verùm hæc alibi S. Auguſtinus [a] declarans quomodo S. Latro & S. Paulus non ſint excluſi ab ea Chriſti oratione in extrema cœna. *Non pro his autem rogo tantùm, ſed & pro his qui credituri ſunt per verbum eorum in me*, oſtendit ſicut S. Paulus, non ab hominibus neque per hominem edoctus eſt fidem Chriſti, ita neque Latronem [qui tunc credidit, quando in ipſis Doctoribus fides quæ fuerat qualiſcunque, defecit.] Quare & ipſe quoque, per Chriſti reuelationem didicit, eiúſque vnicus diſcipulus fuit, quamuis dicatur crediſſe per verbum eorum pro quibus tunc Chriſtus orabat, quia credidit per verbum fidei, quod illi in mũdo prędicatur ierant, eorúmq; verbum dicitur, [quod ab ipſis eſt primitùs & præcipuè prædicatum.] Verè igitur θεοδίδακτος Latro, potiori iure quàm fabuloſi illi apud Tyrium.[b] [Nõ humana eius ſunt verba, (ait Laurentius Iuſtinianus)[c] neque ſcientia mortaliũ acquiſita, ſed fideliſſima, vera, profunda, cœleſtis, diuináque. Illa didicerat reuelante Patre, miniſtrante verbo, & certificante ſpiritu D.

a *tract. 109. in Ioan.*

b *diſſert. 22. n. 127.*

c *de triũpha. Chriſ. agone c. 18.*

Augu

Auguſtinus non abludit. [d] [Crux illa, ſchola erat. Ibi docuit Magiſter Latronem. Lignum pendentis, cathedra factum eſt, docentis.] *d ſerm. 87. de diuerſ.*

6. PRIMITIÆ CRVCIS CHRISTI, atq; CREDENTIVM. Primitias S. Ambroſius veluti quædam reparatæ liba naturæ definit, & idcircò alibi [a] Apoſtolos primitias ſpiritus habentes, deſcribit tanquam ſanctiores tota areæ meſſe; vt fert primitiarum notio, & Chriſtus ipſe dictus primitiæ dormientium, [quia ſanctior omnibus fructus qui etiam cæteros conſortij ſui fructus ſignificauit.] Concludit S. Ambroſius, [Primitiæ ergo noſtræ Apoſtoli, electi ex omnibus præſentis temporis fructibus.] Quanto ergo potiori iure, primitiæ Latro, qui primus Chriſtum ſecutus in regnum, ante omnes Apoſtolos exceſſit è vita? S. Cyrillus [b] Alex. ita tradit verbis illis. [Iacentem humi naturam hominis apprehendit, cúmq; nos ferali nequitia peccatorúmque veneno exuiſſet, reduxit per ſanctificationem ad honorem illum regium, & ad virtutis manſuetudinem, illúdque vetus domicilium credentibus in eo Latrone

a epiſt. 22.

b l. 2. de adorat.

ex Græcis codicibus, Græcè, & longè fidelius Latinè quam antea expreſſam, ſuis collectaneis orationum de cruce inſeruit Iacobus Gretſerus. Eſtque planè eadem cum ſermone 130. de tempore, apud Auguſtinum, niſi quod apud iſtum in fine ſermonis, deſiderantur nonnulla quibus apud Chryſoſtomum clauditur prædicta oratio ſiue homilia. Eam ego vt ab Auguſtino, ex Græco Chryſoſtomi Latinè expreſſam credam, eo modo quo videmus S. Ambroſium, qui rerum forenſium quàm ſacrarum peritior in Epiſcopum electus fuerat, integras S. Baſilij orationes Latinè factas habuiſſe ad populum, ægrè omnino adducor vt credam: pręſertim cum ſermonibus qui Auguſtini nomine circumferuntur de tempore ac de Sanctis, plurimos contineri non Auguſtinianos ſit indubitatum, id quod etiam in exemplo mox demonſtrabo. Ex ea priore Chryſoſtomi oratione, non modò bona pars alterius quę eodem de cruce & Latrone titulo præfixa continenter ſubijcitur, ſed etiam integrè alia homilia quæ de Latrone inſcribitur, conſarcinata eſt. Eius initium eſt *Lectio Euangelij*. Augu

Auguſtini nomine, legitur ſermo 120. de tempore, qui totus in Latronis celebratione inſumitur, quamuis titulum præferat de generis humani reparatione. Non eſt tamen Auguſtini, ſed Eucherij vel Euſebij Gallicani, inter cuius homilias habetur, titulo homiliæ de Latrone. Vt hinc quoque videas, quod paulò antè affirmabam, inter ſermones Auguſtini de tempore nonnullos eſſe alieni ingenij fœtus, perperàm ſuppoſitos Auguſtino. Similiter qui apud Ambroſium inſerti habentur ſermones de S. Latrone, numerantúrque inter Ambroſij ſermones, quadrageſimus quartus, & quadrageſimus quintus, Maxim. Taurinienſis ſunt, non Ambroſij. Id quod etiam de bona parte ſermonum S. Ambroſio adſcriptorum, perſpicuum eſt. Arnoldus Abbas tractatum ſecundum de vltimis Domini verbis Latroni ſancto exornando addixit. Item Gaufridi Vindocinenſis, ſermo decimus, eſt de S. Latrone, nec non ſermo vnicus S. Vincentij in feriam 4. maioris hebdomadę. Recens inter ſermones nouos S. Fulgentij, proximè addendos locupletiori noſtrę eiuſdem Do-

ctoris operum editioni, nacti ſumus de hoc argumento ſermones duos 28. & 29.

Hæ occurrunt iuſtæ ac integræ de S. Latrone lucubrationes, vel homiliæ. Quibus adiungi iure poſſint, quæ de eo apud aliquos, per aliam quidem occaſionem, & inter tractandum aliud argumentum, ſed tamen fusè ac plenè traduntur. Cuiuſmodi in primis eſt, excellens omnino de Latronis virtutibus ac meritis excurſio, quæ intexta eſt ſermoni de cœco à natiuitate apud Chryſoſtomum.[a] Item quæ habetur apud Athanaſium[b] & alia apud Drogonem,[c] ac denique alia apud Anſelmum.[d]

a tomo 6. Græcol.
b ſerm. in paraſceuem.
c libello de Incarnat. Dominici ſacram.
d alloquio cœleſti 30.

3. Nunc illuſtria quædam ſancti Latronis agnomina quibus à Patribus appellatur, iuuat attexere: quæ ſunt breuia illa elogia, ſupra iuſtas tractationes, hîc addenda, vt ſuprà recepi. Tumultuariè ea in hunc ſyllabum congeram, prout in memoriam & calamum incident.

e ſerm in paraſc.

Evangelista. S. Athanaſius[e] tractans Latronis orationem, [tanquam Latro crucifixus es ô bone, & repente Euangeliſta euaſiſti? Eodem modo Latronem

tronem appellat Baſilius Seleucię.[a] [La- *a orat, 17.*
tro Chriſtum vel crucifixum prædica-
bat, & reus, erat Euangeliſta, dolorem
clauorum præ Domini deſiderio nihil
æſtimans.]

Dictator Evangelii. Arnoldus
Abbas.[b] *b tract. de ſecundo verbo Chriſti.*

Propheta. Id eſt prędicator & enar-
rator magnitudinis Chriſti: qua ratione
apud Apoſtolum, & ſępè alibi in ſcriptu-
ris, vſurpatur vox Prophetæ. Hoc ſenſu
ſic loquitur de Latrone S. Chryſoſto-
mus.[c] [O potentiam Iesv. Latro iam *c ſerm. 2. in paraſc.*
propheta eſt, & è cruce prædicat. Me-
mento mei Domine, dum veneris in re-
gnum tuum.] Penſanda Latronis con-
cio, quàm plena & è quàm variis genti-
bus, quæ per diei feſti occaſionem Hie-
roſolymam conuenerant, & ad ſpecta-
culum Chriſti configendi accurrerant
numero propè immenſo, vt ſuprà expen-
di, agens de Latronis S. fortitudine. Ad
eam numeroſiſſimam coucionem, cen-
tum plus minus millium hominum, (ea
certè audiente aut adſtante,) Latro de
crucis ſuæ ſuggeſto, prædicauit, Chri-
ſtum eſſe verum Meſſiam. Quidni ergo

Euangelicus prædicator iure audiat?

4. CONCIONATOR ILLVSTRIS. Arnoldus.[a][Ibi igitur philoſophatur,& prędicat, & fatetur, vbi non tantùm diffugiunt & tremunt Apoſtoli, ſed & ipſi maligni ſpiritus, iam iam impoſiti ſibi fræni ſaliuaria maſticantes, per antiquum organum ſuum (linguam fœmineam,)nitebantur colligationes illas Impietatis diſſoluere,ſciẽtes quia fortis armatus hic, ancipiti gladio, erat eos de diù poſſeſſo huius mundi atrio eiecturus. Itaque concionator illuſtris, oblato confeſſionis & fidei adoramento, impoſitóque Latroni blaſphemanti, ſilentio, victoriæ ſuæ palmam & auctoramentum à Iudice exigens, ad Chriſtum conuertitur,& dicit: *Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum.*]

a de ſecundo Chriſti verbo.

CONFESSOR. Et hoc ſatis propriè. Nam quamuis in quodam vocis rigore, olim dicti tantùm ſunt confeſſores qui Chriſtum interpellati fatebantur, eóque nomine à profeſſoribus, qui vltrò ſe ad id ingerebant, ſecreti ſint, ſicque apertè voces confitendi & profitendi ſecernat S. Cypr.[b] tamen laxata tantiſper notione,

b *epiſt.* 82.

tione,

tione, omnes Chriſti veræque fidei aſſertores, dicti confeſſores. Id quod etiam vocis cortex præfert. Hoc ſenſu paſſim à Patribus Latro dicitur Confeſſor. Eucherius.[a] Nondũ diſcipulus, & iã magiſter, atq; ex Latrone cõfeſſor.] S. Auguſtinus.[b] [Chriſtus pro impiis mortuus eſt mox ſacculũ carnis ſuæ, in Crucis ligno perſoluit, & pretium noſtrum exactori reddidit. Ibi ſtatim illum Latronem fecit confeſſorem, vt per eum, impiorum reſtauraret ruinam. Videte redemptum quem Diabolus poſſederat homicidam. Videte Dominum virtutum & in ipſa morte miracula facientem. Tunc Latro confitebatur, quando Petrus turbabatur. Tunc iſte agnouit, quando ille negauit. Sed nunquid quia Dominus acquiſiuit Latronem, Petrum perdidit negatorem? Abſit, abſit. Agebat myſterium, qui fundebat pretium; In Petro demonſtrans, non in ſe quemquam iuſtum debere præſumere: in Latrone nullum impium conuerſum, poſſe perire. Timeat bonus ne pereat per ſuperbiam, non deſperet malus de multa malitia.]

S. Gregorius,[c] [Parce mihi Domine,

Cle

a *hom de Latr.*

b *l 2. de ſymbo ad Catechu. c. 6.*

c *in apolo. 1. ad finem libri ſacramentorum.*

Clementiſſime, pœnitenti; qui Dauid poſt lapſum clementer ad veniam re-uocaſti; qui Petri miſericors amarè flentis lachrymas reſpexiſti; qui Latronem in Crucis patibulo tanti facinoris reum, Diuina gratia illuſtraſti: cui mox obtinuit confeſſio perſpicua Dei filium, fides præmium, pœna veniam, lamenta gaudia ſempiterna: dum Confeſſor in Cruce, poſſeſſor extitit paradiſi poſt Crucem.]

a c.11. 5. MARTYR Multi ſupra relati [a] vbi etiam expoſitum eſt, quomodo accipiẽda ſit hęc Latronis appellatio. Ab authore libri de operibus Chriſti Cardinalibus, vt ibidem retuli, appellatur *Collega martyrij Chriſti.* Sed cum in Latrone martyrium non fuerit preſsè ac propriè dictum, quale reuera fuit Chriſti martyrium, agnoſcenda eſt in voce *collegæ*, quædam proportio, non tamen vniformitas, & vt ita dicam, homogeneitas. Neque enim eodem Martyrij genere ac modo propriè dicto, quo Chriſtus, eodẽ Latro martyr fuit. Siquidem hic non niſi martyr patientiæ fuit: Chriſtus autem in omni rigore, vt agnouit Damaſcenus [b]

b *l.4. de fide c.10. in 7. ſpecie baptiſmi.*

S.Max.

S.Max.[a] exponens calicem martyrij. a *ſerm. 1. de S.Cyp.*

Discipvlvs probvs Christi. Quod Latronem nondum diſcipulum, dixit Eucherius, [b] iam fuiſſe confeſſorem, intelligendum eſt, de diſciplina externa quam ille à Christo non hauſerat, cùm collegam primò alloqueretur. Nec enim adhuc exceperat voces illas, quibus Chriſtus confeſſionem Latronis ex interiore diſciplina altæ & ſecretæ ſcholæ profectam, ratam habuit. Itaque propriè, internæ illius ſcholæ magiſterio, euaſit in diſcipulum Chriſti optimum. Ita Patres. Chryſoſtomus[c] [Latro truculentiſſimus fuit homicida, ſed paradiſi Ciuis effectus eſt. Nec Iudæ profuit quod Magiſtrum diſcipulus ſequebatur, ſed periit: Latro autem in cruce, probum ſe diſcipulum fecit. Hæc Dei mirabilia ſunt, ſic Magi comprobati: ſic publicanus Euãgelium cecinit, ſic Paulus è blaſphemo in Apoſtolum euaſit. Hæc conſiderans non deſpera, ſed miſericordia Domini fretus, excita teipſum, viam ſolummodò facere incipias, & citò peruenies.] Non excludit gratiam præuenientem; vt alibi demonſtro: ſed ſuppoſita præuentione,

b *hom. de Latrone.*

c *homi 68. in Matth.*

tione, alacritatem liberæ cooperationis expoſuit. Verùm hæc alibi S. Auguſtinus [a] declarans quomodo S. Latro & S. Paulus non ſint excluſi ab ea Chriſti oratione in extrema cœna. *Non pro his autem rogo tantùm, ſed & pro his qui credituri ſunt per verbum eorum in me*, oſtendit ſicut S. Paulus, non ab hominibus neque per hominem edoctus eſt fidem Chriſti, ita neque Latronem [qui tunc credidit, quando in ipſis Doctoribus fides quæ fuerat qualiſcunque, defecit.] Quare & ipſe quoque, per Chriſti reuelationem didicit, eiúſque vnicus diſcipulus fuit, quamuis dicatur credidiſſe per verbum eorum pro quibus tunc Chriſtus orabat, quia credidit per verbum fidei, quod illi in mũdo prędicatur ierant, eorúmq; verbum dicitur, [quod ab ipſis eſt primitùs & præcipuè prædicatum.] Verè igitur θεοδίδακτος Latro, potiori iure quàm fabuloſi illi apud Tyrium. [b] [Nõ humana eius ſunt verba, (ait Laurentius Iuſtinianus) [c] neque ſcientia mortaliũ acquiſita, ſed fideliſſima, vera, profunda, cœleſtis, diuináque. Illa didicerat reuelante Patre, miniſtrante verbo, & certificante ſpiritu D. Augu

a *tract. 109. in Ioan.*

b *diſſert. 22. n. 127.*

c *de triũpha. Chriſ. agone c. 18.*

Auguſtinus non abludit. [d] [Crux illa, ſchola erat. Ibi docuit Magiſter Latronem. Lignum pendentis, cathedra factum eſt,docentis.] d *ſerm.* 87. *de diuerſ.*

6. PRIMITIÆ CRVCIS CHRISTI,atq; CREDENTIVM. Primitias S. Ambroſius veluti quædam reparatæ liba naturæ definit, & idcircò alibi [a] Apoſtolos primitias ſpiritus habentes, deſcribit tanquam ſanctiores tota areæ meſſe; vt fert primitiarum notio, & Chriſtus ipſe dictus primitiæ dormientium, [quia ſanctior omnibus fructus qui etiam cæteros conſortij ſui fructus ſignificauit.] Concludit S. Ambroſius, [Primitiæ ergo noſtræ Apoſtoli,electi ex omnibus præſentis temporis fructibus.]Quanto ergo potiori iure, primitiæ Latro, qui primus Chriſtum ſecutus in regnum, ante omnes Apoſtolos exceſſit è vita? S.Cyrillus [b] Alex. ita tradit verbis illis. [Iacentem humi naturam hominis apprehendit, cúmq; nos ferali nequitia peccatorúmque veneno exuiſſet, reduxit per ſanctificationem ad honorem illum regium, & ad virtutis manſuetudinem, illúdque vetus domicilium credentibus in eo Latrone

a *epiſt.* 22.

b *l.* 2. *de adorat.*

trone

trone, qui eorum tãquam primitiæ quædam ac princeps fuit, & ſimul ſecum eſt crucifixus, reſtituit: *amen, amen* (inquiẽs) *dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo.*] Petrus Damiani [a] [Crux Latronem cœlo, vt reuera ſui fructus primitias, intulit: & per hunc paradiſi ianuas, quas deinceps electi omnes ſcanderẽt, patefecit? Enimuerò Cherubin ille, qui rompheam excluſionis acceperat, ſignaculum in eo crucis aſpexit, cui ſe nequaquam contradictor oppoſuit. Nec eius Crucis certè, quam pertulit, ſed illius potius, cuius myſterium credidit, in cuius virtute ſuperauit, dicens: *Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum.*] Et mox [dixerat Dominus; *ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum.*] Eorum itaque qui trahendi erant, Latro præuius fuit, cui mox dixit: *hodie mecum eris in paradiſo.* Quem ergo de perpetuæ mortis laqueo primum traxit, hunc ad vitam primitùs introduxit.] Inſignit etiam hoc nomine S. Latronem Taulerus. [b] & gemina eſt locutio Arnoldi Abbatis, vocantis Latronem *primitias derelictorum.* Et in fine tractatus, ait, [hunc teſtem libertate

a *ſerm. de exalt. S. Crucis*

b *c. 43. exercitiorum de vita & paſſ.* **Domini.**

bertate donatum, primitias libertatis noſtræ paradiſi ciuibus expectantibus primum inuexiſſe.]

Fvr Paradisi. Chryſoſtomus [a] [Vnus erat Latro & corpore & mente proximus: Alter alteri quidem vicinus, ſed multùm corde diuiſus. Pendebat Chriſtus in medio, & tanquam fulgebat in throno. Cõfitebatur vnus & honorificabat, alter incredulus blaſphemabat. Iudex modò dictat vni ſententiam, alteri porrigit indulgentiam. O mira rerum conuerſio. Latro credit, & Iudæa fremit. Fecit Latro de cruce impetum, & intrauit paradiſum romphæa flammea circundatum, Iudæa verò amiſit lumen, quando perdidit Solem, ſicut ſcriptum eſt; *ſupercecidit ignis, & non viderunt ſolem.* O violentum Latronem! ô artificioſæ effractionis vim! Ipſum clauicularium tenuit, & per ipſum ad paradiſi interiora peruenit.] Idem alibi [b] [vidiſti quomodo neque in cruce artis ſuæ obliuiſcitur, ſed per ipſam confeſſionem, prædatur regnum.] Et alibi [c] [Video Latronem qui me aſſiduè per vim ad ſe rapit. Neque mirum: etenim paradiſi portas per vim

a *hom. 3. de reſurr. &.*

b *orat in paraſc.*

c *orat. 2.*

d *homil. de Latr.* rupit, arte ad ſalutem verſa.] Eucherius[d] [Beatus Latro, non iam iuxta viam inſidias tendens, ſed viam ipſam in Chriſto tenens, ac vitæ prædam ſubitò rapiens, immutato genere, & noua ſpolia de a *l.5 paſch* morte propria reportans.] Sedulius,[a] duorum Latronum diuerſiſſimam ſortem deſcribens, concludit de bono. [Abſtulit iſte ſuis cœlorum regna rapinis.] b *orat. 2. de SS 4 Martyr in ipſo fine.* Nyſſenus[b] [Non ſponte ſua Latro ad crucem acceſſit; ſed poſteaquam propè ſalutem fuit, animaduertit acutus & ingenioſus fur theſaurum, & nactus occaſionem, vitam rapuit, arte furandi pulc *ſer. contra omnes hæreſes.* chrè & ſolerter abuſus.] S. Athanaſius[c] [Duo cum eo Latrones erant in ſuſpendio, altero execrante, altero dicente, quid execramur iuſtum, nos ſecundùm ſcelera noſtra affligimur, Ieſum deinde alloquutus eſt. *Recordare mei Domine, quum veneris in regnum tuum.* Cui Ieſus viciſſim, *hodie mecum eris in paradiſo.* O miraculum ingens maledictionis crucifixæ, aperuit paradiſum in promiſſione Latronis. O beatum Latronem, rapuiſti in mundo latrocinando: rapuiſti item regnum cœlorum iſtiuſmodi confeſſione:

circa

De eo nimirum locutus eſt propheta: *Et ſcarabeus è ligno vocem dabit.* Noſtis fratres, Scarabeum ipſum immundium circa immūda negotioſum eſſe. Ita quoque & hic Latro, negocioſus fuit in latrocinando, in cruce tamen confitetur, & in eo expletur quod prophetatum fuit: loquens igitur dignus habitus eſt, qui regnum cœlorum raperet.] Alia ex eodem [a] ad hoc agnomen ſpectantia infrà dabo. [a] *ſerm. in paraſc.*

8. PRÆDATOR DIABOLVM DEPRÆDATVS. Chryſoſtomus [b] Chriſtum Latroni ſic colloquentem induxit, [*Amen dico tibi*, accipe & tu hanc vocem, amen ô Latro, qui hodie Latro es, hodie mecum eris in paradiſo. Ego te qui expuli, introduco, qui portas paradiſi clauſi, qui gladio igneo munij. Niſi enim ego introducam, manent portæ clauſæ. Age ô prædator diabolum deprædate, & victoriæ aduerſus eum partæ coronâ potite. Hominem conſpicatus es, & Deum adoraſti, priſtinis abiectis & aſſumptis armis fidei.] [b] *orat. 2. in paraſc.*

Infrà ex Athanaſio [c] dicam, quomodò diabolum Latro prodiderit, factus ei & [c] *ſerm. in paraſc.*

Iudas, & Diabolus, vt eum prædaretur. S. Ambroſius [a] [Quam execrabilis in facto iniquitas Iudæorum, vt quaſi Latronem crucifigerent, omnium redemptorem. Bonus tamen in myſterio Latro, qui inſidiatus eſt Diabolo, vt vaſa eius auferret.]

a l. 10. in Lucam.

GENERATIO ADVENIENS CHRISTO IN CRVCE. Richardus à S. Laurentio, [b] accipit in hunc ſenſum illud ſapientis, *generatio præterit, & generatio aduenit, terra autem in æternũ ſtat*, vt ſignificetur Petrum negaſſe Chriſtum, & ab eo receſſiſſe, quaſi generationem prætereuntem: per quod tempus alia aduenerit generatio, nempe S. Latro. Terra autem, id eſt Deipara, in æternum ſteterit, quia nec à Chriſto receſſit, nec ei recens aduenit. Itaque non malè Latronem ſanctum dixerimus Benoni, ſeu filium doloris. Qui enim ac quanti in eius partu dolores Chriſti? Et aptè etiam in eum cadit appellatio Beniamini, filij dexteræ, quandoquidem ad Chriſti dexteram pendebat, ibique genitus eſt, & idcircò admodum à Patre dilectus, quod extrema ætate genitus. Quibus ex cauſis, filios doloris Chriſti, & Beniaminos, quotquot

b l. 8. de laud. Deip. pag. 430.

Chriſto in mundi fine inter preſſuras multas naſcentur, interpretatur S.Cyrillus.[a]

9. SCARABAEVS. Egregiè S. Athanaſius[b] interpretatur de S. Latrone, illud, *ſcarabaus de ligno vocem dabit* ex capite ſecundo Habacuc: vbi quod vulgata habet, *lignumq́ quod inter iuncturas ædificiorum eſt, reſpondebit*: Septuaginta verterunt, *ſcarabæus de ligno clamabit*, vt ibi notauit Hieronymus & S. Gregorius[c] qui eum locum ad Chriſtum applicat vt & S.Auguſtinus[d], & pulcherrimè S.Ambroſius[e] Verè enim ſcarabæus ac vermis Chriſtus clamans de ligno ad Patrem, & Latroni donans paradiſum. Et non incommodè hunc ipſum locum ad Latronem aptatum eſſe ab Athanaſio, declarari poteſt, ex eo quod ſcarabæus, tametſi abiectiſſimum reptile, tamen apud Ægyptios authore Porphyrio,[f] erat in ſumma veneratione, tãquam Solis animata imago. Scarabæus enim in cœno aut fimo bubulo generatur, ſemeſtre ſuprà terram, ſemeſtre autem intra eam exigens, rotundámque ex ſtercore ingentem figuram iacto ſpermate fœ-

a *l 4 q la-phr. in Geneſ.* in fine. *pag.* 113.

b *ſerm. in paraſc.*

c 30. *moral. c.* 29.

d *ſerm.* 117. *de temp.*

e *in c.* 23. *Lucæ in explic tituli crucis.*

f *l.* 4. *de abſtru. pag.* 376.

cundans, vultu aduerſo conuoluit, eodem pene motu quo cœlum à Sole circumuoluitur: Tum demum menſtruo dierum numero, quo Luna circuitum abſoluit, fœtum perficit, qui nunquam fœmina naſcitur, ſed mas dumtaxat. Referunt hæc de Scarabæo, & Ægyptiorum circa eum myſteriis, præter Porphirium, Euſebius,[a] & ante vtrumque Clemens Alex.[b] Plinius,[c] ac omnium pleniſſimè Horus Apollo.[d] En expreſſiſſimam Latronis imaginem (liceat cum Propheta, & Sanctiſſimis Patribus, citra contumeliam ita loqui,) à Christo inquam, genitus Scarabæus, iacto in ſtercus ac cœnum ingens tot ſcelerum, cœleſti ſemine: eáque terrena mole per calorem viuificum & volutationem animata in prolem maſculam & generoſiſſimam. Non me latet, S. Hieronymum,[e] hanc loci propoſiti de Christo & Latrone interpretationem ſuffigere, ac quæ in Porphirianam Scarabæi & numinis collationem Piſidas,[f] & quæ de odorum bonorum odio in ſcarabæo S. Epiphanius,[g] idcircò hæreticos Archonticos cum ſcarabæis componens. Sed memini ſcom

a l.3. de præp. c.2. in fine.
b 5. ſtrom. c.2. pagin. 621.
c l 11. hiſt. c.28.
d Hierogl. 10.
e in c.2. Abacuc.
f in Coſmop. v. 104
g hæreſi 40. Archõticorum.

comparationes etiam in ſcripturis claudicare, & Deum cum his quoque conferri, quæ alioqui ſunt fœdiſſima quando comparatio rectè habet quoad aliquid. Taceo quod ſimiliter excuſſerit, auari in ſcarabæo ſymbolum. Nam Crates apud Iulianum Apoſtatam, [a] vocat diuitias, ſortem ſcarabæorum. [a] *orat. 6.*

10. CAMILLVS ET MINISTER CHRISTI IN SACRIFICIO. Crucem fuiſſe aram in qua Chriſtus ſeipſum immolarit, vulgatiſſimum eſt, & egregiè traditum à Chryſoſtomo. [b] [In cruce (inquit) oblatus eſt. Vbi verò ſacrificium, ibi & peccatorum remiſſio, ibi reconciliatio Domini, ibi feſtum, & gaudium. *Paſcha noſtrum*, inquit, *pro nobis immolatus eſt Chriſtus.* Vbi immolatus eſt? Cedo. In excelſa cruce. Nouũ & peregrinum altare; cùm nouum & inuſitatum fuerit ſacrificium. Idem enim & ſacrificium, & ſacerdos erat, ſacrificium ſecundùm carnem, Sacerdos ſecũdùm ſpiritum. Idem immolauit, & immolabatur. Audi iterùm Paulum dicẽtem. *Omnis enim Pontifex ex hominibus aſſũptus, pro hominibus conſtituitur in his quæ ſunt ad Deum.* Vnde neceſſe [b] *orat. 3 in paraſc.*

eſt, & hunc habere aliquid quod offerat. Ecce ſeipſum offert. Alibi verò iterum ait: *Sic & Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata.* Ecce hic oblatus eſt, ibi ſeipſum obtulit. Vidiſti, quomodo idem ſacrificium, ſeu victima, & Sacerdos fuerit, fuit Crux, etiam altare.] Itaque cùm aliorum omnium ſacrorum ordinum ſpeciem quandam & adumbrationem expreſſit Chriſtus aliis occaſionibus, vt Stephanus Eduenſis, [a] ac Hugo Victor. proſequuntur: Tum nominatim Sacerdotis, cruentum ſacrificium offerentis, munere in cruce pro-functus eſt. In quam rem plurima habent qui de Chriſti Sacerdotio agunt & latè Franciſcus Georgius. [c] Pulcherrimè item Drogo, [d] ex quo Epiſcopalis Chriſti celebrantis ornatus, deſumi poteſt, & benè etiam ex Ludolpho. [e]

a l. de ſacram. alta. c. 6. & 8.
b l. 2. de ſacra fidei parte 3.
c in harmo. cant. 2. tomo 3. toto.
d l. de ſacr. Dom. paſſ.
e 2. p. vita Chriſti c. 61. ſub finem.

Chriſto igitur in Cruce propiciatorium ſacrificium offerenti, camillus adſtabat, omnium propinquiſſimus S. Latro. Solus enim quod Euangeliſtæ prodiderunt, Chriſto alta voce collocutus, miniſteriũ aliquod ſacrificanti exhibere eſt viſus. Nec ſacrificium dumtaxat per

ſuam

ſuam præſentiam approbaſſe videri poteſt, quod faciunt in quotidiano ſacrificio qui merè ſunt aſſiſtẽtes, & faciebant tunc piæ mulieres adſtantes, paucíque fideles, qui ad triſte ſpectaculum conuenerant, ſed reuera etiam aliquatenus ad illud cooperari exteriùs, quod facit qui miniſtrat ſiue camillus. Obſtrepentem enim Chriſto ſacrificanti petulcum, imò blaſphemum, arcuit atque compreſſit, omnes quantum in ipſo fuit ad linguis fauendum excitauit, Sacerdotem ipſum qua ratione potuit leuare non omiſit. Imò vix occurrit obiectum creatum, vnde aliquod Chriſto patienti ſolatium acciderit, quam ex Latronis ſancti confeſſione, qua oppreſſo quantum licuit, opitulatus eſt: ac proinde non abs re, camillus Chriſti ſacrificantis cenſeri poteſt, perindéque ſe habuiſſe ad Chriſtũ cruento illi ſacrificio operam dantem, ac Miniſter ad Sacerdotem incruento ſacrificio intentum. Ac ſicut in hoc ſacrificio, longè dignior ac fructuoſior eſt, Miniſtri quippe aliquatenus cooperantis præſentia, quàm cæterorum qui duntaxat aſſiſtunt, ita etiam Latro, paſſionis

Chriſti fructum longè vberrimum percepit. Quod ſi iudice Chryſoſtomo,[a] magnus omnino honor defertur ſanctis Martyribus, cum ſuper ſacrificium incruentum fit eorum memoria, prolatis coram Chriſto immolato, ſub Miſſam, eorum nominibus, quanto honorificentius cenſendum, quod S. Latro ſub realem ac phyſicam immaculatæ illius hoſtiæ oblationem, per ſummum ſacerdotem, tam honorificè adhibitus ſit miniſter, & ab eo compellatus, ac cœli ciuis & paradiſi regiæ aulicus ſit creatus?

a homil. 21. in acta in moral.

11. PETRVS IN CRVCE. Sic Drogo[b] alloquens ſanctum Latronem. [Tu fugientibus diſcipulis, & Petro negante, ſocius & comes paſſionis eius fieri gauiſus es. Tu, Petrus in Cruce fuiſti, & Petrus in domo Caïphæ, Latro. Tamdiu hîc, Petrus Latro fuit, quamdiu intus latitans, Chriſtum foris negauit: & ideò & Petrum præceſſiſti in Paradiſum, quia qui te in Cruce complexus eſt dux, & rector tuus, eâdem die, qua ipſe ingreſſus eſt, fidelem & glorioſum militem, ſecum te pariter introduxit.] Aduerto, frequenter Latronẽ Patres cũ Petro cõponere.

b de ſacram. Domin paſſ.

nere. Imò in hoc negotio præponere Latronem; tum quod Petrus Chriſtum ſecutus eſſet præuia vocatione ſenſibili, & multis firmata prodigiis, cum ea omnia Latroni defuerint. Tum quod Petrus, ad ancillæ vocem de conſtantia deiectus ſit; Latro autem circumfrementibus Iudæorum Principibus, robur animi inſigne prodiderit. Ita Chryſoſtomus,[a] Gaufridus Vindocinenſis,[b] Arnoldus Abbas[c], S. Auguſtinus[d] S. Athanaſius[e] Petrus Damiani.[f] Hoc autem in quantum Latronis decus cedat, ille perſpiciet qui ipſius Chriſti ore commendatam Principis Apoſtolorum fidem, & flagrãtiſſimam in Chriſtum charitatem, tantiſper per illud nubilum concuſſam, momentis ſuis æſtimauerit. Verbis Chryſoſtomi rem expono. [Quid Latro eiuſmodi egit, vt ex improuiſo de cruce dignus paradiſo iudicaretur? Breuiter, ſi placet, dicam, Latroníſque bonitatem, & probitatem oſtendam. Quando Petrus diſcipulorum Princeps negabat infrà, tunc ille ſuprà fixus in cruce, confeſſus eſt. Et hoc non dixi, animo reprehendendi Petrum abſit: ſed vt magnanimitatem Latronis,

a *orat. 1. in paraſc.*
b *ſerm. 10.*
c *tract 2. de vltimus Chriſti verbis.*
d *l. de tẽp. bacha. c. 7.*
e *ſerm in paraſo.*
f *ſerm 2. de S. Vitali.*

tronis, & excellẽtem illius philoſophandi rationem demonſtrarem. Ille non tulit puellæ minas; hic totum populum inſanientem, & adſiſtentem, & vociferantem, & infinita in crucifixum conuicia iactantem conſpicatus, non vertit oculos ad iniuriam crucifixi, ſed fidei oculis omnia hæc prætercurrens, omníque indigna, & quæ impedimento eſſe poterat perſuaſione abiecta, agnouit hominem Dominum, paucula illa verba prolocutus, quæ illum paradiſo dignum oſtenderunt. *Memento mei in regno tuo.*]

COLLATERALIS CHRISTI, ET PRAECVRSOR EIVS VICTORIAE. Arnoldus Abbas Bonæ-vallis, [a] Chriſtũ alloquens. [Ecce vnus de derelictis aſſumitur: Latro ille collateralis tuus, damnatus ob ſcelera. Illum victoriæ tuæ præcurſorem conſtituis & viuificatum ex gratia, in Paradiſum præmittis; in quo confuſus eſt inimicus, & vltor hæreticus, & proditor peruerſus diſcipulus, & detractor Iudæus.] Non eſt ſenſus, quod præmiſſus in paradiſum ſit ante Chriſtum: vel quod ante Chriſtum adierit Patres Limbi carcere clauſos. Id enim conſtat eſſe falſum,

cum

a *tract. de 2. verbo Christi.*

cum obierit poſt Chriſtum qui in eſſentiali paradiſo ſemper fuit, Limbos autem adiit ſtatim à morte, vt ſuprà expoſitum eſt. Comparatio igitur inſtituitur, inter Latronem & alios quoſuis Chriſti ſectatores, quibus præcurrit, & tanquam victoriæ Chriſti primus fructus, à Chriſto triumphante monſtratus eſt Patribus, paulò pòſt quàm illuc aduenerat Chriſtus. Et eodem ſenſu, autor libri de operibus Chriſti cardinalibus, [a] Latronem ait præmiſſum à Chriſto, in paradiſum, & factum eſſe participem regni, qui fuerat collega martyrij.

[a] *ſerm de paſſ. Dom.*

12. PRIMITIAE PECCATORVM. Algerus.[b] ARGVMENTATOR PRO CHRISTO. [Latro, (ait Arnoldus[c]) manſueti animi, & ſicut teſtem Chriſti decebat, in auditorio publico, fidei protulerat argumenta; & nouo philoſophandi genere, ſupplicij tanti immemor, cum blaſphemo illo, de timore Dei, & iuſtitiâ diſputabat. *Neque* (inquit) *tu times Deum, qui in eâdem damnatione es: & nos quidem iuſtè, nam digna factis recipimus: Hic verò nihil mali geſſit.* Credit & confitetur, teſtis eſt innocentię Chriſti, increpat maledicum,

[b] *l. 2. de Euchar. c. 31.*

[c] *tract de 2. vltimo verbo.*

nec ſibi parcit: ſed tantùm accuſator ſui, ſeipſum, (aduerſum ſe, ſententiæ veritate prolata) perſequitur. Damnatio, (inquit,) ſimilis quidem eſt, ſed cauſa differens. Cùm hic ad hoc deſtinatus ſit ex obedientia, nos ob flagitia. Cauſam accuſat, non arguit pœnam, execratur ſcelus ſuum, non detrectat iudicium.] Eandem S. Latronis pro Chriſto concertationem, & pro fide diſputationem Gaufridus Vindocinenſis attigit.[a]

a ſerm. 10.

Christi Advocatvs. Chryſoſtomus[b] componens cum cæco nato qui Chriſti cauſam tam ſtrenuè egit, S. Latronem. [admirati eſtis (inquit) cærum qui beneficio affectus, patronus effectus eſt veritatis. Latronem qui ante beneficium acceptum Chriſti aduocatum egit, συνηγορήσαντα, admiramini. Itaque eo tempore Latro egit Chriſti aduocatum, quo Chriſtus ipſe pro vniuerſo humano genere, in iudicio quod coram Patre agitabatur contra dæmonem, in cauſa humanæ ſalutis, ſuſtinebat aduocati partes. Habuiſſe enim paſſionem Chriſti rationem iudicij, in quo Chriſtus nobis ſit patrocinatus frequens eſt apud Patres, & pulchrè

b orat. de cæco tomo 6. Græcol.

pulchrè à Petro Damiano traditum eſt [a] illuſtribus illis verbis quibus longam de iudicio conſiderationem obſignat. [Ecce quidam ludus iudiciarius occurrit nobis in ſcripturis, Deum Patrem repræſentans. Locus iuris, in quo Aduocatus noſter poſtulat, patibulum crucis fuit. Cum enim ex officio ſuo aduocati habeant ſtare, ipſe non ſtans, ſed toto corpore extenſo in ligno crucis, apud Patrem pro nobis allegauit, deſideriũ ſuum, & amicorum ſuorum exponens, & aduerſarij deſiderio contradicens, vſque ad proprij ſanguinis effuſionem. Rem ſuam poſtulat, id eſt, genus humanum, quod ipſe creauit, cuius verum Dominium habebat. Eccleſiam de gentibus conuerti poſtulauit, tanquam proprius hæres hæreditatis petitionem proponens, & in poſſeſſionem de iure mitti deſiderans.]

a ſerm. de reſurrect. Dom.

13. Volvcris coeli. Anaſtaſius Sinaita, [b] cũ productas ex aquis myſticis volucres dixiſſet; de baptiſmo inquam, & ſpiritus gratia Chriſtianos, inter quos Paulum & Philippum tanquam eximiè volãtes volucres proponit, ſubdit: [Eiuſmodi volucris deſiderabat fieri, ille qui dice

a l. 5 exaem.

dicebat: Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ quæ deſcendit in Iordanem,& volabo,& requieſcam,in illâ requie cœleſtium volucrum, ſex alas habentium. Ad has volucres euolauit, ex viuifica aquâ quæ fluxit ex latere Domini in loco Caluariæ, prima omnium volucris, ſanctus Latro, cum Rege volucrũ Chriſto magna aquila, per aërem volans in paradiſum. De Chriſti volucribus dicit etiam pſalmographus.Paſſer,nempe Latro, ſeu aliquis alius, inuenit ſibi proprium nidum ligni paradiſi. Turtur nempe Eccleſia,quæ ſola vnum nouit coniugem Chriſtum, quæ vitam magis amat ſolitariã,quàm delicatam,mollẽ,&effœminatã inuenit, ſibi nidũ, nempe regnũ cœlorum,vbi reponat pullos ſuos. Quas quidem exeuntes de aquis volucres,ſtupẽs quoque Eſaias,clamabat. *Quinã ſunt hi qui ſicut nubes volãt,& tanquã columbæ cum pullis ſuis?* Hæ ſunt volucres,quæ rapiuntur in nubibus obuiam Domino in aërem. De quibus etiam dicebat, Vbi eſt corpus,ſeu cadauer,Latro,inquam,nempe in paradiſo, illic congregabuntur etiã aquilæ, quæ ſupplantatorem noſtrum

ſerpen

ſerpentem ſub pedibus ſuffocarunt.

14. Ad ſex ſupra viginti perilluſtria S. Latronis agnomina, addenſat vno orationis ductu S. Athanaſius, [a] quæ hîc appoſitiſſimam huius capitis clauſulam, verbis eius repræſento. *a ſerm. in paraſc.*

O Latro, Petri commilito, Iudæorum accuſator.

O Latro regni mercator.

O Latro Paradiſi cuſtos.

O Latro Adamo erga creaturam longè firmior.

O Latro primogenito illo, quoad paradiſum longè tutior. Ille enim importunè manum ad lignum extendens, mortem in mundum inuexit: Tu verò in cruce opportunè manum expandens, perditum paradiſum recuperaſti.

O Latro primorum parentum hæreditatem amiſſam, vnico, eóque fœliciſſimo conatu rurſus acquirens.

O Latro primus regni poſſeſſionem aſſecutus.

O Latro regni Confeſſor, noſter inſtitutor, martyrum imitator.

O Latro, verbo puſillo cœlum aperiens.

O Latro, mirum incantamentum tibi ad theſaurum hunc mirum conciliandum excogitans.

O Latro, Crucis velut corollarium tibi cœlum efficiens.

O Latro, iuſtitiæ patronus.

O Latro, liciti legitimíque latrocinij hominibus præceptor, ad latrocinium vſque adeò laudabile nobis viam præiens.

O Latro, homines quomodo regnum quaſi furto auferant, inſtruens.

O Latro, furti, cui ſit, maximè grati, deſiderabiliſque rationes edocens.

O Latro, ingentes tibi furti mercedes concilians.

O Latro præſtantem confeſſionis fructum oſtendens.

O Latro, tardè credens, ſed celeriter confitens: poſtremus veniens, ſed primus coronatus.

O Latro, præſentiſſimam fidei efficaciam virtutémque demonſtrans.

O Latro, fidei parturitionem non egere tempore ad partum, manifeſtans.

O Latro vehemens Iudæ accuſator.

O Latro proditori ſuo ipſius laqueo viſus grauior.

O

O Latro, Iudæ quidem proditionem, ſed contra diabolum imitatus.

O Latro diaboli arte, contra diabolum mirabiliter vſus.

O Latro, iuſtè Chriſtum coëmens, ſponſorémque, ac teſtem huius tuæ velut poſſeſſionis Crucem inducens.

O Petri, inquam, commilito, & Apoſtolorum ſymmyſta.]

Exempla Latronum, & aliorum facinoroſorum, quibus S. Latro, ad pœnitentiam, ac ſpem concipiendam præiuit.

CAPVT XV.

1. NOn luſiſſe operam Patrés, quâ iuſtis orationibus celebrando, quâ obiter memorando S. Latronis egregias virtutes, eiúſque exemplo, omnes ſed inſignes peccatores maximè, in ſpem bonam erigendo, euentus varij ac ſingulares monſtrarunt. In pleríſque enim

etiam eiuſdem cum Latrone inſtituti, aliáſve deprauatiſſimæ & profligatiſſimæ vitæ, tantum valuit impenſæ Latroni miſerationis eiúſque conuerſionis propoſitum exemplum, vt inde ad piè audendum ſint animati, qui alioqui præ ſcelerum immenſa propè numeroſitate ac atroci mole, linquendi erant animo, & in abyſſum deſperationis deiiciendi. Hi nimirum iuxta Iobum, interprete Gregorio, [a] *ſunt partus ibicum in petris:* Et hac ratione animalia volantia iuxta Ezechielē eodem interprete, [b] inuicem percutiunt alas ſuas, ſeſe ad vegetiorem volatum promouentes. Quanquam autem in nonnullis latronum reſipiſcentium exemplis quæ ſubijciam, hiſtoricus de S. Latrone pœnitentibus obuerſato ſiluerit, veriſimillimum tamen duco, obuerſatum omnino illis eſſe. Quotus enim quiſque eſt Chriſtianorum, qui de S. Latrone Chriſto patienti compaſſo, cúmque, ſerò licet, tamē fructuoſiſſimè confeſſo, non inaudiuerit? Nihil autem procliuius eſt, quàm vt homo eadem conditione ac ſorte ad cor reueniens, ſopitam fortaſſis recordationem tam illuſtris exempli

a 30 *moral.* c. 17.
b *hom.* 10. *in Ezec.* & 24. *moral.* à c. 8.

exempli pœnitentiæ exſuſcitet; ſéque, & vitam ſuam ad propoſitum exemplar componat. Idque Spiritus ſanctus ſolet ingerere; & vel eo conſilio, electorum ſcelera & lapſus nobili erectione exceptos, conſignari ſacris codicibus voluit, hominibus ad ſimilia cogitanda ac ſperanda animandis, quod Baſilius Seleuc.[a] notauit, & traditur etiam ab Auguſtino.[b]

a *orat.* 17.
b *hom.* 21. *ex* 50.

2. Memorari in primis hoc in genere poteſt, adoleſcẽs ille cuius ſub S. Ioanne Euangeliſta primam ætatem puram & ſanctam, omni licentia tandémque latrociniis & Latronum principatu concluſam, memorat diffusè Euſebius[c] ex Clemente Alexandrino, & ex eodem Anaſtaſ. Sinaita[d] ac ex S. Irenæo Antiochus.[e] Paucis verò eam narrationem perſtrinxit S. Chryſoſtomus,[f] animãs Theodorum lapſum eo exemplo ad pœnitentiam. Sic enim affatur Theodorum. [Quæ geſta ſunt, cum illo iuuene, qui pridem diſcipulus fuit Ioannis filij Zebedæi; Deinde longo tempore ducem egit Latronum. Iterum à ſanctis manibus beati ſenis interceptus, in ſuperiorem virtutem, è luſtro, è ſpeluncâ Latronum

c 3. *hiſtor. c.* 23.
d *orat. in pſal.* 6.
e *ſer.* 122.
f *priore paran. ad Theoderũ lapſum.*

penetrauit,ipſe non ignoras.Noſti enim non minùs quàm ego. Sæpenumerò te admirantem audiui referre beati viri condeſcenſum, & manſuetudinem, & ſuauitatem illicem:quoniam prior cruẽtam dexteram exoſculatus eſt,hærens in amplexu adoleſcentis, & eâ viâ reduxit ad amiſſam virtutem.]Inter ea bonę ſpei concipiendæ incentiua quæ huic tunc Latronum principi plurima fuiſſe à Sancto Apoſtolo propoſita, teſtatur Clemens, nemo æquus deſideratam eſſe S. Latronis conuerſionem & exoratam ab eo veniam,velit ambigere. Huius narrationis veritatem S. Athanaſius Sinaita,[a] exemplo Latronis, qui pendenti Chriſto adſtitit, confirmari putat, quod vtraquè mitem Dei in Latrones ad correuenientes animum prodat.

[a] *erat in* [illegible]*l.5.*

Profectus Pictauis ad ſuos in Pannoniam S.Martinus, inter Alpes per deuia cum incederet, in latrones incipit. Vbi ereptus diuinitùs ſummo diſcrimini ab impacta per vnum è latronibus ſecuri, traditus eorum alteri eſt ſpoliandus: qui cùm Martinum in loca abditiora ſeductum interrogaſſet quiſnam eſſet, & an

onn

non mortem inter Latrones extimeſceret, reſpondit S. Martinus, ſe quidẽ Chriſtianum eſſe, mortem verò adeò non timere, vt nũquam vixiſſet ſecurior, quòd certus eſſet, Deum in ſuorum neceſſitatibus præſtò eſſe: Angi ſe potiùs pro ipſius latronis exitio æterno, quod ei tanquam latroni indubiè impenderet, niſi reſipiſceret, & ſcilicet niſi exemplo Euangelici Latronis, vitam inquinatiſſimam interpoſita ſeria tametſi ſera pœnitentia, honeſtaret: cuius illi fructum ſpopondit à beneficentiſſimo Domino, ſi ipſe annueret, & ad ſalubria monita non obſurdeſceret. Pupugit ſaluberrimè Latronem Martini adhortatio. Itaque eum in viam reduxit, & de fatigando pro ſe Domino, promiſſum à Sancto viro extorſit. Qui eidem ſuis apud Deum precibus, ſeceſſionem à teterrimo illo vitæ genere, & religioſam vitam quam tranſegit in poſterum, exorauit. Narrat rem geſtam Sulpitius Seuerus. [a]

a l. de vita B. Martini c. 4.

3. Latronum principem, Mutium nomine, narrat, apud Ruffinum [b] Cepres monachùs, cum in omni ſcelere palmam cuique præriperet, nec aliquid eſſet adeò

b l. 2 vitæ patrũ c. 9.

fœdum vel atrox, quod facta poteſtate homo Ethnicus & latro patrare abhorreret, nocte intempeſta Virginis Deo dicatæ domum expilãdi cauſa profectum, cum machinis ad eum vſum opportunis: quibus ad tectum domus cum ſubiiſſet: dum cogitat qua poſſit aditus patere in penetralia, nec euentus reſponderet volũtati, ſomno opprimitur: ac per ſomnum increpitus de vita flagitioſa ac fœda, monitúſque furtis, cædibus, ac graſſationibus deinceps abſtinere, & vitam monaſticam capeſſere, excuſſo ſomno, deprehenſus à mirante & horrente eum hoſpitem Virgine; quídque eo loco quæreret ſiſcitante, illud vnum repoſuit, velle ſe ad Eccleſiam deduci: quod Virgo ſtudioſè præſtitit, non dubia quin Spiritus ſanctus latronem permouiſſet, & aliqua pietatis ſemina ieciſſet in tam arido ſolo. Presbyteros ad quos deductus erat Mutius, cum ęgrè adduxiſſet, vt crederent, ſeriò illum agere, & ſcelerum omnium facilè principem verè de abijcienda anteriore vita exemplo ſancti Latronis, déque Chriſtianiſmo ſyncerè ineundo cogitare. Tandem perſeueranti

volun

volũtate, & ſcilicet ſanctis exercitationibus, omnibúſq; baptiſmi decernẽdi præludiis, effecit, vt ſacris Chriſtianis initiaretur: indéque in monachũ attonſus, ea dedit virtutum omnium, præſertimque abſtinentiæ ſpecimina tot diuinis obſignata teſtimoniis, etiam excitatorum mortuorum, & inhibiti per horas aliquot curſus ſolaris, vt mirandum omnino ſit, latronem Ethnicum & latronum maximum, inter pręſtantiſſimos monachos, verticem ſanctitatis occupaſſe.

Principem latronum bellicæ artis peritiſſimum, ſcribit Palladius, [a] cum inter duos pagos excitatum eſſet certamẽ, ſtetiſſe pro altero pagorum illorum: & fœderationem quam Abbas Apollo inire ſatagebat, diſturbaſſe. Flexit ferocem animum S. Abbas, ſtipulatus ſi conciliandæ pacis author fieret, exoraturum ſe illi à numine peccatorum veniam; nec dubitaret qui Latroni in cruce tot nominum remiſſionem feciſſet, pari liberalitate cum eo acturum. Itaque confeſtim poſitis armis Abbati accidens ad pedes, pacarius inter pagos interuenit, dimiſſáque latronum aſſectantium manu, ad-

a c. 52. lauſ.

hęſit ſancto Patri, à quo abductus ac monitis confirmatus, & ad ſpem bonam animatus, tandem diuinitùs per ſomnum, de peccatorum expiatione orationibus Abbatis conceſſa, edocetur. Adiunctus itaque eſt ſacrorum aſcetarum choro, & lupus iuxta Iſaiæ vaticinium cum agnis, iam non lupus, ſpiritualia pabula carpſit, vixítque ſanctiſſimè.

4. De Dauide, apud Hermopolim inſigni latrone ac latronum principe, prodit Ioannes Moſchus [a] cum cædibus graſſationibus omníque ſcelerum genere omnibus latronibus antecelleret, quadã die adiũctis triginta latronibus ſceleri cupiã intentũ, diuinitùs tactũ abiecta deteſtanda ſocietate ad ſe reuersũ, expetiiſſe monaſterium. Cauſante autem Abbate ætatem malè contritam, & inidoneam ad ea onera quæ inſtitutum monaſticum inferret, nihil ſe defugere quãtumuis horridum & arduum, conteſtatur ſemel ac iterum. Conſtantiam verò Abbatis in eo non cooptando in ſacram familiam, fregit apertè expoſito nomine ac ſtatu ſuo, interpoſitáque denunciatione, quod niſi aſciſceretur in ſacram familiã, reuerſurus eſſet ad prius vitę inſti-

a c.143. *limon.*

ſtitutum, & euerſurus monaſterium, omnéſque ad vnum monachos neci daturus. Euicere minæ quod preces non euicerant. Ille tam ſtrenuè támque generoſè ad omnem virtutum exercitationem aggrèſſus eſt, vt in virum ſanctiſſimum breui euaderet, ac de abſterſis diuinitùs noxis omnibus certior per Angelum fieret: cui dum renuit fidẽ adhibere, quod tanta & tam numeroſa ſcelera, longiorè & acerbiore expiatione digna diceret, linguæ deuinctione damnatus eſt. Sed interpoſita pia expoſtulatione cum Angelo, quod olim homicida omnibúſque coopertus flagitiis, loquendi facultate potitus eſſet, nunc Deo laudes fundere, deuinctione linguæ eſſet prohibendus; temperationem latæ ſententiæ exorauit, vt ad laudandum numen, lingua munere ſuo expeditè fungeretur, cætera ſilens, prorſúſque vincta. Aliis plurimis coruſcaſſe miraculis proditum eſt.

Eiuſdem Moſchi eſt quod ſubdo. [a] Latro Abbatem Zozymum Cilicem adiit, multis ſe cædibus ac ſceleribus coopertum faſſus, precatúſque vt in monachum aſciſceretur, ad vitæ mutationem

a ex c. 166.

&

& tot criminum expiationem. Annuit Zozimus, & indutum ſancto habitu, ne principis ſeueritati aut aduerſariorum iræ vltrà pateret, ſeduxit in Abbatis Dorothei Cœnobium, propè Gazam & Maiumam. Vbi per annos nouem, omnibus probi monachi officiis perfunctus, ad Zozimum rediit, quæ abiecerat ſecularia veſtimenta repetiturus, & monaſtica exuturus. Mœrenti ſeni, ac mutationem conſilij, regreſſúmque ad ſæculum deploranti, repoſuit monachus, ſe quidem per annos nouem quanto potuerat ſtudio Deum placare conatum eſſe, nec diffidere de Diuina benignitate, quin æquè ac ſancto Latroni, noxas ſibi omnes condonatas, totámque anterioris vitæ rubiginem abſterſam vellet. Tamen vbique ſibi triſtem ſpeciẽ paruuli quem Latro nequiter occidiſſet, obuerſari, expoſtulantem de iniuria. Eam ſibi imaginem, non per ſomnum modò, ſed & in vigilia vbiuis, in Eccleſia, ad ipſum altare atque ſynaxim, in triclinio, in conclaui, dormitorio, quocunque denique progrederetur, occurrere: nec vllo tempore aut loco inducias concedere. Itaque fixum

xum ſibi eſſe, pro malè erepta paruulo vita, cumulatam ſatisfactionem exhibere, adito Iudice cui pro ſcelere antiquo pœnas daret: quod reſumptis ſæcularibus indumentis, & adita Dioſpoli mox conſecutus eſt, capite minutus.

5. In actis S. Simeoni Stylitæ, per Antonium quendam Sancti viri diſcipulum conſcriptis, [a] refertur Latro Antiochenus, Ionathas nomine (niſi mendum irrepſit in Latinam interpretationem; nam in Græco codice dicitur ἀγόναθος). Is inſequentem ſatellitum manum vt declinaret, monaſterium ſubitò ingreſſus, ad S. Simeonis columnam accurrit, multis ſe fletibus ac gemitibus excrucians. Suſcitanti S. Simeoni quid agitaret animo, aut quid eo columnæ complexu, iiſque lachrymis & ſuſpiriis deſignaret: ſe Latronem Ionatham (& famoſiſſimus erat,) ſe illum teterrimnm, omniúmque mortalium profligatiſſimum, prodidit. Eo autem conſilio acceſſiſſe, vt peccatorum ſordes elueret per pœnitentiam. Solatus afflictum vir Sanctus, talium eſſe regnum cœlorum repoſuit. Ea via Latronem Chriſti cruciatuum ſocium, ea

[a] c. 15.

mulie

mulierem quæ nequitiæ inſtrumenta in arma pœnitentiæ & Chriſti obſequium verterat, eadem via, innumeros alios ſanctos pœnitentes, regreſſos ad Deum. Itaque videret dumtaxat vt ſeriò ageret, & anteriori vitæ æternùm renunciaret. Dum ille ſynceram pœnitentiam & firmum nouæ vitæ propoſitum conteſtatur, adſunt Antiocheni ſatellites, comminati ciuitatis ſeditionem, ni latro Ionathas ad ſupplicium dedatur, abſtractus à columna. Excuſauit vir Sanctus, ſe eum nō aduocaſſe. Timore autē Dei, quo mittente veniſſet, eius capiendi poteſtatem facere non poſſe. Raperēt ipſimet illum ſi poſſent, ſed viderent ne Deo laceſſito, non impune abirent. Itaque illis re infecta regreſſis, priuſquàm alij Antiochia reuenirent, Ionatham ad beſtias repetituri, expirauit Ionathas ad columnam, magno mœrore concepto de peccatis: quæ à numine per pœnitentiam conciliato condonata, Vir ſanctus aduenientibus poſtmodùm miniſtris prodidit.

6. Tabulæ Eccleſiaſticæ 29. Aprilis, ſeptē latrones à ſanctis Iaſone & Soſipatro Chriſti confeſſoribus, eodem incluſis

carce

carcere, primùm ad Chriſtianam fidem, tum ad eiuſdem fidei propugnationem, & vitæ pro ea diſpendium, adductos exhibent. Eorum nomina, Græcum menologium prodidit: hæc nimirum, Saturninus, Iaciſcolus, Fauſtianus, Ianuarius, Marſalius, Euphraſius, & Mammius.

Adſcribitur iiſdem ſacris tabulis 28. Auguſti *S. Moſes Æthiops, qui ex inſigni latrone inſignis Anachoreta, multos latrones conuertit, & ſecum duxit ad Monaſterium.* Ex iis quatuor referente Palladio, [a] cum Moyſem iam monachum expoliaturi irruiſſent in eius cellam, ignorantes eſſe Moyſem Latronum quondam principem quem inuaderent; ab eodem veluti paleæ culeus colligati, & humeris impoſiti ad cœtum fratrum deuecti ſunt, & coram omnibus abiecti, interrogante Moyſe ecquid de iſtis ſtatuerent, à quibus ipſe appetitus fuiſſet. Nam ſibi quidem fixum eſſe, nemini iniuriam inferre, aut ex ſuo ſenſu referre. Soluti monachorum miſeratione Latrones, vt Moyſem Latronum quondam principem audiuerunt, eo ſtatu ac virtute degere, laudauerunt Deum, & pertæſi latrocinio

a *c. 22. lauſ.*

trociniorum,ac vitæ prioris: ipſi quoque ſanctum inſtitutum arripuerunt & euaſerunt in monachos probatiſſimos; ſic ſecum reputantes, ſi Moſes qui tantum valebat viribus, eóque inter Latrones gradu erat, ſic Deum timet; quid adhuc cunctamus in tam tetro vitæ genere, & ſalutis negotium periculoſâ procraſtinatione obijcimus diſcrimini? De iugibus verò ac diuturnis B. Moſis cum Satana colluctationibus, & ſancto tandem fine, ibidem plura, & apud Nicephorum [a] ac Theodoretum,[b] & Sozomenum.[c]

7. Latro Ægyptius, referentibus Ruffino [d] atque Palladio, [e] cùm inter latrocinandum, ſtipatus ſociis incidiſſet in ſacram Virginem, & alij contaminare pudicitiam eius pararent: obiecit ſe medium, & violentiæ ſubductam, ſuis intactam reſtituit. Idem reperta muliere per eremum oberrante, iam triduo impaſta, quæ ſe illi vltrò permitteret, audita qua domi premebatur calamitate, & trium filiorum ob æs alienum non diſſolutum diſtractione, ac mariti per biennium detentione in carcere infortunium miſeratus, fame tabeſcentem refecit, & in ſpeluncam

a *l* 11. *c.* 36. *& 44.*
b 4. *hiſtor. c* 11.
c *l* 6 *c* 29
d *l.* 2. *vita patr. c.* 16.
e *c.* 63. *lauſ.*

luncam adductæ numerauit trecentos aureos, quibus maritum & filios liberaret, eóque inſtructam ſuorum litro, ſecuram & probri expertem reduxit in ciuitatem. Reſpexit his officiis intentum latronem Deus; & abiecto ſæuo illo ac truci vitæ genere, tractare lyram & tibicinem agere, apud Heracleotas Thebaïdis inſtituit, victum ea arte quæſiturus: eóque apud Deum in pretio fuit, vt S. Paphnutius, qui ad eum vicum vbi ſymphoniacus artificium illud exercebat, omni virtutum genere excultiſſimam vitam multos iam annos traduxerat; cupidus noſſe quantum in virtute profeciſſet, & cuius inter ſanctos viros virtutem æquaret; reſponſum retulerit non excedere ſe vici illius ſymphoniacum, ſanctitate ac pietate. Quo diuino oraculo per Paphnutium patefacto tibicini, non ęgrè auulſus eſt ab eo inſtituto, & ad eremum ſeuocatus: vbi triennium ſanctiſſimè exigens, ſancto fine quieuit. En quo iſte è latrone pertigerat, etiamnum ſecularis, & ſymphoniacus. Sic ſæpè Deus inter roſetæ ſpecioſiſſimos flores educat, facitque vt eſt apud Iobum, ventis pon-

dus, dũ qui de ſtatu & expedita ad virtutem via quam iniuerũt ſibi blandiuntur, peruident quantos alij per teſqua & auia progreſſus fecerint. Ea ratione iterum compreſſus eſt idem Paphnutius, cùm ſe compoſitum vicini pagi Protocomiti audiuit, vt eſt apud Palladium,[a] móxque mercatori Alexandrino locupletiſſimo. S. Antonius compoſitus eſt coriario Alexandrino; Piterius virgini in ſpeciem fatuæ, S. Theodulus, Cornelio Mimo, alij non vulgares ſancti, abiectis in ſpeciem, nulliúſque pretii perſonis.

a *c.64.& 65. lauſ.*

Latrones multi apud S. Paulinum[b] deſcribentem reditum Nicetæ Epiſcopi in Daciam.

b *carm. 30.*

O vices rerum! benè verſa forma,
Inuij montes priùs, & cruenti,
Nunc tegunt verſos monachis latrones.
Pacis alumnis.
Sanguinis quondam modò terra vitæ eſt
Vertitur cælo pia vis latronum,
Et fauet Chriſtus ſupera occupanti
Regna rapinæ.
Mos vbi quondam fuerat ferarum,
Nunc ibi ritus viget Angelorum,
Et latet iuſtus, quibus ipſe latro.

Vixit

Vixit in antris.

Præda fit ſanctis vetus ille prædo,
Et gemit verſis homicida damnis
Iure nudatus, ſpoliante Chriſto
Criminis armis.

8. Latronem, qui in ſacram familiam Cœnobij Raythu cooptari poſtulabat, Ioannes Cœnobij Rector tandem admiſit. Audita de more ratione vitæ præteritæ, tentaturus præſes, an is ex animo peccata deteſtaretur, tyronem latronem interrogat, ſitne ita animo comparatus, vt quæ priuatim expoſuerat, in conſeſſu totius Cœnobij vellet exponere. Ille paratum ſe, non in cœtu tantùm domeſticorum omnium, ſed & in medio foro vrbis Alexandrinæ, omnia enunciare profeſſus eſt. Et erant multa dictu & auditu fœda, horrendáque. Cognita tyronis voluntate, Ioannes Præſes adminiſtris vſus quibuſdam è fratrum numero, nemine præterea conſocio, Cœnobium vniuerſum in templum cõuocat. Et Euangelio de more lecto, pœnitentem latronem cilicio opertum, reuinctis poſt tergum manibus, fune colligatum, ingeſtis interea verberibus coram ſiſti, mandat.

Ad templi fores cum perueniſſet, horrificæ vocis ſublatione, intonat Præſes, gradum vt ſiſteret, homo ſacris penetralibus terendis indignus. Eo ille vocis fulmine, (ſic poſtea iuratus affirmauit,) terrę illiſus, & largo ſe lachrymarum imbre perfundens, quæcunque vniuerſa vita fœdè, crudeliter, impiè, monſtroſè, geſſerat, (& geſſerat propè innumera,) clara voce ac ſine ambagibus, in cœtu fratrum enunciauit. Quæ ille cum aperiret, vnus aliquis è cœnobio, vir pius & diuina familiaritate nobilis, aſſiſtens illi, ſpectrum aduertit quod conſcripta in volumine ſcelera obducebat, quæcunque ille euulgaret: ita vt purum volumē appareret peracta exomologeſi. Sic ille in ſanctum cœtum adſcriptus eſt, & quantum ex ea latronis pœnitētia emolumentum redundarit in alios pleroſque eiuſdem corporis, Ioannes Cœnobij pręſes expoſuit S. Ioanni Climaco, ex cuius gradu quarto, iſta expreſſimus.

Quod ſubnecto, legi in Doctrinis Patrum. [a] Principem latronum, Abbas Paphnutius offendit aliquando cum collegarum manu, & in conuiuio eorum pariter

a l. de charitate nu. 6.

pariter potantium rogante, ſed & ſicam Paphnutio intentante principe, in vini quo multos iam annos abſtinebat, propinatum calicem ſiccaret, ratus cedendum furori vir Sanctus vt latronem ea gratiæ conciliatione Deo lucraretur, impiger vinum hauſit. Et fuit ſaluberrimu, latroni hauſtus. Nam facilem ſancti Abbatis in longa conſuetudine immutanda voluntatem demiratus, veniam petulentiæ rogauit, quam promptè conceſſit Abbas: illud addens, ſperare ſe eum calicem, illi æternùm fore fructuoſum. Repoſuit latronum princeps. Ego verò tam ex hoc temporis puncto latrocinium abijcio, & Dei obſequiò in perpetuum addicar. Secuta latronum manus principem ſuum, omnéſque Paphnutij facilitate in viros probos euaſerunt, quem malè ſecuti fuerant graſſantem latronem Chriſto confixum, ſecuti pœnitentem.

9. Aſcalone, ab Euſebio Presbytero narratum ſibi prodidit Ioannes Moſchus; [a] negotiatorem cum alliſi nauigij ruina exutus eſſet fortunis omnibus, & ab iis in quorum ære erat, compactus eſſet in carcerem, latroni eodem carce- [a] *c. 189. prati.*

cere contruſo ſalutis occaſionem ſubminiſtraſſe, & incommodo ereptum eſſe, hac ratione. Affuit vir copioſus,qui omnibus cuſtodia incluſis ſtipem porrigeret. Is conſpicatus negotiatoris obærati vxorem, virum fortè ſecutam, non ſpecioſam minùs quàm pudicam fœminam, ineſcatus turpiter eſt, & ſeuocatæ poſt auditum viri infortunium liberaliter ſpondet, nominum omnium diſſolutionem, & citam mariti liberationem tantùm velit ipſa ſibi ſatisfacere. Negauit fœmina id ſibi liberum eſſe,niſi de viri cõſenſu, quod audiuiſſe ſe diceret docentem Apoſtolum, mulierem non habere corporis ſui poteſtatem, ſed virum. Itaque ſuſtineret tantiſper, dum virum conſulat, eiúſque voluntatem exploret. Quid mirum, fœminam ſimplicem, in mariti poteſtate ſitum cenſuiſſe, vxoris copiam alteri facere, quando olim rebus nõdum adeò diſcuſſis, Doctorum Aquila S. Auguſtinus propoſito ſimili facto anceps hæſit? Audito marito fœmina, negauit fas ſibi eſſe per maritum, facere quæ rogata eſſet. Obſeruabat coniuges per feneſtram caueæ imminentem, la-

tro

tro ibidem nexus, qui proximum Iudicis aduentum operiebatur certus ſupplicij: & coniugum in tanta calamitate virtutem admiratus, altum trahens ſuſpirium, en (inquit) quanto apud iſtos miſeros in pretio eſt honeſtas, vt malint infœliciter, quàm turpiter viuere. Quid tale ego vnquam bipedum nequiſſimus cogitaui, cui cædes, graſſationes, genus omne impietatis ac ſæuitiæ, luſus fuit? Sic fatus, iiſdem per feneſtram aduocatis, collaudata virtutis conſtantia qua ſe pupugiſſent, denunciat, aurum abs ſe certo vrbis loco conditum, ſat magna copia. Eius ſe auri vniuerſi quo creditoribus ſatisfacere, ſéque in libertatem aſſere facilè poſſent, dominos, velle ipſos coniuges. Illam dumtaxat mutui beneficij vicem repoſcens, vt numen ſibi conciliarent, fuſis precibus, Latroniſque ſancti, vt pœnitentiæ, ſic fœlicitatis æternæ conſortium latro, perbreui raptus eſt ad ſupplicium. Vxor ſignatum locum rimata, auro plurimo ditata, fidei ſeruatæ ac immaculati tori pretium, reportauit viri è vinculis exemptionem & ad propoſitam fœdo calle libertatem, honeſta ratione peruenit.

10. S. Anaſtaſius ex monacho Sinaita Patriarcha Antiochenus,[a] rem admirandam narrat de pœnitentia & ſalute cuiuſdam latronum principis, qui ſub Mauritio Imperatore, ipſius Anaſtaſij ætate, clarus latrociniis ac immanitate fuerat. Appendo ipſius Anaſtaſij verba ne rei geſtæ mutationem aliquam, verborum mutatio inferat. Narrauerat Anaſtaſius, exemplum latronis quem S. Ioãnes Euangeliſta, per pœnitentiam ad ſpiritualem vitã reuocarat. Tum addit. [Quam autem verè fide digna ſint, quæ iam diximus, teſtantur, tum qui in cruce Latro per fidum verbum ſeruatus eſt: tum & alij improbi plures per pœnitentiam ſeruati, in quibus, & ille, qui noſtra ætate ſub Mauritio Chriſtianorũ Imperatore fuit. Erat latronum princeps quidam in Thraciæ finibus, crudelis, & inhumanus, ac talis quidem, vt itinera illa infeſta redderet. Hũc cùm multi milites ac latrunculatores omnibus adhibitis machinis comprehendere fruſtra tentaſſent, eo audito, diuiniſſimus Imperator Mauritius, per quendam adoleſcentem, latronum duci, ſacra quæ de collo ferebat,

[a] *orat. in pſal. 6. in fine.*

ferebat, mittit. Et ecce tanquam diuinam virtutem reueritus, Regis ſermonem abiectis Latronis moribus, ouiculæ in morem manſuetus, Regis ad pedes cum ſcelerum cnnfeſſione accidit. Poſt dies non multos, febre tentatus latro, in valetudinario, quod Sampſonis dicunt, decumbebat, vbi ex vini potu in phreneſin etiam incidit. Cùm autem compos mentis factus ad ſe rediſſet, ruentéque iam nocte ſentiret ſe vehementiùs premi, ad familiam miſericordis planè Dei conuertebatur, cum lachrymis confitens, & veniam ſuorum peccatorum petens, ac dicens: Nihil peto noui à te, Domine benigniſſime: vt enim in alium quēdam ante me Latronem, ita & in me æquè latronem, mirificam eſſe tuam miſericordiam oſtende, ac ſuſcipe meas lachrymas, quas hîc morti vicinus in lectulo iacens emitto. Quo verò modo illos, qui poſt vndecimam horam venientes nihil dignum mercede effecerant, admiſiſti, eodem & meas haſce exiguas lachrymas excipe, purgans me, atque baptizans in eis, in morte ſaltem mihi peccatorum condonationem tribue, tan-

quam baptiſmum aliquem, nec quidquam poſtulo prætereà : non enim patitur hæc hora, quæ iam ad me propiùs acceſſit. Verùm ne mihi reluċteris : ne difficiliorem mihi exhibeas tuam bonitatem, (præoccupauerunt enim me iniquitates meæ) qui veſperam fœliciter præueni, nam infinita & inexplicabilia ſunt mea debita. At vt admiſiſti Apoſtoli tui amariſſimum fletum, ita & meam recipe, benigniſſimè, effundẽs has lachrymas in peccatorum meorum chirographum: ac commiſerationis tuæ ſpongiâ, deleas delicta mea, quæ nullâ imagine adumbrari queunt. Hæc, & his ſimilia ad multas horas confitens latro, ac ſudario ſuo lachrymas extergens, efflauit ſpiritum, quemadmodum qui prope ipſum iacebant, narrarunt. Inſignis autem medicus quidam, valetudinarium illud viſitare ſolitus, domi ſuæ dormiens, videt in ſomnis circa hanc ipſam horam qua latro mortuus eſt, Æthiopes multos venientes ad latronis lectum cum mults chartis, quibus eius ſcelera continebantur: poſtea etiam duos ſplendidos viros. Cùm itaque allata ſtatera, coniec-

ciſſent

ciſſent Æthiopes omnia Latronis chirographa in eam, depreſſa eſt vna lanx, altera in altum ſubleuata. Aiunt, autem duo lucis Angeli: Nihilne hîc nos habemus reliquum? Reſpondit alter. Ecquid poſſumus habere? nondum decimus dies eſt, cum cædem & latronum antrum reliquit: Quid boni ex illo requirimus? hæc vt dixerunt, viſi ſunt veſtigare manibus in lecto ipſius, ſi fortè inuenirent aliquid boni. At cùm ſudarium reperiſſet alter, quo latro lachrymas ſuas deterſerat, ait ad ſocium ſuum: Profectò hoc ſudarium lachrymarum eius adhuc ſupererat. Agedum alteri hoc lanci addita illi Dei benignitate imponamus, atque aliquid tandem erit. Mox autem vt illud ſolùm in lancem ſublatam iniecerunt, & hæc depreſſa eſt, & chirographa quæ in altera erant, diſiecta fuere. Exclamarunt itaque iunctis vocibus Angeli dicentes: Viuit Dei benignitas, correptáque latronis anima, ſecum eam abduxerunt; Verùm æthiopes cum ignominia fugerunt. Hæc vbi vidiſſet medicus, cum primùm euigilauit aſſumptis veſtibus curriculo venit ad valetudinarium, & accedens ad lectum

lectũ latronis, reperit corpus eius etiamnum calidum, animá iam ad Deum profecta, ſudariúmque plenum lachrymis, oculis impoſitum iacebat. Ex iis verò, qui in propinquo decumbebant, cum intellexiſſet qualemnam confeſſionem ad Deum latro inſtituiſſet, arripuit ſudarium, & rectà ad Imperatorem pientiſſimum contendit, oſtendens ei illud, narránſque omnia, quæ & in ſomnis viderat, & à decumbentibus in vicino loco audiuerat. Dixit itaque Imperatori. Gratias agimus Deo, pientiſſime Domine, nam accepimus, Latronem quidem olim ſaluum eſſe factum, per confeſſionem cœleſtis Regis in cruce factam: at vidimus etiam tui Imperij temporibus, latronem, per confeſſionem ſaluum eſſe factum. Hæc & ſi vera eſſe credimus, conſultum tamen putamus, terrificam audientes mortis horam præuenire, & per pœnitentiam antea ſe præparare.]

a t.6 Sury l.3 c.9.

In vita S. Odonis [a] illuſtriſſimum latronis ad bonam frugem traducti exemplum, ſic proditur. [Cùm pacis inter Reges & Princeps componendæ, & monaſteriorum reformandorum incredibili

arderet

arderet ſtudio, & amore, atque eâ cauſa huc illúcque diſcurreret, crebróque eſſet in itinere, non raró latrones ei inſidias comparârunt. Accidit quandoque, vt quadraginta in eum irruerent: ſed vt vidit, eum fratréſque comites eius, Hagmon, qui erat aliis inſignior, aduertitque illos ſine intermiſſione pſalmos depromere, corde compunctus, ait ad ſocios: Numquam ego me memini tales vidiſſe viros, nec puto alibi viſos eſſe. Miſſos itaque illos faciamus. Neque veró ſine periculo noſtro nocere eis poterimus, quãdoquidem habent apud ſe ſtrenuum militem. Illis contrà aſſerentibus, ſe militem illum lanceis confodere, cœteros ſpoliatos dimittere velle. Ille reſpondit, Priùs ergo in me vertatis arma veſtra. Nam quoad ego ſuperſtes ero, nihil iſtis facietis mali. Atque ita relictis illis, abiêrunt. Ille autem latro qui eos defendit, ſecutus Patrem Odonem, egit pœnitentiam, & deinceps à latrociniis abſtinuit, quod quidem nos nón fruſtrà eueniſſe putamus. Tantâ enim gratia, ſpiritus ille cui inhærebat, eum impleuerat, vt iucunditate ſua nòn ſolùm lætis, ſed etiam mœ-

rentibus

rentibus animi hilaritatem afferret, ſempiternæque exultationis participes eos efficeret. Lingua eius, vt habet ſcriptura, lig num vitæ erat, & lingua placabilis, ac dulcedo mellis. Fauus diſtillans labia eius, & lex prudentiæ in ſermonibus illius. Aliquando iter eo agente per latronum fines, quidam ex eis ætate iuuenis, ſimulátque vultum eius amabilem, & ſerenum intuitus eſt, corde compunctus, ad eius pedes corruit, demiſsâ voce obſecrans, vt ipſius miſereretur. Cùm autem rogaret vir beatus, quid vellet, in monaſterium ſe recipi petiit. Rurſus interrogante beato Odone, num quis in illa parœcia ipſius notitiam haberet, ille reſpondet, cunctis ſe nobilibus, & nequam hominibus notum eſſe. Tum Odo ad illum: Abi, inquit, iam, & cras reuertere ad me, cum vno ex primariis huius loci viris. Fecit ille, vt iuſſus erat, & poſtridiè virum nobilem ſecum adducens, venit ad virum Dei. Ille mox ſciſcitatur ex nobili, quæ iuuenis vita, & mores eſſent. Reſpondet nobilis, latronem eſſe in primis inſignem. Hortatur igitur vir prudens iuuenem, vt prius corrigat mores

ſuos,

ſuos, ac deinde monachus fiat; At ille: ſi tu pater (inquit) hodie me abiicis, ego rectà eo in perditionem : porrò animam meam Deus à te requiret. Tum verò miſericordiâ motus vir pius, iubet eum pręcedere ad monaſterium. Ibi poſteà aliquandiù probatus, vt fit in monaſteriis, tandem monachus effectus eſt, & cellario obedire iuſſus. Cúmque idiota eſſet, & obedientiæ labor, & ſtudium literarum ei iniunctum eſt. In vtroque verò tam ille ſe ſtrenuum, & impigrum exhibuit, vt alterâ manu ſeruiret cellario fratri, alterâ ferret Pſalteriũ. Sed nõ multò poſt Dominus ad eum ſe vocauit. Vbi autem ad extrema ventum eſt, beatum Odonem vocauit; vt ipſum inuiſeret, volens illi ſoli loqui. Venit ad eum vir Sãctus, perquirit num ſibi alicuius, poſtquàm monachus factus eſt, peccati conſcius ſit. Reſpondet ille; Tunicam meam nudo cuidam, te ignorante, mea culpa dedi, & funem è pilis contextum abſtuſti è cellario. Interrogante Odone, quid illo feciſſet, ſtrinxi illo (inquit) ventrem meum, vt eius coërcerem ingluuiem, cui anteâ aſſueueram. Obſtupefactus eâ re pius

pius pater, voluit ſoluere tam durum ligamen, ſed ſecuta cum ſanie cutis eſt; cui iam inhærebat. Inde addidit frater ille; hac nocte, Pater, in cœlum raptus ſum, viſione. Venit autem mihi obuiam illuſtriſſima, & ſummæ authoritatis fœmina, & cum mihi propinqua eſſet, Cognoſcis me? inquit, Me id pernegante, Ego ſum, ait, miſericordiæ mater, & ego: Quid me, inquam, iubes facere, ô Domina. Tu verò ait illa, poſt triduum venies huc, certam horam ei indicans. Venit illa dies, & hora, & monachus vita functus eſt; vt ex hoc ipſo ſatis cõſtet, verã fuiſſe eius viſionem. Deinceps beatus Odo Beatiſſimam Virginem ſolitus eſt matrem miſericordiæ appellare.]

11. Ebraldus nobilitate clarus iuuenis, ſed nequitia & graſſationibus illuſtriſſimus latro, cùm in Diœceſi Pictauienſi magna ſicariorum manu ſtipatus, latrociniis, ſtrenuè inſiſteret, adeunte ad ipſum Roberto de Abruſcellis, Theologo Pariſienſi viro inſignis doctrinæ & ſanctitatis, reſipuit, & Latronem quem ſecutus fuerat errantem, ſecutus eſt pœnitentem.

In agro Tridentino, latro nominatiſſimus, ac latronum totius prouinciæ princeps, in Ciſtercienſem Monachum incurrit, quem ſequi iuſſit, vt pecuniam emungeret. Quærenti de latrone quis eſſet, quámve factitaret artem, nomen ſuum & inſtitutum, ex nomine, plus ſatis monacho notum prodidit. Ingerēti monacho ſubalbeſcens caput, & ſanctum iuſtorum Dei iudiciorum timorem; reſpondit latro quid animę ſuæ fieret, eiúſque ſtatum futurum, non plus ſe curare, quàm pecudem, nec velle ſe angi ob animam, cuius deplorata eſſet ſalus, in tantis ſuis iam prima & minutula ætate flagitiis, quæ grandior ætas immanibus acceſſionibus cumulaſſet. Vrgenti Monacho, recuſaturus ne eſſet viam ſalutis inire, facilem & expeditam, ſi quam indicaret aſſenſus eſt. Recepit Monachus obuenturam ipſi ſalutem Dei benignitate, ſi in Deiparæ cultum ſanctè obiret ieiunium vna aliqua hebdomadæ die, qua etiam cuiuſcunque violatione abſtineret in eiuſdem Deiparæ veneratione m. Non grauatus latro, vt certam faceret propoſiti fidem, voto firmat vo-

luntatem: Quam etiã vt cumularet, adiecit non modò ſe vna per hebdomadem die (Sabbathum deſignabat) ritè ieiunaturum; & à prædatione feriaturum in Deiparæ honorem, ſed etiam aliis graſſatoribus vt à vexatione aliorum per eum diem vacarent, autorem futurum, ac pro viribus obſtiturum ne quemquam læderent. Poſt non multum tempus, latro, die Sabbathi, obuius factus Tridentini magiſtratus adminiſtris, & manui ſatellitum, quę quoſdam vrbi infeſtos inſequebatur, tentus ab iiſdem ac vinctus eſt; non renitens aut propugnans ſeſe (quod ob robur corporis facile poterat) non excuſans, ſed tanquam ouis, præda lupis ceſſit. Miſerante viri ſpeciem Iudice, exilio damnatus eſt, remiſſa patibuli pœna, cui primùm addictus ex lege fuerat. Abnuit Latro benignitatem, & mallè ſe dixit, in hac vita hominibus vlciſcentibus, per cruciatus ac illatam necem ſcelera expia[illegible] quàm in futura, Deo vindici pœnas dare. Sed & optionem necis, offerentibus permiſit, parum ſua referre (dicẽs) quo lethi genere obiret, dum obiret, & pro peccatis ſatisfaceret. Rogatus

tus vellétne Sacerdotem aduocari, cui confitenti aures daret, negauit neceſſe eſſe, quod omnes aſtantes Chriſtiani eſſent, vellétque corã omnibus de tota vita ſua confiteri. Per ſimplicitatem nimirum ac ruditatem in Chriſtianis rebus, ratus eſt, eam confeſſionem ſatis ſupérque eſſe ad bonam vitæ clauſulam, & propitiandum in ea numen. Adiuncta contritio ſupplementum præſtitit ſacramentalis confeſſionis quæ deſiderabatur, & bona fides animúſque non malus, excuſauit prætermiſſam confeſſionem de peccatis, apud Sacerdotem. Mortuus eſt latro cum publicè profeſſus eſſet, omnibus ſe ſceleribus coopertum, nihil vnquam boni geſſiſſe in vita, præter illam exiguam, à cibo ac ſceleribus abſtinentiam ad Virginis cultum vſurpatam, quolibet Sabbatho. Et Virgo, latroni vicem egregiè rependit: Perfectam enim contritionem & ſanctum obitum à filio exorauit. Ignobiliter tumulatum, per beatos Spiritus ſpecie matronarum conſpicuos, refodi, & ad vrbis portas in feretro exquiſitè ornato, purpuráque mirè oculata cooperto deuehi, aptato, ac rurſus nexo

corpori capite, fecit. Cadaueri iuſta indixit, monito per ſomnum, qui Epiſcopum Tridentinum ſuo nomine edoceret, quo loco ac modo ſepeliri clientem ſuum placeret. Apparuit nuſpiam ſecundùm Deum, peccatoribus perfugium patere tutius, quàm apud pietatis matrem. Hæc ex Cæſario, [a] qui addit ex quo ea acciderant, ad ſuum vſque tempus in prouincia illa, vix inuentum adultum, qui diem Sabbathi in Deiparæ honorem ieiunus non exigeret.

a 7 mirac. c. 39.

12. Conſulebat S. Franciſcum Aſſiſiatem, frater Angelus, quid facto opus eſſet, in vexatione quam cœnobium montis Caſalis, à tribus inſignibus latronibus viciniam infeſtantibus ſubibat. Quum enim cœnobitæ collegerant ſtipem, aderant illicò corui illi, & ſeruorum Dei eſcas præripiebant. Dedit conſilium Cœnobij præfecto ſanctus Pater, vt per triduum vltrò ad illos quæ optima ſuppeterent cibaria deferret, & ad veſcendum inuitatos piis interim ſermonibus paſceret, allicerétque ad ſpondendam aduentantium immunitatem. Non iterandum tertiò eam benignitatem, quin

latro

latrones cicurarentur, eámque efferam vitæ rationem abiicerent. Factum eſt, & cum ea humanitate, tum multo magis interiore Spiritus ſancti afflatu tacti latrones, cõmutata vitæ ratione, de eluendis antеactæ vitæ latrociniis conſilium ſuſceperunt. Simili arte, tres alios latrones ad ſuam militiam illexit idem S. Franciſcus, quorum duo ad exiguum tempus ſuperſtites, conſummati in breui explerunt tempora multa. Tertius per annos quindecim, quibus Deo in ea ſacra familia militauit, omnibus virtutibus, præſertim abſtinentia & ſancto in ſe. ipſum odio conſpicuus fuit, & inſigni viſo colluſtratus octiduo ante mortem, vitæ ſuæ metam, ac futuram gloriam, & prænouit ipſe, & prænunciauit aliis. Ita habent Annales Minorum, [a] & Chronicon Latinum, [b] ac Gallicum. [c]

[a] anno Chriſti 12.13. n. 27.
[b] l. 3. c. 8.
[c] l. 1. c. 86. & 87.

Nobilis Germanus, latro ac prædator teterrimus, tandem diuinitùs tactus, quæ rapuerat, vt licuit reſtituit, ac in eremum ſeceſſit cum ſocio, & ſingulis ferè noctibus, admota ardente candela, inaudito cruciatu vexabat ſeſe, vt noxas contractas elueret. Eum tandem ordini præ-

dicatorum adſcriptum, eximia claruiſſe ſanctitate, prodit Thomas Cantipratanus.[a]

a l.2 apum c 51 n.3.

13. S. Catharina Senenſis, æui ſui gemma, rogata vt inſignibus duobus latronibus, qui Senis agebantur in malam crucem, exoraret à Deo pœnitentiam, quam homines nequiſſimi obfirmatè reſpuebant ſalute deſperata, effecit interpoſitis apud Deum precibus, vt molleſcerent. Obuerſans enim eis in ipſa deductione ad ſupplicium Chriſtus Dominus, corpore toto cruentus, & multis perfoſſus vulneribus, ad pœnitentiam illexit, ſecuros factos de conſecutura venia, quam iam olim Latro cruci adſtans per pœnitentiam adeptus eſſet. Illicò miſeri diffluere lachrymis, ac propè in fletus ſolui: Sacerdotem poſcere, cui de peccatis ritè confiterentur, blaſphemias, in Dei laudes & ſcelerum ſuorum deteſtationem commutare, profiteri ſe iis cruciatibus ac atrocioribus etiam digniſſimos. Subita latronum ad gratiæ vitam excitatio, eos effecit motus animorum quibus concitandis, eorundem mox cæſorum reuocatio à morte, impar fuiſſet.

Scripſit

Scripſit hæc Raymundus Capuanus prolixiore oratione, & recitat in eius breuiario Surius.[a]

a t. 2. Aprilis menſe, ad finem.

Nolo in latronum pœnitentium ſeriem referre quem nunc adſcribo, tametſi multa fecit, quæ latrones ſolent, & dignitatis maieſtatem enormibus pleriſque auſis contaminauit. Sed quod ipſeſemet S. Latroni ſupparem pronunciauerit, viſus eſt non omittendus. Henricus tertius Rex Anglorum, cum multa in Patrem indignè admiſiſſet; multa in Deum & cœlites quorum Eccleſias expilabat; plurima in ſubiectos ſibi populos quos deglubebat, ad extrema deductus florente adhuc ætate, cùm Henricũ ſecundum, Regem patrem, iuuenilis malitiæ incertum non flexiſſet, inſigni peccatorum dolore adhibito, flexit Deum, S. Latronis exemplum ſequi profeſſus, luculentum pœnitentiæ ſpecimen edidit moriens, quod adſcribo verbis Rogerij [b] [Rex filius, deficiente ſibi pecunia, perrexit ad ſanctam Mariam de rupe Adamatoris, & decorticauit feretrum ſancti Adamatoris, & theſauros Eccleſiæ aſportauit. Paucis poſt elapſis die-

b in annalibus Anglicanis ad Chriſti annum 1183.

bus,idem Rex filius, cum vidiſſet ſe non poſſe multum nocere patri ſuo, ex indignatione & animi rancore in grauem incidit infirmitatem, in villa quæ dicitur Martel, non longè à ciuitate Lemouicenſi. Primò enim arripuit eum febris, deinde fluxus ventris, & contriuit eum vſque ad mortem. Qui cum ſenſiſſet ſibi mortẽ imminere, miſit pro Domino Rege patre ſuo, qui ad eũ venire noluit: Timuit enim inſidias illius. Rex igitur filius, conuocatis coram ſe Epiſcopis, & viris religioſis, qui aderant, primùm ſecretò, deinde coram omnibus ſua confeſſus peccata, pœnitentiam, & ſuorum recepit abſolutionem peccatorum, & tradidit Guillelmo Mareſcallo familiari ſuo, crucem ſuam, Hieroſolymam deferendam. Deinde depoſitis mollioribus veſtimentis, cilicium induit, & ligato fune in collo ſuo; dixit Epiſcopis & cæteris viris religioſis circumſtantibus. Trado me peccatorem indignum, culpabilem, & obnoxium, per funem iſtum vobis miniſtris Dei, poſtulans vt Dominus noſter IESVS CHRISTVS, qui Latroni confitenti in cruce peccata dimiſit, per pre-

ces veſtras & per ſuam ineffabilem miſericordiam miſereatur infœliciſſimæ animæ meæ. Et reſponderunt omnes, Amen. Et ipſe ait illis. Trahite me à lecto iſto per hunc funem, & imponite lecto illi cinereo, quem ſibi præparauerat. Et fecerunt ſicut ipſe præcepit illis, & appoſuerunt capiti & pedibus ſuis duos lapides magnos quadratos: & omnibus ritè peractis, ipſe præcepit corpus ſuum deferri in Northmanniam, vſque ad Rothomagum, & ibi ſepeliri. Et his dictis, ipſe ſacroſancti corporis & ſanguinis Domini viatico munitus, in timore Domini emiſit ſpiritum.] De hoc pœnitentiæ exemplo, ità pronunciat Petrus Bleſenſis, conſolatoria epiſtola ad Henricum patrem. [a] [Cùm præ vniuerſis mortalibus obtinuiſſet gloriam & ſuperemi- a epiſt 2.
nentiam militiæ ſæcularis, tandem in abiectione temporalium, & humilitate pœnitentiæ, factus & defunctus eſt Chriſti miles. Exemplum dedit vobis, vt & vos ſequamini veſtigia pœnitentis. Nemo enim fuit in confeſſione humilior, in ſui accuſatione contritior, in emendatione deuotior, in propriæ carnis afflictione

crudelior, in omni ſatisfactione feruentior.]

14. Videri poſſit eiuſdem notæ Bebianus ille, de quo hæc Poëta ſuo æuo non ignobilis.[a]

Priùs iſte captus vinculis mortalibus
Opes & inter ſæculi, pauper Deo,
Vitam vt peractis blandientem copiis
Mortalitatis immemor cucurrerat,
Vt ſe ſubacto fine mortalem videt,
Feſſo benignum quærit aſpectu Deum.
Statímque Chriſtum illuminatus inuenit:
Veniam precatur, & Sacerdotum pedes
Supplex adorat, ipſe culpator ſui,
Negánſque dignum, gratia dignum facit:
Vouétque vitam, ſi ſuperſit, integram:
Et obire gaudet, ſi renatus oppetat.
Credidit oranti, & ſitientem flumina vitæ,
Præcinctus puro perfudit Epiſcopus amne:
Quo peragente pios ſolito mox ordine ritus
Et diuale ſacrum libans, & Chriſmate fragrans,
Attonitum, mira ſe maieſtate fatetur,
Sed quis odor, quærit, quem ſentiat in ſua labi
Pectora, prædulci medicantem nectare fibras?

[a] tomo vltimo Biblio. Colon. 1027.

a Sedula

Sedula tunc coniux, omen de nomine Chriſti
Vnguentum ſpirare docet, ſpondétque Sacerdos.
Et monet vt longi ſpatium ſibi poſtulet æui.
Ille Dei iam totus, ad hæc, Satis hoc mihi donum
Quo potior; nunc mors lucrum mihi, vitáque Chriſtus,
Ecce per æternum terris data gratia Chriſtum.
Hic eſt ille latro Fœlix, qui fine ſub ipſo
Confeſſus Chriſtum, meruit reus aſtra fidelis:
Hic donatus abit ſolidꝰ mercede diei,
Seruus ab vndecima iã mercenarius hora.

15. Poſſem plura eiuſmodi adducere. Sed hæc ſatis ſupérque videntur, vt intelligamus diuitias miſericordiæ Dei in tam auerſa à recto pectora, exclamemúſque cum Dauide [a] poſt deſcriptam impij conſuetudinem & attritionem in ſceleribus, & Diuini timoris abiectionem, omni iniquitate, & initione viæ cuiuſuis non bonæ, & nequitię amore concluſam. *Domine in cælo miſericordia tua,* [a] *pſal.* 35.
&

& veritas tua vſque ad nubes. Planè ad cœlum vſque & nubes eminet miſericordia tua. Gratia item & iuſtitia, quam diffundis etiam in homines nequiſſimos, celſiſſima eſt, & ſicut montes altiſſimi. Iudicia tua, quibus vitam & miſericordiam tribuis adeò deſperatis perſonis, verè ſunt abyſſus multa. Tanta eſt miſericordiæ tuæ vbertas, vt non in eos tantùm qui ſicut homines ex rationis lege & præſcriptis tuis vixerunt, ſed etiam in iumenta quæ in ſtercore ſuo computruerũt, in homines vitiis corruptiſſimos, nec niſi externa ſpecie rationales, animi deprauatione reuera ferinos, ſalutem diffundas. O quantum, & quàm ineffabili ratione multiplicaſti miſericordiam tuam DEVS! Scitè æquè ac verè Poëta [a] Nuperus.

a Gazæus carmine 11.

Diuina virtus limites habet nullos,
Bonitáſque nullos, neutra cingitur ripis,
Nullóque regitur hæc & illa reſpectu.
Sis ater, albus, AEthiopsve, Graiúſve,
Agaſo, muliόve, ſis petaurîſta;
Sis prædo, ſis laniſta; ſi velit cœlum,
Dominúſque cœli, de repente feſtino
Rapidiùs oculi perſpicacis obtutu,
Mutatus ibis, alter alter ab illo.

Typi allegorici in S. Latrone, iutxa Patres.

CAPVT XVI.

1. EXACTAS eſſe Chriſti ſolis appulſu vmbras futurorum bonorum quibus Vetus Teſtamentum obnubebatur, extra controuerſiam eſt. Eſſe tamen etiamnum, aliquem locum ſymbolis ac typis, æquè ratum eſt apud Patres. Sic enim S. Dionyſius cuius de Theologia ſymbolica lucubrationem intercidiſſe dolendum eſt, cùm alibi frequenter, tum epiſt. 9. ac in ipſo fronte cœleſtis Hierarchiæ, omnia in Eccleſia, typis futurorum, vel præteritorum ſymbolis, aut præſentium allegoriis, ſcatere demonſtrat, id quod nuper aliqui iuſtis voluminibus executi ſunt: nihilque frequentiùs apud pleróſque Patres, Ambroſium preſertim, ac Gregorium, & qui de eis tractationem integram conſcripſit, Iſiodorum Hiſpalenſem, quam vt allegoricis ſenſibus inuerſa & aliorſum deflexa

deflexa exhibeant, qũæ Euangeliis ſun prodita, ac quæ ſi extimum corticem ſpectes, aliò pertinere non ſit dubium. Hoc ſecuti Patrum grauiſſimi, egregiè multiplicitérque tradiderunt, tametſi S. Latro, in Nouo Teſtamento per Chriſti mortem iam confirmato obierit, proindéque non videatur datus Eccleſiæ in parabolam: tamen fuiſſe typum multorum quæ in Eccleſia conſpicamur. Expreſſa item in eo atque correcta nõ pauca anteriorum facta; vt operæpretium ſanè videatur, hæc ſancti Latronis decora non prætermittere.

In primis lignum Paradiſi quod hominum cibatui prouiſum fuerat, exhibuiſſe S. Latronem, docet in hunc modum S. Anaſtaſius Sinaita. [a] [Tria ligna erunt in paradiſo. Vnum quidem vt veſceretur homo: alia autem duo, alterum quidem lignum vitę, alterum autem cognoſcendi bonum & malum. Propterea tria quoque ligna confixa ſunt in horto Golgotha ſeu Caluariæ. Vnum quidem, lignum Latronis qui fuit ſeruatus, vt per ipſum percipiamus non diffluentem fructum Theologiæ, ſicut ille paradiſum, &

[a] *l.7. in exaemeron.*

eo veſcentes lætemur, non ſemel ſed ſemper eum comedentes. Crux Chriſti lignum eſt vitæ, quo in altum fuit ſublatus botrus maturus, & vita noſtra ante nos viſa eſt ſuſpenſa, cuius virtute multi, etiam ex monimentis viuificati, ſunt excitati. Lignum autem cognoſcendi bonum & malum, fuit Crux blaſphemantis, quæ in bonum quidem illi fixa fuerat, ſi voluiſſet; in malum autem illi ceſſit, cum temerè ac ingratè linguam extendiſſet, & pro Dei laudatione Deum blaſphemaſſet, & comediſſet mortem ad interitum.]

2. Eductionem protoplaſti è delicto ſuo, & regreſſionem in paradiſum vnde peccando infœliciter exciderat, exhiberi expreſſam in S. Latrone, tradit hoc Iambico S. Gregorius Nazianz.[a]

Vnus Latronum, ſaluus ob fidem, eſt Adam.

Nec non Athanaſius[b] verbis illis de Chriſto. [In eo igitur homine cruci affixo, & mortuo pro nobis, reſurrexit à mortuis, aſſumptúſque eſt in cœlum. Idémque nobis, vbi creatus eſſet, initium viarum extitit, & cum in terris verſaretur,

[a] *Iambic.* 15.

[b] *in expoſi. fidei.*

tur, ex tenebris lucem, ex errore ſalutem, ex mortuis vitam, ingreſſúmque in paradiſum confecit, ex qua Adam eiectus fuit, in quam rurſus Adam intrauit per Latronem, vt inquit Dominus: hodie mecum eris in paradiſo.] Laudat hunc locum Facundus,[a] alibi idem Athanaſius, hunc Latronem fœlici antitheſi, primo Latroni qui in Dei honorem inuolauerat, contrapoſitum deſcribit.[b]

a l. 11. pro tribus capitulis c. 2.
b orat. in paraſc.
c homil. 2. de cruce & Latrone.

Multus in hoc eſt S. Chryſoſtomus[c] [hodie Adam (inquit) eiectus eſt de paradiſo, & hodie Latro in paradiſum ingreditur. Exiit fur & introiit fur: exiit præuaricator, & ingreſſus eſt Latro: exiit contemptor verbi, & introiit confitens verbum: exiit contemnens ſalutem, & introiit de cruce mercans ſalutem.] Et mox [Vide Dei iuſtum iudicium, vt dicas & tu cum Propheta: *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Propter vnum peccatum damnatur Adam, & propter vnam fidei vocem Latro ſaluatur. Vnum peccatum eiecit illum, & vna iuſtitia introduxit iſtum, & Latro habitator factus eſt paradiſi.] Rurſus alio loco,[d] huc referens, cur Latroni promiſſa ſit beatitudo

d orat. de caco.

ſub

ſub nomine paradiſi. [Vidiſti (inquit) Domini beneficium. Vidiſti magnum veritatis iudicem? *Hodie mecum eris in paradiſo.* Nemo hactenus Iudæorum aut Patriarcharum, de paradiſo fieri mentionem audiuit, ex quo tranſgreſſus eſt Adamus, & ex illo egreſſus eſt. Ac tametſi Deus hominibus innumera fidelibus promiſit; nuſquam homini apparet Dei ore promiſſum eſſe paradiſum, poſtquam eiectus Adamus eſt, niſi huic primùm Latroni. Cur nulli Patriarcharum primùm de paradiſo loquutus eſt, nulli Prophetarum, nulli Apoſtolorum? Antiquis verò promiſit: *Dabo tibi terram lacte & melle manantem.* Apoſtolus dixit: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum:* nuſquam paradiſus, reſeruat in medio paradiſum, vt Latroni primùm promittatur. Licèt enim dixerit Paulus, Raptus ſum in paradiſum; poſt Latronem tamen hoc accidit. Cur igitur primus ingreſſus eſt, qui vnam propè vocem protulit? Quid enim? an ſæpè pſalmos cantauit? ſæpè decertauit? Sæpè de diuinitate verba fecit? Semel, inquit, iuſtus nimirum eſt Deus meus ſalutis arbiter. Quandoquidem primum

hominum Adamum, non ob multa peccata,ſed ob vnam inobedientiam è paradiſo eiecit : Ita iuſtitiæ ſtatera Latroni primùm in paradiſum ingreſſurum eùm promiſit non cùm multa quædam confeſſus eſſet, verùm cùm vnam fidei confeſſionẽ obtuliſſet. Dixi peccatum Adami fuiſſe quod contrà quàm præceptum erat, lignum attigerit. Quæ porrò fuit Latronis purgatio? Quod cum fide crucem attigerit, in paradiſum intrauit.] Obiter ex Macrinæ ſororis oratione ad DEVM ſub vitæ metam, idem dixit S. Gregorius Nyſſenus.[a]

a in eius vita.

3. S. Auguſtinus eodem collimans, dæmoni cui primum illud latrocinium malè perſuaſum benè ceſſiſſe videbatur, ex S. Latronis beata ſorte,latè inſultat.[b] longioris diſputationis partem dumtaxat appono. [Ille ſanguis quem effudiſti te vicit, me redemit. Denique illum bibo, & veneni tui perniciem ſaluatus vltrà non timeo. Præualuiſti in paradiſo, ſed victus es de patibulo. Quid mihi circumiectam paradiſo igneam rompheam opponis? Ecce exaltati crucifixi profluẽs vnda,reſtinxit verſatilẽ flammam. Iamiam patet humano generi paradiſus, in

b ſer. 122. de temp.

quo Latronem confitentem reduxit Dominus Ieſus Chriſtus. O quam grande myſterium. Paradiſus qui clauſus fuerat præuaricatori, iam reſeratur Latroni. An fortè & in hoc Latrone, totum hominem, vel illum etiam primum generis humani parentem aduertere conuenit. Si enim is qui aliis interficiendo intulerat mortem, Latronis accepit nomen; quanto magis qui ipſam mortem, quæ non erat, peccãdo inuenit, Latronis non immeritò crimen incurrit? Chriſtus autem ait Latroni: *Hodie*, inquit, *mecum eris in paradiſo*. Cui aliquando chariſſimi tarda videatur conuerſio, cùm Latronis iam pendentis, iam morientis, non fuerit repudiata confeſſio? O ampla Domini miſeratio, obliuiſcentis iniuſti crimen, ſuſcipientis pœnitentis fidem, pro ſcelere damnatum facientis electum, mortis debitorem reddentis æternitatis vitæ participem. Sed planè huius Latronis, extrema quidem ſed non minima fides: qui Dominum tunc non ſuſcitantem mortuos, ſed morientem pro peccatoribus propemodum agnoſcere, & confiteri promeruit ſolus. Denique Petrus paſ-

ſionis timore perterritus, quaſi hominem denegat, Latro crucifixum adorat. Sed Petrum Dominus correxit reſpiciendo, Latronem verò beatificauit in gloria aſſumendo. O Latronem laudabilem, mirabilem, imitabilem, ſæuientem gladio, violentum cœlo, rapinis inhiantem, fide feruentem. Sed hæc mutatio dexteræ excelſi eſt, vt verſam vicem redderet diabolo Chriſtus. Videlicet, vt quemadmodum diabolus, primum deprauando hominem abſtulerat de paradiſo, ſic Chriſtus Latronem confitentem erueret de inferno. Ille præſumentem de interdicto ligno decepit, iſte pendentem de pœnali ligno redemit. Etenim fratres, aſſumamus & nos vocem Latronis huius, ſi non volumus eſſe latrones. Dicamus & nos. Memento noſtri Domine, cum veneris in regnum tuum.]

4. Drogo Hoſtienſis Epiſcopus S. Bernardi æqualis, ſic pereleganter diſſerit ad hoc inſtitutum[a] [Redi ad cor tuum tandem aliquando, redi vetus Adam. Vide vbi & quomodo te requiſiuit & inuenit nouus Adam. Oſtendam tibi in corpore eius, ignominias animæ tuæ. Non

[a] ſerm. de ſacram. Dom. paſſ.

 ſatis

ſatis fuit quod per colaphos & noua irriſionũ genera, poſt te fugientẽ, clamitans & miſerans percurrit & vſque ad nouiſſimum crucis ſupplicium, te animam efflantem conſecutus, inuenit & apprehendit? Quis enim Latro ille niſi Adam fuit?. qui ex quo primum in paradiſo ſui ipſius homicidium perpetrauit, tandiu à Chriſto fugit reus, & abſcondit ſe donec in Crucis articulo nouiſſimè conſumptus & comprehenſus, fugere & latere amplius non potuit.] Rurſus infrà, tractans horam qua Chriſtus ſpiritum pretioſiſſimum efflauit, conferénſque claudum per Petrum & Ioannem nona orationis hora curatum, ac Latronem hora nona inductum in paradiſum, cum Adamo hora item nona ſub veſperam exturbato è paradiſo. [Et quare (inqnit) nona orationis erat hora? quia circa horam nonam tenebræ factæ ſunt. Repellendus erat horror tenebrarum, qui vniuerſam operuerat terram, repellenda caligo populorum, quæ tunc cœperat abundare, ex quo tu non ceſſaſti clamans, Vbi es Adam? Sequens poſt tergum fugientis & abſcondentis ſe, quantum in ipſo fuit:

qui & dimiſſus eſt de paradiſo voluptatis,& peruenit vſque ad condignum ſuæ cruciatum iniquitatis.Sed nos,inquit,digna factis recipimus, hic autem quid fecit? O Adam quam ſerò in hæc verba prorupiſti! Modò te primum inueni: Amen dico tibi,hodie mecum eris in paradiſo:Ideò eſt hora orationis nona.Nona orauit, nam decimâ Paradiſum intrauit. Propterea non introibat claudus in templum, quia nondum vſque ad decimam generationem peruenerat.]

5. Nec Adami tantùm, ſed & omnium qui in ſimilitudinem præuaricationis Adæ peccauerunt, cũ conuertuntur ad cor, imaginem in S. Latrone expreſſam eſſe,monuit S. Bernardin.[a] Ego ex Auguſtino idem doceo,qui multus in hac allegoria eſt,[b] conferens prodigum filium ad ſe reuertentem cum S. Latrone, & vtrumque cum peccatore reſipiſcente. [Quis eſt iſte filius perditus, qui omnem ſubſtantiam paternam in meretricibus erogauit, niſi ille Latro qui ſubſtantiam animæ à Deo ſibi datam, per ſcelera diffluendo, etiam in cruce pependit? Porcos pauit, quando dæmonum

a t 4. tract. de amore anguſtioſo ſerm. 45.
b l. de tēp. barbarico c. 7.

num

num voluptates ſuis factis impleuit. Forraſſe illos porcos pauit, quos petierat diabolus à Domino, dicens, iube nos introire in gregem porcorum. Fame contritus eſt, quia panem verbi Dei non inueniebat. Siliquis cupiebat ſaturare vẽtrem ſuum; quando tortuoſis cogitationibus replebat animam ſuam. Sed reuertatur ad ſe, videat ſe Latro in cruce pendentem, concurrat ad Patrem, dicat in cruce pendens, *Domine, memento mei dum veneris in regnum tuum.* Domine memento mei, non ſum dignus vocari filius tuus; ſuſcipe me ſicut vnum ex ſeruis. Domine memento mei. Latro enim ſua attendens merita, de ſeipſo diffidebat. Sed Dominus tanquam pius Pater, Latroni filio quod deſperauerat offerebat. Proferebat huic pater ſtolam primam. Induat filium immortalitate, quem ſecum videt in cruce pendentem; introducat eum in domũ, dicat Chriſtus Latroni: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo.* Mactet vitulum ſaginatum, hominem illum ſuſceptúm, etiam pro Latronibus crucifixum, aduocet amicos ſuos diſcipulos, quibus dicebat. *ſi feceritis*

quæ mando vobis, iam non dicam vos ſeruos ſed amicos. Præparetur illud conuiuium cœleſte, aſtet ille chorus Angelorum ſuauiter declamans, *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Veniat & primogenitus filius ille, & nolit intrare. Quis eſt iſte filius primogenitus qui noluit intrare, niſi primus ille Apoſtolorum Petrus, qui ad interrogationem vnius ancillæ in atrio Sacerdotis, ter Dominum auſus eſt negare? Dixiſti quidem, ô Petre tanquam Patri Chriſto, ego tecum laboraui, quando dicebas Saluatori. Tecum ſum vſque ad mortem, animam meam pro te ponam. Vbi eſt quod promiſiſti? Interrogaris ſemel, & negas: ſecundò interrogaris, & negas: tertiò, & negas. Non vis ad conuiuium intrare, ideò auſus es ter Dominum negare. Vbi eſt, Animam meam pro te ponam? Ter negantem non terruit vngula, ſed vna oppreſſit muliercula. Certè tecum ſum vſque ad mortem. Vide, vide igitur Petre quantum de te antea præſumpſeris: Ecce nunc ter negando, gallo teſte conuinceris. Sed egrediatur pater ad primogenitum filium nolentem intrare.

trare. Dicat Chriſtus Petro; intra in gaudium Domini tui: reſpiciat negantem, & faciat confeſſorem: compungat flentem, faciat amatorem: exhortetur eum paterna voce, fili, inquit, tu meus es, tu es Petrus: et ſi me negaſti, meus es. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Tu meus es, & omnia mea tua ſunt. Tibi dabo claues regni cœlorum. Apud te Petre ſunt claues, dignare iam ad conuiuium intrare. Oportebat hæc fieri, quoniam frater tuus Latro, mortuus erat, & reuixit, perierat & inuentus eſt. Si Petrus, antequam Chriſtus pro omnibus crucifigeretur, regni cœlorum claues accepit, quâ illuc introiuit Latro, ille iam non reus, niſi per latus quod aperuit Iudæus? Et nunc veniant omnes quicunque amant paradiſum, locum quietis, locum ſecuritatis, locum perpetuæ fœlicitatis, locum in quo non pertimeſcas barbarum, in quo nullum patiaris aduerſarium, nullum habebis inimicum. Venite omnes, intrate omnes, eſt qua poſſitis intrare, patet latus. Oſtendit enim ille Latro, quo debeant omnes intrare, neminem ſuo

exemplo docuit deſperare.]

6. Copioſius item in hac allegoria eſt Drogo, [a] hominem enim peccando euadere Latronem, & idcirco ſoluere crucem, ita declarat. [Quare timent homines crucem? quia Latrones ſunt. Si Latrones non eſſent, crucem non timerent: ergo qui timet latro eſt. Quomodò, inquis, latro eſt? audi Chriſtum: *Vos autem*, inquit, *feciſtis eam:* id eſt domum meam: *Speluncam Latronum. Templum Dei ſanctum eſt quod eſtis vos.* Faciunt ergo homines ſeipſos ſpeluncam Latronum, iugulant homines & trahunt in ſpeluncam ſuam. Quod enim maius eſt homicidium, quàm vt ſeipſum interficiat homo? vel quod grauius homicidium: corpus occidere, an ſpiritum? O quoties homo ſpiritum ſuum interfecit! quot homicidia in ſeipſo perfecit? quoties voluntariè & ex ſtudio peccatum perpetrat, quid aliud quàm ſeipſum iugulat? *Omnis enim qui acceperit gladium, gladio peribit.* Gladius animæ, peccatum eſt. Peccatum, animæ mors eſt. Qui hunc gladium manu propriæ deliberationis acceperit: hoc eſt acceptum habet & gratum: primus

[a] *de ſacra. Dom paſſ.*

mus in ſeipſum manum mittit, primus ſemetipſum interficit: *gladius* (inquit) *eorum intret in corda illorum.* Nec ſatis eſt ſemel occidere & quieſcere. Millies & millies, crudeles in ſe manus conuertunt, & veloces ſunt pedes eorum ad effundendum ſanguinem ſuum, viri ſanguinum & doloſi. Quomodò doloſi? quia congerunt cadauera mortuorum in ſpeluncam ſuam, & operiunt aggere terræ, ne vel ipſi videant, vel ab aliis videantur. Nolunt ipſi videre, ne horrorem vel pudorem ingerant eis in faciem morticina fœtentia. Nolunt videri, ne fortè deprehenſi tanquam latrones, homicidæ, ad horrenda ſupplicia pertrahantur. Quid autem in omnibus ſuppliciis tam horrendum, quàm crux. Ideò timent crucem latrones, quia crux ſcelerum vindex eſt, crux impiorum pœna eſt, crux æqua lance iudicat & remunerat, hinc nocentes, illinc innocentes. Ideò crux impiis formidoloſa, piis autem, ſuper omnia ligna paradiſi gratioſa eſt.] Hoc numero & loco ſuam crucem habuit S. Latro, ex quo nouam mentem induit, quæ eadem eſt peccatorum quorumcumque, à mor-

te ad vitam ſpiritus reuenientium.

7. In populo Hebræo, Aaron mortuos & viuentes ſeiunxit, ſublato thuribulo. Hoc quid ſit, audi Petrũ Damiani.

a l. 8 epiſt. 12.

[a][Tollens Aaron Thuribulum, cucurrit per mediam multitudinem quam vaſtabat incendium: & ſtans inter mortuos ac viuẽtes, thymiama obtulit, ſicque deſæuiens plaga ceſſauit. Quem ſane Aaron, niſi redemptorem noſtrum ſignabat? Ipſe namque quoniam ad currendam viam, quaſi gigas exultauit, arrepto paſſionis ſuæ thuribulo, inter mortuos, ac viuentes occurrit, & obiectu Crucis ſuæ, Thymiama ſacri corporis concrematum eſt, & Agnus ille Cœleſtis aſſatus eſt; viuos ac mortuos ſeparauit, igniſque perniciem ab eis, quaſi quidam interueniẽs murus excluſit, vt vorax flamma deglutiat infideles quoſque de quibus ſcriptum eſt: *Nunc ignis aduerſarios conſumit*: & iuſti qui fide viuunt, incendium damnationis euadunt. Quorum mortuorum atque viuentium, iam & ipſi Latrones noſcuntur fuiſſe primitiæ, inter quos Dominus crucifixus eſt, quorum alter electus, alter eſt merito perfidiæ reprobatus.

batus. Hoc itaq; thymiama ſacrificij ſalutaris, atque ſingularis, quod in ara crucis oblatũ eſt Deo Patri, mons ille fortitudinis, inter mortuos viuentéſque portauit.] Sed & Coſmas Hieroſol.[a] ſic canit. [Immaculatæ paſſionis typũ, olim medius inter Sacerdotes in ſe ipſo effinxit Moſes.] Quæ verba Theodorus prodromus ita gloſſat. [Moyſes paſſionem in ſe ipſo prędeſignauit, quia medius inter Sacerdotes, Hur, & Aaronem ſtabat; ſicut IESVS meus, medius inter duos Latrones ſuſpenſus eſt.]

a can. exalt. S. crucis ode. 1 in Tropario.

Hircos duos quorum alter apopompæus, duobus Latronibus, & vtrumque, duplici in ſalutis negotio, hominum ordini, ſcitè confert Origenes,[b] verbis illis. [Conſidera duos illos qui tempore crucis eius, vnus à dextris & vnus à ſiniſtris pependerunt Latrones: & vide illum qui confitebatur Dominum, ſortem eſſe factum Domini, & adductum eſſe ſine mora ad paradiſum. Illũ verò alium blaſphemantem, ſortem factum eſſe apopompæi, qui in ereműt abduceretur inferni. Sed & in eo quod dicitur. *Quia affixit Cruci ſuæ principatus & poteſtates*

b vel Cyrillus l. 9. in Leuit.

contrarias, & triumphauit eas: ſortem in iis apopompæi compleuit, & tanquam homo paratus abduxit eas in eremum. Denique & in Euangelio Dominus dicit: *Quia cùm exierit de homine immundus ſpiritus, vadit per loca deſerta quærens requiem & non inuenit.* Ergo poteſt & Saluator noſter homo paratus intelligi: qui ſortem quidē Domini, Eccleſiam ſuam fecerit, eámque Diuino cōſecrarit altari. Sortem verò apopompæi, contrarias fecerit poteſtates, Spiritus nequitiæ, & mundi huius rectores, tenebrarum harum: quos ſicut dixit Apoſtolus cum poteſtate traduxit, triumphans eos in ſemetipſo. Quò traduxit, niſi ad eremū, & ad loca deſerta? Sicut enim ille qui confeſſus eſt, aperuit paradiſi ianuas, dicendo, *hodie mecum eris in paradiſo:* & per hoc omnibus credentibus & confitentibus ingrediendi aditum dedit, quem priùs Adam peccante concluſerat. Quis enim alius romphæam flammeam verſatilem, quę appoſita eſt cuſtodire lignum vitæ & fores paradiſi, poterat dimouere? Quis alius, Cherubin peruigili excubans cuſtodia, valebat inflectere, niſi ipſe ſolus

lus cui data eſt poteſtas omnis in cœlo & in terra? Vt inquam præter ipſum nemo alius hæc facere potuit, ita principatus ac poteſtates, & rectores mundi, quos enumerat Apoſtolus, nemo alius poterat triumphare & abducere in eremum inferni, niſi ipſe ſolus, qui dixit. *Confidite, ego vici mundum.* Idcircò ergò neceſſarium fuit Dominum & Saluatorem meum, non ſolùm inter homines naſci, ſed etiam ad inferna deſcendere, vt ſortem apopompæi, tanquam homo paratus in eremum inferni deducens, atque inde regreſſus opere conſummato adſcenderet ad patrem: ibíque pleniùs apud altare illud cœleſte purificaretur, vt carnis noſtrę pignus quod ſecum euexerat, perpetua puritate donaret.]

8. Duos populos, in duobus Latronibus Chriſto confixis expreſſos fuiſſe, & reprobum in ſcelere obfirmatum exhibuiſſe Iudæos, ſanctum verò Latronem expreſſiſſe gentes, in quibus ſibi Deus placuit; frequentiſſimum eſt & decantatiſſimum apud Patres. Profero nonnullos. S. Hiero.[a] agnoſcit duos Latrones Chriſto confixos, duo eſſe animalia in quorum

a *in cap.* 3. *Abacuc.*

quorum medio Dominus cognoſcitur: quæ typum fuiſſe duorum populorum, nemo ignorat. Non improbant hanc allegoriam. D. Auguſtinus [a] & Remigius.[b]

a 18 ciuit. c. 12.
b in cap. 3. Abacuc.
c hom. 2. de cruce & Latrone.

S. Chryſoſtomus [c] [In cruce duo Latrones, imago Iudæorum & Gentilium. Latro qui pœnitet, imaginem obtinet populi ex gentibus congregati: qui priùs in errore ambulauerat, & poſt hoc, veritatem agnouit. Imaginem verò latro ille obtinet Iudæorum qui vſque in finem perſeuerauerat latro, & vſque ad tẽpus quidem crucis, viam malignitatis ierunt: crux autẽ diuiſit vtrumque. Viam námque cæcitatis & perditionis qui non credidit, ingreſſus eſt: viam autem ſalutis, qui credidit, adeptus eſt. In cruce didicit latro differentiam viarum: *Quoniam nouit Dominus viam iuſtorum, via autem impiorum peribit.*] Et alio loco. [d] Latrones, populi Iudæorum & noſtri, figuræ fuerunt. Nam hic quidem blaſphemat, & damnatur: Ille verò credit, & pœnitentiã agit, & ſaluatur. Ait igitur improborum ex Iudaico latrocinio germanus: fuerunt enim populus latronum improbi Iudæi, vt teſtatur Saluator, dicens: *Domus mea, domus orationis vocabitur, vos autem feciſtis*

d hom de cæco. t. 6. Græcol.

ſtis illam ſpeluncam latronum. Ac prioris quidem, propoſitum animi, Iudaicum fuit: poſterioris verò Chriſtianum, cum à malis exorſus, pœnitentia ſalutem extorſerit.]

9. Cyprianus, (aut quiſquis apud eum author libelli de Sina & Sion,) cum docuiſſet, *Sion*, verti debere, *tentationis exacerbationem*, aut *ſpeculationem*; vtramque notionem referens ad lignum crucis, ait, Chriſti in eo paſſionem & tentationem fuiſſe vt prædictum fuerat Sap. 2. & ſpeculationem nam [ſpeculum (inquit) altitudinem ligni declarat, dicente Salomone: *Poſuerunt me velut cuſtodiam pomarij*: eo quod in horto in ligno confixus inter duos Latrones pependit: & de altitudine ligni, ambos ſpeculatur, in figura duorum populorum malefactorum, Gentes in ſæculi mala facta iacentes, & Iudæos interfectores Prophetarum. Hi ſunt duo populi malefactores, quorum figuram in ſe portabant duo Latrones, inter quos pependit innocens. Vnus blaſphemabat; alius verò confeſſus eſt, quia innocens iniuriam patiebatur. Ieſus autem ambos ſpeculabatur de

ligno ſpeculatorio, blaſphemum & confeſſorem. Confeſſorem ſaluauit, & blaſphemum perdidit: ſicuti de duobus populis fecit. Perſecutores derelicti, qui in æternæ mortis ſententia ſibi non crediderint, ſi ſic de ſæculo exierint, perient. Gentes verò ad ſe conuerſæ, fidẽ ſibi habentes, quia filius Dei eſt: ſaluatæ videbunt in æterna ſæcula ſæculorum, Imperatorem & Regem ſuum.]

a l. 11 in Ioan. c. 28. Cyrillus[a] [Inter duos Latrones crucifixus eſt ex malitia Iudæorum: qui vt turpiſſimam mortem eius oſtenderent, iuſtum cum iniquis condemnarunt. Qui quidem duo Latrones, duos populos, qui poſtea Chriſto coniuncti ſunt, Iudaicum dico atque gẽtilem, ſignificaſſe mihi videntur. Condemnati autem iure vt Latrones fuerunt, quia & Iudæi legem tranſgredientes, præuaricationis cuiuſuis rei erant, & gentes non creatorem, ſed creaturas colebant.] Addit multo plura in eam ſententiam.

b l. 2. epiſt. 155. 10. Iſidorus Pelus.[b] [Duo Latrones, duos populos adumbrabant: Ille, vt qui ad extremum vſque ſpiritum improbitatem animíque peruerſitatem præ ſe tulerit,

tulerit,ac ne vltimam quidem captiuitatem, quam à Romanis perpeſſus eſt, in contumeliarum Chriſto illatarum pœnam atque vltionem ſeſe ſubiiſſe cõfeſſus ſit:hic autem, vt qui in extremo vitæ ſpiritu, de peccatorum remiſſione minimè deſperarit, verùm ſcelerum agmen diuinitatis prædicatione correxerit & expiarit.] Et rurſus, non multo poſt [a] [Quod Dominus inter duos Latrones cruci affigi ſuſtinuerit, volũtariam ipſius ad duos populos præſentiam patefecit: ad quos,vt vtrumque per incarnationem ſuam reuocaret, vltro ac ſponte acceſſit: etiamſi prior quemadmodum ex Latronibus vnus, id beneficium repudiarit, (non habemus Regem, inquiens, niſi Cæſarem) dum & innoxium ſanguinem in capitis ſui perniciem ad necem depoſcit, & huiuſmodi cæde tanquam iuſta gloriatus eſt. Ex quo effectum eſt, vt & hic populus, & latro ille, regno exciderint.]

a *epiſt.* 256.

Theophilactus [b] [In contumeliam Chriſti, crucifixerunt cum eo duos Latrones, vt ipſe iniquus exiſtimaretur cum illis. Figura autem erant duorum

a *in catu: Matth.* 27.

populorum,Iudaici & Gentilis,qui vterque præuaricatores erant & flagitioſi, ac exprobrantes Chriſto : ſicut ei primùm ambo Latrones improperabant. Alter autem & poſterior reſipiſcēs, confeſſus eſt Regem:Ideò & dicebat,*memor eſto mei in regno tuo.* Sic & Gentilis quoque populus, blaſphemabat.] Idem in Marcum. [a] [Sunt Latrones duorum populorum typi.Iudæorum ſcilicet ac gentium. Vtrique enim impij ſunt; Gentiles tanquam naturalis legis præuaricatores: Iudæi autem vt contemptores & huius & eius, quam Dominus dedit legis. Sed hîc quidem Gentilis gratus fit, & reſipiſcit: Iudaicus autem vſque ad finem blaſphemat. Porrò Dominus inter duos populos crucifigitur : Ipſe enim lapis eſt, coniungens nos.]

a *in c.* 15.

Eadem habet Iſidorus Hiſpal.[b] Et inſigniter planè Rupertus [c] latè oſtendens, hac ex cauſa, bonam partem capitis, conſequentis prædictionem Iſaiæ de duobus Latronibus Chriſto configendis,impendi in exponenda gentium electione & reprobatione Iudæorum. Locus eſt pulcherrimus ſed prolixior quam

b *in allegoriis Noui Teſta.in ipſo fine.*
c *l.* 2. *in Iſaiæ c.* 20.

vt

vt adſcribi hoc loco debeat. Similiter Anaſtaſius [a] oſtendens populum terreſtrem & marinum, eſſe Iudæos ac gentiles, & varias ad id proferens figuras, monſtrat quoque, hos Latrones fuiſſe typum duorum illorum populorum. *a 5. exaem.*

11. Verùm quia ex ipſis gentibus non omnes Euangelio excipiendo ſe dociles faciléſque præſtiterunt, ſed in ipſis populi nonnulli infideles, pluribus ad fidem venientibus permanſerant; hoc quoque fidelium & infidelium diſcrimen, duobus Latronibus ſignatum, habet diſertè S. Hilarius [b] [In ligno (inquit) vitæ cunctorum ſalus & vita ſuſpenditur: cui duo Latrones læuæ ac dexteræ affiguntur, omnem humani generis vniuerſitatem vocari ad ſacramentum paſſionis Domini oſtendentes: ſed quia per diuerſitatem fidelium atque infidelium fit omnium ſecundùm dexteram ſiniſtrámque diuiſio, vnus è duobus ad dexteram ſitus, fidei iuſtificatione ſaluatur.] *b cano. 33. in Matth.*

Annuit S. Ambroſius [c] expendẽs præſentem locum: & pulchrè Cyprian. aut quiſquis author libelli de montibus Sina & Sion. Sic enim ſcribit. [In ipſa paſſione *c 10. in Lucam.*

pendens in ligno, duas partes populi proſpiciens, ſpeculabatur de alto ligno. Pars populi, qui viderant virtutes eius mirabiles & deificas, patientem illum iniurias dolentes, plorabant. Alij verò Iudæi irridentes, de arundine caput eius quaſſabant, blaſphemantes, & dicentes, Aue Rex Iudæorum, vbi eſt pater tuus? Veniat & liberet te de Cruce.]

Alios infideles qui ex nobis exierunt, ſed non erant de nobis, hæreticos inquam, in Latrone blaſphemo expreſſos, cuius facta Chriſtum blaſphemando & lacerando æmulantur; ſanctum verò Latronem Chriſto laudes pangentem, & eius fidem illuſtrem, ſignaſſe Catholicos, inſinuat S. Ambroſius.[a] Obſeruans, ſicut duo Latrones, vniuerſitatem credentium Chriſto confixorum ex Iudæis & Gentibus aduocandam expreſſerunt, ita eorum diſſenſionem, ſignaſſe diuerſitatem credentium. *Credentes* vocaſſe videtur Ambroſius hæreticos, non quod rectæ fidei vel micam habeant, ſed quod externa ſpecie credentes videantur, & quod circa pleraque materialia fidei obiecta, conſentiant Catholicis: tametſi hi, credendo

a *l* 10. *in Lucam.*

credendo diuina reuelatione per Eccleſiam propoſita, illi autem aſſenſum præbendo, nitantur proprio iudicio, quo eos condemnatos pronunciat Apoſtolus.

12. Inter veros fideles, nõ deſũt quibus crux Chriſti ſcandalum ſit, & idcirco ad mortificationem Chriſti ſcandalum ſuſtinent, non minùs quàm Ethnici aut hæretici: etiamſi aliqui Dei beneficio, ſerò ſapiunt, & crucem priùs ſcandali materiam, faciunt pietatis argumentum. Hoc quoque duplex genus fidelium, quorum aliquos crucis ſcandalum percellit, duobus his Latronibus adumbratum, acutè attigit S. Hilarius, [a] verbis illis. [Quod Latrones ambo, conditionem ei paſſionis exprobrant, vniuerſis etiam fidelibus, ſcandalum crucis futurum ſignificat.] Idem habet Ambroſius, qui Hilarij veſtigiis ſolet inſiſtere, agens de Latronis per Latronem increpatione.[b]

a cano. 33. in Matth.

b l 10 in Lucam.

Ex his fidelibus, quibus crux ſcandalo (ſaltem in ſpeciem,) non eſt, duo conflantur ordines. Itaque duos Latrones in cruce poſitos, varia denotare conſilia eorum qui primum aliquod ineunt inſti-

tutum, quorum nonnulli Deum eiúſque cultum, alij ſeipſos quærunt, docet Rabanus, his verbis [a] [Latrones qui cum Domino ſunt hinc inde crucifixi, ſignificant eos qui ſub fide, & confeſſione Chriſti, vel agonem martyrij, vel quælibet continentiæ arctioris inſtituta ſubeunt: Sed quicunque hæc pro æterna ſolùm, cœleſtíque gloria gerunt. Hi profectò dextri Latronis merito ac fide deſignantur. At qui ſiue humanæ laudis, ſeu qualibet minus digna intentione mundo obrenuntiant, non immeritò blaſphematoris ac ſiniſtri latronis mentẽ imitantur, & actus. De qualibus dicit Apoſtolus, *ſi tradidero corpus meum vt ardeam, ſi dedero omnes facultates meas in cibos pauperum*, ſi alia plura aut pietatis opera facere aut dona gratiæ ſpiritualis accepiſſe videar: *Charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt.* Beati autem qui ſua; propter Deum, aut propter Euangelium relinquunt. *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.*] Profecit apertè ex Beda, [b] vt & creditus Anſelmus, [c] re ipſa Petrus Babion.

a l. 7. in Matth.

b in c. 15. Marci

c in c. 27. Matth.

In

13. In vtroque illo ordine, pœnitentes & impœnitentes duobus Latronibus exhibentur, authore Cypriano [a] [Deputatus inter impios, quorum alter aſſumptus, alter reprobatus eſt: vt daretur exemplum & forma indiſſolubilis manens in poſteros: quia nec in vltimis Dei clementia pœnitentes excludit; nec vlla hora ſera eſt, cui compunctio diſtricta occurrit: nec eos qui vitæ ſuæ quocumque articulo temporis veri ſunt iudices, iterum iudicari: quia, cum iudicis & tortoris vices non parcens peccator aſſumit, ſemetipſum proſequens, dum confeſſionem confuſione honorat, holocauſti huius incenſio in conſpectu Dei veniam impetrat. Neque enim bis in idipſum iudicat Deus: ſed impœnitentes ipſe iudicat & damnat, pœnitentes verò quia à ſeipſis ſuſcipit iudicatos, abſoluit. Neque iudicio quod pœnitentiæ humanæ ſeueritas protulit, aliquid iuſtitia cœleſtis apponit. Iudicati ſunt Ægyptij, cum in redeuntibus ſuper ſe maris fluctibus inuoluerentur: iudicati Sodomitæ, cum ſubuerſis eorum vrbibus, flammis ſulphureis cremarentur. Sed ſi in eiſ-

[a] ſerm. de paſſ. Chriſti.

dem ſubuerſionibus gemerent pœnitentes, temporali pœnæ æternalis non ſuccederet pœna, ſed eſſet eis pro remedio ſupplicium, & pro abſolutione tormentum: nec contritos corde æternum contereret & aggrauaret iudicium. Sic in cruce Latro confitens, non tantùm indulgentiam meruit, ſed Chriſti familiaris effectus præmiſſus eſt in paradiſum: & factus eſt particeps Regni, per confeſſionem factus collega Martyrij. Illi verò blaſphemo, quia de Domini deſperauit potentia, nulla potuit ſubuenire clementia: nec potuit illi crucis prodeſſe conſortium, cuius malitiam non expiabat pœnitentiæ lauacrum.]

14. Cuiuſuis ordinis veros & falſos Chriſtianos in ærumnis conſtitutos, eáſque diuerſo admodum ſenſu excipientes, duobus Latronibus cum Chriſto confixis exhiberi, tradit in hunc modum Venantius. [a] [Quod Luca teſtante, vnus latro Dominum blaſphemat, dicens: *Si tu es Chriſtus, ſaluum fac temetipſum & nos:* alter verò & illum digna inuectione redarguit, & Dominum fideli ſupplicatione precatur dicens: *Domine memente mei*

a apud Rabanum. l.b 7 in Matth.

mei cùm veneris in regnum tuum: vſque hodie hęc geri in Eccleſia videmus,cum mundanis tacti affectionibus fuerint veri ſimul & falſi Chriſtiani. Illi quidem qui ficta mente, Dominicæ paſſionis ſacramenta geſtant ad præſentis vitæ gaudia cupiunt liberari à Domino. At qui ſimplici intentione cùm Apoſtolo non gloriantur, niſi in Cruce Domini noſtri, ita potiùs à præſentibus ærumnis optant erui,vt ſpiritum ſuum in manus ſui commendent Auctoris,vnáque cùm ipſo regni cœleſtis deſiderent eſſe participes. Vnde benè ille, qui fide dubia Dominum precabatur, funditus eſt contemptus à Domino, neque vlla ſponſione dignus habitus. At verò preces illius qui æternam à ſe ſalutem quærebat,pia mox Dominus exauditione ſuſcipere dignatus eſt, quia nimirùm quicunque in tribulationibus poſiti,temporalia,tantùm à Domino ſolatia requirunt, à temporalibus ſe pariter & æternis gaudiis priuant. Qui autem veraciter, bona patriæ, cœleſtis ſuſpirant,ad hęc abſque vlla dubietate,Chriſto miſerante,perueniunt.]

15. Sanè ſicut triplex crux fuit in

Caluariæ monte, pendente ibi cum duobus Latronibus Chriſto; ita triplici modo poteſt quis calamitatibus impeti. Primò abſque culpa, & ex bona cauſa, ac ſumma cum patientia. Hæc fuit crux Chriſti. Secundò propter malam quidem cauſam, & ob anteriorem noxam, ſed tamen cum ſubiectione ad Deum, & patientia. Hoc pacto, paſſus eſt bonus Latro. Tertia crux, quæ mali latronis fuit, ſignauit modum patiendi improborum: hoc eſt cum culpa, & ex mala cauſa, ac blaſphemando. Qui modus patiendi, ærumnoſiſſimus eſt, & planè infructuoſus. Vt propterea quandoquidem nemini noſtrum, cum aliqua in cruce figitur, fas eſt gloriari crucem ſuam referre Crucem Chriſti., ſéque nulla oblitum peccati labe, aduerſis premi: ſecundā ſaltē crucē quæ boni Latronis fuit, ſubeamus, patienter excipientes, quæ à Deo immitti vel permitti contigerit. Sapienter ad hanc mentem Nazianzenus. [a] [Si vt Latro cruci ſimul affixus fueris, probo animo Deum agnoſce: cúmque ille propter te tuúmque peccatum, cum iniquis reputatus ſit, tu propter illum iuſtus fias.

[a] *orat. 42.*

Adora

Adora tua cauſa ſuſpenſum, pendens etiam ipſe. Lucri aliquid ex ipſa quoque improbitate collige: morte ſalutem eme: cum Ieſu paradiſum ingredere, vt intelligas quibus bonis excideras. Pulchritudines illas contemplare: Murmuratorem cum ſua blaſphemia, foris mori ſine.]

Ad hanc mentem S. Bernardus,[a] [Tres (inquit) in carcere quondam fuiſſe legimus, tres in cruce. Ioſeph ſiquidem cum pincerna & piſtore Regis, carcerali cuſtodiæ maacipatus, Chriſtus verus Ioſeph, cum ſceleratis duobus vtique reputatus eſt. Et illi quidem in carcere vidêre ſomnia, & audiere interpretationem: iſti in cruce verba locuti ſunt, & vnus accepit promiſſionem. Priorum ſiquidem alter propinabat Regi & audiuit, reſtitueris in gradum priſtinum. Alter paſcebat oues, & reſponſum mortis accepit. Ipſi quippe ſunt porci, quos pauit ille prodigus adoleſcens. Spurci ſiquidem & elati, meritò porcorum & auium nomine deſignantur. Porrò eorum qui crucifixi ſunt cum Saluatore, alteri vtique confitenti dictum: *hodie mecum eris in paradiſo.* Alteri verò blaſphemanti,

a in declamat. circa illud, Ecce nos reliquimus omnia.

manti, non quidem à Domino (neque enim tunc ille, iudicabat quemquam:) ſed à ſocio reſponſum eſt. *Neque tu times Deum qui in eâdem damnatione es?* Quid ergo putamus, quid duobus illis, quorum alteri dictum eſt, reſtituêre poſt tres dies, alteri, hodie mecum eris in paradiſo, præter ipſam dilationem interim potuit eſſe moleſtum. Quid verò illum potuit delectare, cui dictum eſt, truncato capite poſt triduum ſuſpenderis, Auium eſca futurus? Sanè in hoc poſiti ſumus omnes, & nemo niſi in carcere, ſine cruce interim nemo. Quippe vbi nec innocens inuenitur immunis, quomodo peccator requiem ſperat? Cæterùm ſi quis volens ſuſtinet, dicens, *nos quidem iuſtè*, mercedem habebit: ſin autem inuitus, & blaſphemans, & negans Deum factis, duplex ei contritio erit. Si quis teſtimonium habet ſalutis, etiam & caro eius requieſcit in ſpe, & prophetæ farinula pulmentum condit atque dulcorat, vt in olla iam non mors, ſed vita ſit. Denique nemo ſanæ mentis ampliorem eſſe in vitiis credat quàm in virtutibus delectationem, præſertim cum ſit Deus

virtu

virtutum, totius veræ iucunditatis fons, lætitiæ & exultationis origo. Neque enim carni, ſeu mundo, aut maligno principi, ſed Chriſto vtique, ſeruire, regnare eſt.] Verùm de expreſſis in duobus Latronibus, duobus Pharaonis miniſtris plenè Proſper,[a] ac Rupertus,[b]

a parte 1. de pr. miſſ. c. 28.

In rem propoſitam pulchrè item S. Auguſtinus, [c] [Multi hîc patiuntur, & pro peccatis & pro ſceleribus ſuis, magna vigilantia diſcernenda eſt cauſa, non pœna. Sceleratus enim poteſt habere Martyris ſimilem pœnam, ſed tamen diſſimilem cauſam. Tres enim in Cruce. Vnus Saluator, alter ſaluandus, alius damnandus. Omnium par pœna, ſed diſpar cauſa.]

b l. 8. in Geneſ. 1. 38.

c in pſal. 34. conc. 2. initio.

16. Vniuerſitatem generis humani electis conſtantem ac reprobis, nunc permixtis, in mundi autem meta ſecernendis, & his ad læuam, illis ad dexteram iudicis collocandis, exhiberi in duobus Latronibus Chriſtum confixum cingentibus, egregiè docet S. Auguſtinus,[d] [Ipſa crux ſi attendas tribunal fuit. In medio enim Iudice conſtituto, vnus Latro qui credidit, liberatur: alter qui inſultauit,

d t. 3. in Ioan. in ipſo fine.

ſultauit, damnatus eſt. Iam ſignificabat quid facturus eſt de viuis & mortuis, alios poſiturus ad dexteram, alios ad ſiniſtram. Nihil ergo medium erit. Similis ille Latro futuris ad ſiniſtram; ſimilis alter, futuris ad dexteram: iudicabatur, & iudicium minabatur.]

Eadem pleriſque Patribus inſedit cogitatio. Inprimíſque apertè aſtipulatur S. Hieronymus. [a] Et verbis illis longè pulcherrimis. S. Leo [b] [Ieſus Chriſtus filius Dei, cruci quam ipſe geſtarat, affixus eſt: duobus Latronibus, vno ad dexteram ipſius, alio ad ſiniſtram ſimiliter crucifixis. Vt etiam in ipſa patibuli ſpecie, monſtraretur illa, quæ in iudicio ipſius omnium hominum eſt facienda diſcretio: cùm & ſaluandorum figuram, fides credentis Latronis exprimeret, & damnandorum formam blaſphemantis impietas prænotaret.]

a *in cap. 15. Marci.*
b *ſerm 4. de paſſ.*

Eucherius [c] [Per omnem geſtorum ordinem, Deum ſub homine agnoſcamus operantem. Poſitus in patibulo velut arbiter in medio damnatorum, negantem repulit, ſuſcipit confitentem: hunc deputat regno, illum relinquit inferno.

c *hom. de beato Latrone.*

ferno.] Poſthac ergo credamus in Maieſtate iudicaturum, quem iam in cruce videmus exercere iudicium.]

17. Petrus Damiani [a] collaudans Latronis confeſſionem [ô talis damnati mira libertas! ô iuſtificantis Dei immenſa potentia! Iudicatus iudicat, & addictus crimini, crimen ex poteſtate relaxat. Ipſam porrò crucem in qua pendet, quodam modo dictantis cenſuræ ſolium facit; & inter Latronem, & latronem, velut iam inter agnos, & hœdos, æquitatis iura diſcernit.]

a ſerm. de exalt. S. Crucis.

Eadem habet Laurentius Iuſtinianus; [b] & acutè ac latè Rupertus [c]; [Exeamus ad eum (inquit) vel cum eo in locum qui dicitur Golgotha, quod eſt Caluariæ locus, vbi crucifigentes eum, diuiſerunt ſibi veſtimẽta eius: & videamus in humilitate vel pœna iudicati glorioſũ & terribile myſterium iudicaturi. Illic enim ipſe duorum Latronum medius, alterum à dextris pœnitentem ſuſcepit, & Amen (inquit) dico tibi hodie mecum eris in paradiſo, alterum in ſiniſtris, in nequitia perſeuerantem, in damnatione reliquit. Illic & Ioannes ex amicis amiciſſimus,

b de triu. ph. Chriſti agone c. 18.
c in c. 26. Matth.

cum Maria Matre ipſius, ſtans iuxta Crucem eius, vnde abierant, non voluntate, ſed metu cæteri diſcipuli eius, & Barrabas latro, neſcio quò abierat à Iudæis dimiſſus. In his quatuor tam diuerſis hominibus: quod magnum ſublime quoddam myſterium; iudicaturi huius, qui (vt iam dictum eſt,) duorum Latronum medius pendebat iudicatus; tunc demum ritè perpendes, ſi ſimul proſpicias, quia cum ſederit vt iudicet omnes gentes, ſuper ſedem maieſtatis ſuæ, tunc omne genus humanum in quatuor partes diuidetur. Illic erunt [illegible], qui iudicentur & condemnentur: atque illic erunt qui non iudicentur; ſed iudicent, nimirum Apoſtolicæ perfectionis homines. Iudicabunt ſancti nationes, videlicet cum illis principibus quibus ſpecialiter dictum eſt: *Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſraël.* Quarta pars erit illorum qui nec iudicabuntur, quia iam iudicati ſunt, iuxta illud Apoſtoli dictum. *Quicunque enim ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt.* Iam ergo Crux ipſa Chriſti iudicati, quoddam erat tribunal eiuſdem tremendi iudicis; quia

quia circa ipſum alter latronum iudicatus, id eſt punitus & ſaluatus eſt: alter iudicatus, de illo iudicio vel pœna, tranſiuit ad pœnam æternam, impœnitens, & vſque in fine ſuo blaſphemus: [illegible] dilectus Ioannes neque tunc neque deinceps crucifixus, vel alia vi peremptus eſt. Quartus Barrabas; à Deo quidem damnatus erat, ſed ab hominibus non iudicatus, imò dimiſſus, vt iam dictum eſt.]

Vides omnium hominum à Chriſto iudicandorum & vel ad dexteram, vel ad ſiniſtram collocandorum, typum fuiſſe duos Latrones. In reprobo ſanè luculentam damnatorum effigiem proditam eſſe, ex eo monſtrat Gardin. Vignerius [a] quòd ſalutem ſuam ſpreta iuſtitia quæſiuit, quòd deſperatione & impatientia actus eſt in optandam euerſionem iuſtæ damnationis.

[a] *in decac. chor. chorda 7. c. 45*

Mellificium Tropologicum, per Chriſtianas apes, S. Latronis virtutum prata carpentes.

Caput XVII.

1\. QVas apes dicam, mellificium quod exhibere cogito, prodit non obſcurè. Apes ſunt, authore Origene,[a] ſcriptores ſacri, qui non otiosè fucorum more edendis tantùm bombis infremant, ſed operum ſuorum fauis mella ſuauiſſimorum intellectuum ſtipant, queis Chriſtianæ plebis mentes iucundiſſimè reficiant. Sic vniuersè S. Aldelmus [b] ſanctos Patres apibus confert, [Quæ roſcido faceſſente crepuſculo, exorto limpidiſſimi ſolis iubare, denſos extemplò tripudiantium turmarum exercitus, per patentes campos gregatim diffundunt. Modò melligeris caltarum frondibus ſeu purpureis maluarum floribus incubantes, multa nectaris ſtillicidia guttatim roſtro decerpunt, & velut lento carinæ defruto, quod regalibus ferculis cõficitur auida viſcerum receptacula

a hom. 1. in Eſaiam.

b l. de laud. virginit.

tacula certatim implere contendunt: modò flaueſcentes ſaliculas & croceata geniſtarum cacumina circumuallantes fertilem prædam numeroſis cruribus & coxarum oneribus aduehunt, quibus cerea caſtra conficiunt: Modò teretes hæderarũ corymbos & leuiſſimos florentis tiliæ ſurculos conſtipãtes multiformem fauorũ machinã anguloſis & opertis cellulis conſtruunt.] Theodoretus eodem modo ratiocinatur, in illud mel & lac ſub lingua tua. Specialitérque Auguſtinum Seuerus [a] his verbis affatur [ô verè artificioſa apis Dei, conſtruens fauos Diuini nectaris plenos manantes miſericordiam & veritatem, per quos diſcurrens deliciatur anima mea & vitali paſtu quidquid in ſe minùs inuenit aut imbecillum ſentit, reſarcire & ſuffulcire molitur. Itaque enitemur nos quoque, quod ſuos monebat S. Antonius, apes eſſe argumentoſæ, & Chriſti, quem *apem ſuper apes* vocat Origenes, [b] Chriſti inquam examinibus ſociati, è ſancti Latronis virtutum thymis, mella moralium monitorum, delectu habito & parcè legemus. Quod enim de Dauide, dixit pro more

a *epiſt.* 37. *inter Auguſt.*

b *hom.* 2. *in Eſaiam.*

a orat 4 perelegantet Baſilius Seleuc.[a] [Tota virtutum prata in eius animo conſita fuerunt.] Atque adeò ſuauiſſimos & optimos ſuccos inde carpere in promptu eſt. Quod autem SS. Patrum laboribus vti hoc maximè loco operæpretium cenſeam, & quos illi ſignauerint flores libare conſilium ſit, Chriſtianis hiſce apibus mellificium hocce noſtrum defero.

I. Adoranda multa Dei patientia, qua Latronem per vniuerſam vitam ſuſtinuit.

2. Patientia Dei, prædicatur, qua malos vt corrigantur expectat, ait D. Auguſtinus.[b] Ita vt quamuis patientia à patiendo nomen acceperit, Deus autem nihil reuera pati poſſit; tamen, patientem meritò prædicemus, quòd vaſa iræ quæ confringere & deſtruere funditùs poſſet, ſicque ſuas iniurias auertere, dilato ſupplicio expectat, ſollicitans interim vt reſipiſcant, & fugiant à facie arcus: vel opportunum tempus præſtolans, quo peccator pertæſus ſcelerum & faſtidiens iniquitatem, aptior ſit ad auſcultandum

b initio libri de patientia.

tandum Deo; & vias ſuas peſſimas exhorreſcat. μακροθυμίαν Dei cautè dixerunt Græci, ſecernentes ab ea ὑπομονὴν, quæ eſt noſtra plerumque patientia, ſuſtinentium quæ excutere non poſſumus, vt S. Chryſoſtomus rectè diſtinxit.[a] Latini (a *hom. 2. in ad Coloſſ.*) vno verbo homonymo, vtramque explicant, vt ſignatis multis ſcripturis docet Sixtus.[b] (b *l. 6. bib annot. 312.*)

Luculentum huius patientiæ Dei exemplum, Latro ſuppeditat, cuius vniuerſam vitam, in cædibus ac rapinis, & vniuerſa ſcelerum colluuie conſumptam, & penè ad ipſas vſque fœces exinanitam, tanta longanimitate expectauit Deus. Nimirum ad ſalutem peccatorum velox eſt, tardus ad vltionem. Vno momento gratiam impendit & condonationem. Differt autem per longum tempus ſupplicia, & conceptam intra ſe diu retinet iuſtam iram: vt propterea quod S. Gregorius[c] rectè expendit, confirmet ſe locuturum vt parturientem, (c *9. moral c. 17.*) quæ fœtum priuſquàm effundat abditum vtero per multos menſes continet. Latiſſimè & egregiè in hoc argumento verſatur S. Chryſoſtomus.[d] Vbi hæc (d *hom. 5. de pœnitentia.*)

præter cætera, poſt expenſam Dei patientiam erga Dauidem cæde ac adulterio pollutum, cui tamen pœnitenti, illicò conceſſit veniam. [Cernis quod ad ſalutem velox. Idem & in aliis fecit, tardans ad demolitionem, ad reparationem properans. Accedat exemplo quod in nobis euenit hominibus, quibus multo in tempore ædificamus domum & ipſius ſtructuræ quidem multum temporis, parum verò deſtructionis. E conuerſo autem fit in Deo: cum ſtruit, velociter ſtruit: cum deſtruit, tardè deſtruit. Velox Deus ſtruens, tardè deſtruens. Nam Domino hæc conueniunt illud quidem potentiæ, bonitatis iſtud: potentiæ excellentia velox, mulcta de bonitate tardus: Verborũ enim augmentum, rerum, experientia: Sex in diebus Deus cœlum terrámque fecit, magnitudines, lateráque montium campeſtria, montes, flumina, paradiſum viſibilem, omnem cultum & virtutem, mare hoc magnum & ſpatioſum, inſulas, maritima loca, omnem hunc viſibilem mundum, & qui in eo eſt ornatum, ſex in diebus conſummauit: quæ in eo ſunt animalia rationalia & irrationalia, omném

omnémque viſibilem cultum ſex in diebus fecit. Hic igitur tam velox in conſtruendo, cum cœperit vnius demoliendæ vrbis conſilium, inuentus eſt bonitate tardus. Vult Hiericho demoliri, & dicit ad Iſraël. *Circumite eam ſeptem diebus, & octaua die cadet murus.* Mundum vniuerſum ſex in diebus conſtruis, & vnam vrbem ſeptem diebus ſoluis? Quid enim tuæ potentiæ impedimento accedit? quarè repentè non deſtruis? Nunquid de te Propheta non clamat, dicens: *ſi aperueris cælum, tremor montes occupabit, liqueſcent ſicut cera à facie ignis?* Nunquid non opera virtutis tuæ narrans, dixit.] *Non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris?* Mótes transferre & in mare potes, atque vrbem vnam non vis deſtruere repugnantem, ſed dies ſeptem tribuis excidio. Quare? num potentia imbecillior? Sed clementia diutius tolerat.] Idem eodem loco. [a] [Si pœnitentiam iuſtitia præueniſſet, periiſſet mundus omnino, atque defluxiſſet. Si velox ad pœnam fuiſſet Deus, Paulum Eccleſia non poſſediſſet, ſi primò talem tanquam noxium necaſ-

a *ſub homilia initium.*

ſet. Propterea diſtulit blaſphemantem, vt pœnitentem oſtenderet Deî longanimitas: lupum in paſtorem tranſtulit Dei lõganimitas: Publicanum fecit Euãgeliſtam Dei longanimitas omnium noſtrorum miſerata, omnes conuertit, reduxit omnes. Si videris olim ebrium, ieiunare, ſi olim blaſphemum, nunc Theologum: ſi eum qui quandóque turpibus cantilenis os inquinauerit ſuum, Diuinis nunc hymnis animam purgare: mirare Dei longanimitatem, pœnitentiámque collauda, ac demutationem & conuerſionem illius ſuſpiciens. Dic; *Hæc eſt mutatio dexteræ excelſi.* Bonus igitur ad omnes Deus, in peccantes præcipuè ſuam oſtendit longanimitatem.] Infra, adhibet quoque exemplum Rahab, quæ [erat in fornice velut in volutabro confuſa margarita, aurum in luto abiectum, pietatis flos ſpinis confoſſus, religioſa anima recluſa in impietatis loco.] Eam Deus expectando prouexit ad eximiam ſanctitatem, vt etiam ſeriei progenitorum ſuorum adſcriptam voluerit.

3. Tanta etiam plerumque eſt Dei patientia, vt toleret multos impios progenitores,

genitores, præſcius boni germinis quandoque ex eis exorituri. Sapiétiſſimè hoc expendit idem Chryſoſtomus [a] cum ait [Dei intentio fratres, longanimem ſeſe peccantibus exhibet, patienter enim expectat, ſalutem ipſis è pœnitentia ſpondens, ac poſteris ſuis: ad virtutem commonet, ſcilicet beneficium reſeruans, Et quò rurſus ſermonem aſſumam, Deus patienter expectat vti peccatorem pœniteat, & naſcendis ex eo nequam ſalutis occludat viam, quamuis idem culpa impœnitenti delinquat, parcítq; ſępenumero quò radicis fructus cuſtodiatur. Sæpè ipſam transfert radicem, veluti præuenientes diximus. Sed tametſi actus ad vltimum malorum cadat, differt tamen Deus vtiliter expectans pœnitentis ſalutem: & quomodo? audi. Thare Abraham pater, idolorum & cultor & factor: Sed hoc loco haud impietatis pœnam Thare irrogauit, & meritò. Si enim præueniens Deus, radicem amputaſſet, vnde tantus fidei fructus germinaſſet? Quid Eſau nequius? conſideratur ob alterius occaſionem clementiæ. Quid Eſau nequius inuerecundiúſque? malitia ille

a hom illa 5 de pœnitentia.

nonne

nonne fornicator, nonne prophanus erat? Nonne odibilis Deo, quemadmodum teſtatur Scriptura, dicens: *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Si ergo fornicator, & patricida, & prophanus, & odibilis, quare protinus meritam non ſuſcipit animaduerſionem, quare? Pulchram quidem fratres, pulchram cauſam libet dicere. Si exciſus fuiſſet, maximum fortaſſis iuſtitiæ fructum mundus amiſiſſet: & qualem, audi, Eſau genuit Raguelem, Raguel Zaram, Zara, Iob. Cernis quantus elanguiſſet patientię flos, ſi pręueniens Deus à radice pœnam exegiſſet. Omnibus igitur in rebus, & initia ſpeculatur & exitus Deus. Ea námque vtitur prouidentia & ſuper Ægyptios, qui vltra fidem blaſphemi patienter expectat, quouſque ibi monaſteria & Eccleſiæ, atque in illis florerent, qui Angelicam imitarentur vitam. Nam adſtruunt & qui de publicis legibus diſputant, atque Romanorum mandant leges, prægnantem, ſi quando contigerit mortis peccato damnari, non priùs quàm pepererit, necari: & probè quidem. Neque enim iuſtè legumlatores iudicaſſent, cũ peccatrice innoxium ſimul fœtum tolli.

Quod ſi humanæ leges his parcunt qui nequaquam peccarunt; nonne Deus decentius accommodatiúſque radicem cuſtodit, in fructibus pœnitentiæ beneficium reſeruans?]

4. Habet igitur in hoc quoque Dei patientiæ exemplo, rectè locum, quod S. Auguſtinus[a] de ſe affirmantem inducit, quendam hora nouiſſima vocatum, eo ſuauiſſimo colloquio, partim cum fidelibus & Eccleſia, partim cum ipſa Dei benignitate. [Deo gratias, fratres, congratulamini fratri veſtro, qui mortuus erat & reuixit, perierat & inuentus eſt, Gratias patientiæ & miſericordiæ Domini Dei noſtri. Patientiæ quia ſuſtinuit tardantem; miſericordiæ quia ſuſcipere dignatus eſt redeuntem. Hæc eſt vinea, vbi non operabar, & vires meas in aliena conſumpſeram. O vinea dilecta Domino meo. Non ſolùm labor meus nihil tibi proderat, verùm etiam contra te inimico tuo ſeruiebam. Magno ſudore ſpargebam, quando tibi non colligebam. Gratias plantatori tuo, apud quem non manet merces operariorum, etiam hora nouiſſima vocatorum. Serus aduenio ſed

a *ſerm. 38. de 40. mꝫ. uiz.*

dena

denarium non deſpero. Qui prius fui blaſphemus, & perſecutor & iniurioſus aduerſum te: ſed miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci.]

II. Suſpectio potentiæ Chriſti erga Latronem.

5. POtentiam Chriſti in hoc facto, ſæpè & non perfunctoriè ſuſpicit S. Chryſoſtomus, eámque conſiderationem crebrò ingerit, tanquam inſignem fructum quem ex hac Latronis conuerſione decerpi, impensè optabat. Quodam loco ita diſſerit. a [Vis crucis fructum præclariſſimum, & quod omnem humanam intelligentiam ſuperat, intelligere? Paradiſum clauſum aperuit hodie. Hodie enim Latronem in illum introduxit. Duo præclariſſima facinora: Paradiſum reſerauit, & Latronem introduxit! Reddidit illi antiquam patriam: Reduxit in paternam ciuitatem. *Hodie mecum eris*, inquit, *in Paradiſo*. Quid dicis? Crucifixus, & cruci clauis affixus es, & Paradiſum promittis? Quomodo hæc talia largieris? atqui Paulus ait, *Crucifixus*

a *orat. 1. in paraſc.*

eſt

eſt ex infirmitate. Audi alibi dicentem: *ſed viuit ex virtute Dei.* Propterea in cruce polliceor, vt & per hanc, meam diſcas potentiam. Cum enim crux ſit res iniucunda, & moleſta, ne vultum deijcias, ad crucis naturam attendens, ſed vt lætus, & alacer efficiaris: ad crucifixi potentiam reſpiciens, ea de cauſa, illic ſuam tibi virtutem oſtēdit. Non enim mortuum excitans, non mari imperans, non dæmones increpans, ſed crucifixus, clauis affixus, iniuria affectus, ſputis oblitus, conuiciis impetitus, irriſus & ludibrio habitus, potuit ad ſe malam latronis mētem attrahere. Vide vtrinque potentiam illius effulgeſcentem. Creaturam concuſſit, petras diſrupit: Animam latronis petra duriorem, cera molliorem effecit. *Hodie mecum eris in paradiſo.* Quid dicis? Cherubim, & flammeus enſis cuſtodiũt Paradiſum. Et tu Latroni ingreſſum eò polliceris? Vtique ait: nam ego, & Cherubinorum Dominus ſum, vitæque, & mortis poteſtatem habeo. Propterea dicit: *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Cum virtutes illæ Dominum viderint, ſtatim cedent, locúmque dabunt. Atqui nullus

Rex

Rex vnquam patiatur, Latronem, aut alium quempiam ex famulis ſecum conſidentem, in vrbem ingredi: at iſte humaniſſimus Dominus hoc fecit: in ſanctam ſuam patriam ingreſſus, Latronem ſecum introducit, non inhonorans paradiſum,(abſit,) pedibus Latronis, ſed hoc ipſo magis honorans. Honor enim Paradiſi eſt, habere talem Dominum, tam potentem & humanum, vt & Latronem, poſſit efficere dignum paradiſi deliciis. Etenim quando publicanos, & meretrices in regnum vocabat, non vtique id fecit cum regni ſui dedecore, ſed potiùs maiore cum honore: oſtendit enim ſe eiuſmodi eſſe regni cœlorum Dominum, qui etiam meretrices & publicanos tam probatos facere queat, vt digni videantur ea, quæ inibi eſt, gloria, & munere. Quemadmodum igitur medicum tunc admiramur, cùm intuemur eum, hõmines incurabilibus morbis laborantes, depulſa infirmitate, priſtinæ & puræ ſanitati reſtituere: ita Chriſtum admirare, chariſſime, & obſtupeſce, quia homines immedicabilibus morbis obſtrictos, potuit & à malo liberare, & regno cœ-

lorum

lorum dignos reddere eos, qui ad ſupremum improbitatis culmen aſcenderant.]

6. Aliàs ex hoc facto, Chriſti cum patre parem potentiam, & authoritatem ſummam in cœlo & in terra, quod non ſupplicatione ad patrem interpoſita, nō præmiſſis precibus, ſed pro poteſtate paradiſum promiſerit, his verbis aperit [a] [Latronem voluit in paradiſum intromittere, & confeſtim verbum protulit, ac Latronem in paradiſum introduxit, neque precibus indiguit tametſi poſt Adamum omnes Dominus ab aditu illius arceret. Poſuit enim flammeum gladium ad cuſtodiendum Paradiſum: at Chriſtus auctoritate ſua paradiſum aperuit, & Latronem introduxit. Latronem, Domine in paradiſum introducis? Pater tuus ob vnum peccatum Adamum eiecit è paradiſo, & tu Latronem introducis? Eum qui mille malorum, mille ſcelerum reus erat? & ſimpliciter ita propter vnam vocem in paradiſum eum introducis? Ego verò introduco: nam nec illud abſque me factum eſt, neque iſtud abſque Patre meo: ſed & hoc meum eſt,

[a] *ſerm. in quatrid. Lazarum.*

& illud eſt Patris mei. *Ego enim in Patre, & Pater in me eſt.*] Idem[a] alio loco, negat minus fuiſſe miraculum, conuerti in cruce Latronem, quàm petras collidi. Imò nullo miraculo id fuiſſe minus, dixit Theophilactus.[b]

a hom. 3. in Ioan.

b in c. 19 Ioan.

c Serm. 4. de paſſ.

Concinit S. Leo[c] agens de crucis potentia & triumphis [Crux Chriſti ſacramentum veri, & prænunciati habet altaris, vbi per hoſtiam ſalutarem, naturæ humanæ celebraretur oblatio. Ibi ſanguis immaculati agni, antiquæ præuaricationis pacta delebat: ibi tota diabolicæ dominationis conterebatur aduerſitas, & de elatione ſuperbiæ, victrix humilitas triumphabat. Cùm tamen velox eſſet fidei effectus, vt de crucifixis cum Chriſto Latronibus, qui in Chriſtum Filium Dei credidit, paradiſum iuſtificatus intrauerit. Quis tanti muneris explicet ſacramentum? Quis potentiam tam miræ commutationis enarret? Exiguo temporis puncto longorum ſcelerum reatus abolетur, inter luctantis animæ dura tormenta, hærens patibulo tranſit ad Chriſtum, & cui propria impietas intulit pœnam, Chriſti gratia dat coronam.]

S.Ma-

7. S. Maximus [a] non dubitat Latronis conuerſionem aliis tam denſis Diuinæ in Chriſto omnipotentiæ argumentis anteponere. Sic enim ſcribit.[Supplicium crucis elegit vt ſublimiorem victoriam pareret pœna deterior, & qui vniuerſitatis bono patiebatur quaſi in conſpectu mundi in altum ſubleuatus occumberet, ſimul vt qui crucifixum videbant, mirabilia cernerent Crucifixi; Nam ſatis abundéque gloriam patientis oſtendunt, repētina ſolis obſcuritas, tremor terrarum, ſaxorum diuiſio, reſurrectio mortuorum. Illud autem quanti eſt teſtimonij, quod etiam pariter crucifixus Latro, memoriam ſui in cœleſti regno fieri à conſorte ſupplicij precabatur.]

a hom. in ſymbolum ad 4 articulum.

S. Auguſtinus. [b] [Chriſtus pro impiis mortuus eſt, mox ſacculum carnis ſuæ in crucis ligno exſoluit, & pretium noſtrum exactori reddidit. Ibi ſtatim illum Latronem fecit confeſſorem, vt per eum impiorum reſtauraret ruinam. Videte redemptum, quem diabolus poſſederat homicidam. Videte Dominum virtutum, & in ipſa morte miracula

b lib. 2 de ſymbolo c. 6.

facientem. Tunc Latro confitebatur, quando Petrus turbabatur. Tunc iſte agnouit, quando ille negauit.]

a epiſt. 48. 8. At S. Ambroſius [a] exponens illud Hieremiæ 17. *Perdix fouit quæ non peperit*, clamorem Chriſti, cum Satanæ perdicis clamore componens, agnoſcit in Latronis per Chriſtum abductione, vniuerſam peccatorum congregationem pariter abductam: quod eſt ſymbolum inſignis planè ac diuinæ potentiæ. Sic habet poſt pleraque de Chriſti variis clamoribus. [Clamauit etiam in corpore ſuo. Sicut ſcarabæus in ligno. Clamauit vt inſidiatorem falleret, & circumueniret, dicens: *Deus Deus meus, quare me dereliquiſti?* Clamauit vt deſpoliaret reſpondens Latroni: *Amen, amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo.* Itaque vbi clamauit Ieſus, continuò perdix ille à congregatis in dimidio dierum ſuorum derelictus eſt. Vnde, & quidam naturæ perdicis etiam iſtud aptandum putarunt, eò quòd aliena deripiat oua, & foueat ſuo corpore, atque hac ſua fraude partus alienos ſtudeat acquirere. Sed (quod aiunt, cornicis oculum, habent

enim,

enim,& volatilia ſuas artes) vbi iſtud aduerterit, cuius aut ſingula oua direpta, aut cubile fuerit inuaſum, ſollicitata ſoboles errore ſimilitudinis, ſpeciei ſimulatione decepta, & ſi infirmior viribus, induit ſe, atque armat verſutia, & cum labor omnis impenſus nutrimentorum educantem exhauſerit,atque adoleſcere pulli cœperint, tunc vocem emittit, & quadam pietatis tuba, prolem aduocat; quæ naturali quodam auditu excitata, agnoſcit parentem,& ſimulantem deſerit. Ita cùm vult congregare quæ non peperit,amittit quos nutriendos putauit. Non ſuperfluè igitur & Ieſus clamauit, vt quia totius mundi populus, voce perdicis,blanditiis, arte,ſpecie,deceptus, ab authore proprio deuiauerat lubricas artes ſecutus,veri parentis voce reuocatus, fallacem relinqueret, atque in dimidio dierum eius fraudulentum deſereret: id eſt ante huius finem ſæculi, cui eripuit nos Dominus Ieſus, & ad æternam vitam vocauit. Itaque nunc mortui mundo,viuimus Deo.]

III. Diuitiæ benignitatis, in Latronem reſipiſcentem effuſæ.

9. Diuitias bonitatis Chriſti in Latronem, vocationi Diuinæ præuenienti obſecundantem, petunt Patres, cum ex tam cita remiſſione tot támque immanium criminum, tum ex munere ſupra petitionem exaggerato, tum ex ſocietate gloriæ repromiſſa, nec repudiato conſortio perſonæ, eo ſtatu ac ſorte morientis. Complexus eſt pleraque iſtorum capitum S. Ambroſius,[a] tractans Chriſti promiſſionem factam Latroni. [Pulcherrimum (inquit) affectandæ conuerſionis exemplum, quod tam citò latroni venia relaxatur; & vberior eſt gratia, quàm precatio. Semper enim plus Dominus tribuit, quàm rogatur. Ille enim rogabat vt memor ſui eſſet Dominus cùm veniſſet in regnum ſuum: Dominus autem ait: *Amen amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo.* Vita enim eſt eſſe cum Chriſto: quia vbi Chriſtus, ibi regnum. Citò igitur, ignoſcit Dominus, quia citò ille conuertitur.] Verbatim vſurpauit hæc Beda,[b] & Laurentius Iuſtinianus.[c] Verùm

a l. 10. in Lucam.

b l. 6. in Lucam c. 94.

c in ligno vitæ trac. de ſpe c. 4

rùm hæc, ferè tantùm generalia. Profe-ramus aliqua diſtinctiùs.

Quod aiebat S. Ambroſius, Chriſtum citam beneficentiam exercuiſſe in Latronem, egregie à S. Auguſtino perpenſum eſt [a] [Chriſtus (inquit) in paradiſo cum Latrone confitente, & ibi Latro quid meruit, niſi quia illam viam tenuit, vbi oſtendit ſalutare ſuum? à qua tibi pes non exeat. In eo enim quòd ſe accuſauit, Deum laudauit, & vitam ſuam beatam fecit. Præſumpſit quidem à Domino, & ait illi, *Domine memento mei dum veneris in regnum tuum.* Conſiderabat enim facinora ſua, & pro magno habebat, ſi ei vel in fine parceretur. Dominus autem continuò, cùm ille diceret memento mei: ſed quando, *cum veneris in regnum tuum: Amen,* inquit, *dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo.* Miſericordia obtulit, quod miſeria diſtulit.] Imo non in Latronem tantùm, ſed in Latrone in omnes planè bonos ac impios fuit beneficentiſſimus: ídque ex ſitu Crucis Chriſti inter Latrones mediæ, colligit Arnoldus Abbas [b] ſic enim interpretatur crucis latitudinem myſterio pleniſſi-

a *ſerm 8. de verb. Dom.*

b *de Chriſti in cruce verbo diſputans.* in fine.

mam, & extenſam in omnes. [Huius latitudinis myſteria, Chriſtus etiam inter ſupplicia commendans, in eo quod expanſis manibus, elauatáque læua, & dexterà) inter Latrones ſe medium exhibebat, volebat intelligi commune eſſe illud beneficium: & non ſolùm bonis, ſed & impiis quod agebat proficere, & ſe potiùs medicamina illa ægris propoſuiſſe quàm ſanis, & gratiâ illâ pari libertate donaſſe eos qui de libera, & eos qui nati fuerant de ancilla.]

10. Vbertatem Diuinæ remunerationis Latroni exhibitæ, notauit præter Ambroſium, Richardus à S. Laurentio,[a] expendens, Chriſtum petenti memoriam, dediſſe regnum, & regnum paradiſi. Et hoc eſſe Diuinæ conſuetudinis, iuxta propoſitam ex S. Ambroſio notationem, vt plura tribuat quàm promiſerat, pulcherrimè confirmat S. Auguſtinus,[b] exponens promiſſionem Numer. 17. factam de germinatura Aaronis virga. Sic autem loquitur. [Diligenter attendite fratres, quia vnum promiſit Deus futurum in virga, ſed plura dedit. Verum eſt fratres: Conſuetudinis ſuæ rem fecit Dominus

a l 6. de Deip.

a ſerm. 99. de temp.

Dominus noſter, ſemper enim maiora tribuit quàm promittit. *Et erit*, inquit, *homo, quemcumque elegero, virga eius germinabit :* Hoc eſt ſolum quod promiſit Deus, vt virga eius quem eligeret, germinet. Vbi verò ad rem venitur, vt quod promiſſum eſt oſtendatur impletum, non vnum illud quod promiſſum fuerat, effectum dicitur, ſed vide quanta addantur. Ait enim Scriptura. *Ecce germinauit virga Aaron in domo Leui*, hoc eſt vnum illud ſine dubio quod fuerat repromiſſum. Sed adduntur alia, & dicitur: *& produxit frondes, & protulit flores, & germinauit nuces.* Cum ergo de ſolo germine fuiſſet repromiſſum, vide quanta largitur Deus, vt non ſolùm germen produxerit, ſed & frondes, & non ſolùm frondes, ſed & flores, & non ſolùm flores, ſed & fructus.] E contra verò pœnæ minores à Deo infliguntur comminationibus, ait Theodoretus.[a]

[a] q. 40. in Exod.

11. Chryſoſtomus illud inſuper expendi vult, vnde Chriſti benignitatem erga Latronem maximè extollendam cenſet, quod exuberante ſupra delictum gratia, & Latro, & ante

Apoſtolos, & pro tantula diſpoſitione, inductus eſt in regnum. [Vides (inquit) [a] quo pacto non ſicut delictum, ita & gratia, ſed plura lignum hoc inuexit bona, quàm à principio fuerint inuecta mala? Hæc autem à me dicta ſunt, ne à primis illis parentibus damno te affectum arbitreris. Diabolus Adamum eiecit, Latronem Chriſtus introduxit. Ac diſcrepantiam vide. Ille hominem nullo infectum peccato, ſed ſola inobedientiæ macula eiecit: Chriſtus Latronem innumera peccatorum onera geſtantem in paradiſum introduxit. An igitur hoc tantùm eſt admirabile, quod Latronem in paradiſum introduxit, aliud verò nihil? Poteſt & aliud maius dici. Non enim ſolùm introduxit Latronem, ſed & ante mundum vniuerſum, & ante Apoſtolos, ne quis poſterorum ſe ingredi poſſe deſperet, neque ſpem omnem ſuæ ſalutis abiiciat, cum innumeris ſcatentem malis in regio verſari palatio videat. Sed conſideremus, num labores, & rectè facta & fructus exhibuit Latro? ne hoc quidem dici poteſt, ſed nudo verbo prolato, ſola fide exhibita in paradiſum ante Apoſtolos

a ſerm. 7. additio in Geneſ.

los inſiliit, vt intelligas non eius probitatem tantùm valuiſſe, verùm Domini benignitatem totum negotium peregiſſe. Quid enim Latro dixit? quid fecit? num ieiunauit? num fleuit? num ſe afflixit? num longo tempore pœnitentiam exhibuit? nequaquam: ſed in ipſa cruce poſt ſententiam ſalutem obtinuit. Vide celeritatem: à cruce in cœlum, à ſupplicio in ſalutem. Quæ porrò illa ſunt verba? quam tandem vim habent, vt hoc vno tanta conſequeretur bona? *Memento mei* (inquit) *in regno tuo*. Quid hoc rei eſt? petiit bona ſibi dari, non operibus ipſis ſtudium vllum adhibuit.]

Idē illuſtriſſimè de Chriſti bonitate in hoc facto, ſic alibi ſcribit. [Chriſtus, Rex cum eſſet omnium, cùm cœleſtis, & ſupra benedictæ naturæ homines primùm condidit, cum ante non eſſent: mox affectos beneficiis innumerabilibus, vbi conſputus, reiectus, contumelioſiſſimè ab ipſis tractatus eſſet, non eſt auerſatus, illorum ſe conſortio immiſcuit propter ipſos. Factus homo diuertit apud meretrices, & publicanos, reſtituit obſeſſos, cœlum annunciauit. Propter hæc omnia *a hom. 32. in 1. ad Cor.*

hunc

hunc illi apprehendentes, colaphis ceciderunt, ligarunt, flagellarunt, irriſerunt, denique crucifixerunt. At verò ne ſic quidem eſt alienatus, ſed in ipſa tum cruce pendens, *Pater*, inquit, *dimitte eis:* & qui priùs ipſum accuſauerat, Latronem, inducit in paradiſum]

In ſumma Latro haberi poteſt velut ſpecimen diuitiarum bonitatis Chriſti, & effuſæ per eum benignitatis. Quod indicaſſe videtur S. Hieronymus [a] ea breui ſententiola. [Ante Chriſtum, Abraham apud inferos, poſt Chriſtum Latro in paradiſo.]

b *in Epitaph. Nepotiani.*

IV. Iudicia Dei, in vnius blaſphemi electione, alterius reprobatione.

12. ET hinc quoque luculenter proditur copioſiſſima Chriſti erga Latronem benignitas. Ex duobus in pari cauſa ac ſupplicio conſtitutis, noſtrum præuenit in benedictionibus dulcedinis, vt Diuinæ luci dirigenti obſequentem ſorte Sanctorum donaret, & paradiſo tranſcriberet: alterum dimiſit abire vias ſuas & ſecundùm duritiam ſuam & im

pœnitens

pœnitens cor, à cruce ad Tartarum, ruere permiſit.

Expreſſum hoc in duobus illis Pharaonis miniſtris, quorum alter in crucem actus, alter honori ſuo & gradui redonatus eſt, vt optimè expendit Rupertus. [a] [Pulchrè Ioſeph duorum medius vinctorum in carcere, & vtrique ſomni ſui proferens interpretationem congruam, in hoc quoque forma eſt, vel vmbra Saluatoris noſtri, qui duorum medius Latronum, in cruce vtrique iuxta fidem, vel meritum ſuum dignam dedit ſententiam. Quantum enim intereſt? Illic Pharao de carcere mediante Ioſeph, hîc autem Deus de cruce mediante Chriſto vnum aſſumit & vnum reliquit. Et illic figura, hîc autem exemplum eſt. Vniuerſitatis diuiſio ſupradicta, illic tantùm præfigurata, hic autem & in re demonſtrata eſt. Quomodo duo in agro, duo malentes, duo in lecto, & eorum vnus aſſumitur, & vnus relinquitur, vt ſupra dictum eſt: ſic duo in carcere, quorum vnus à Pharaone aſſumptus eſt, & vnus relictus eſt. Duo nihilominus in cruce, quorum vnus à Deo aſſumptus, & vnus

a *l. 8. in Geneſ. c. 38.*

vnus relictus eſt. Veruntamen vtrobique myſterium eſt: nam ſicut pincernam Pharao priſtinum in gradum reſtituit, magiſtrum verò piſtorum in patibulo ſuſpendit; & ſicut latronum alter confitens, paradiſum cum Domino introiuit, alter verò mortuus eſt in peccatis ſuis: ſic per Chriſti paſſionem gentilis populus in gratiam recipitur, & Iudaicus in iram miſſus eſt. Vnde Apoſtolus huic tanquam pincernæ, regi ſuo poculum laudis porrigenti; vel tanquam Latroni in paradiſum introeunti dicit: *Vide ergo bonitatem & ſeueritatem Dei. In eum quidem qui cecidit ſeueritatem, in te autem bonitatē Dei, ſi permāſeris in bonitate*, &c.

13. Expreſſum item id fuiſſe in duobus illis hircis, quorum vnus immolabatur Domino, alter in eremum oneratus peccatis dimittebatur, exiſtimat Origenes.[a] [Conſidera (inquit) duos illos qui tempore crucis eius, vnus à dextris, & vnus á ſiniſtris pependerunt Latrones: & vide illum qui confitebatur Dominum, ſortem eſſe factum Domini, & adductum eſſe ſine mora in paradiſum: illum autem alium blaſphemantem, ſortem

a 19. in Leuit. ſub initium.

factum

factum eſſe apopompæi, qui in eremum abduceretur inferni.]

Non dico, Latronem reprobum, mera Dei voluntate reprobatum, (abſit): vel Latronem ſanctum, mera Dei voluntate, nullis per ipſum interpoſitis diſpoſitionibus regno donatum. Sed attendo primam radicem ſecundùm quam vni beneuolè conceſſa eſt gratia, quæ inflecteret infallibiliter voluntatem, negata alteri, ea verò radice ſuppoſita, locum habuit iuſtitiæ progreſſus propoſitus erga vtrumque, de quo rectè Sedulius.[a] a *libr. 5. paſch.*

Quin etiam inſontis latere ex vtroque
cruentos
Conſtituere viros, meritum licet omnibus vnum
Non faciat ſimilis quamuis ſententia: námque
Inter Carnifices ſancto pendente Latrones,
Hi mundo ſunt quippe rei, pro crimine
multo,
Huic reus eſt mundus, ſaluatus ſanguine
iuſto.
Suppliciiſque tamen rerum dominatur
in ipſis.

Iura

Iura poteſtatis non perdidit, æquus vtrumque
Iudex namque tuens, hunc eligit, hunc reprobauit,
Amborum merita præcelſo examine penſans.
Vnus enim, quem vita ferox nec morte reliquit,
In Dominum ſcelerata mouens conuitia, dictis,
Mordebat propriis, & tanquam ſetiger hircus,
Ore venenoſo vitem lacerabat amœnam:
Alter adorato per verba precanta Chriſto,
Saucia deiectus flectebat lumina; tantùm
Lumina: nam geminas arcebant vincula palmas.
Quem Dominus, ceu paſtor ouem deſerta per arua
Colligit errantem, ſecúmque adducere gaudet.
In campos paradiſe tuos, vbi flore perenni
Gramineus blanditur ager, nemorúmque voluptas.

Irriguis

Irriguis nutritur aquis, intérque benignè
Conſpicuos pomis non deficientibus hortos
Ingemis antiquum ſerpens habitare colonum.
Ambo igitur varium diuerſo calle Latrones
Aggreſſi facinus, violentum grande patrarunt.
Infernas adit ille fores, adit iſte ſupernas:
Ille profunda petens, penetrauit clauſtra gehennæ,
Abſtulit iſte ſuis cælorum regna rapinis.]

14. Expreſſere hoc ipſum, Patrum nonnulli, crucem Chriſti vocantes ſtateram, qua appenſis duobus Latronibus, vnus depreſſus, alter elatus eſt. Ita pulchrè Chryſoſtomus.[a] [Crucifixi ſunt cũ eo duo Latrones vnus à dextris, alter à ſiniſtris, erátque medius Saluator tanquam ſtatera veritatis, vnum eleuans confitentem, & alterum blaſphemantem condemnans. Scitè quoque id habetur in Theotochio, quod Ioannes Buteo Latinè fecit ex Græcorum Horologio, (vocabant Theotochium oratiun-

[a] *orat. de caco à natiuit. t. 6. Græcol.*

culam ad Deiparam poſt horarum & ſemihorarum pſalmos.) Sic igitur habet Theotochium. [Inter Latrones crux tua duos, media trutina fuit Iuſtitiæ, alterius quidem ad inferna degrauati pondere blaſphemiæ, alterius verò criminibus ſubleuati ad notitiam Theologiæ Chriſte Deus, gloria tibi.]

Alio modo, eodem tamen ſenſu, ſtateræ crucis & noſtræ in ea appenſionis, ſymbolum, accepere Patrum plerique, quorũ dicta æquè ad Latronem accommodare in communi omnibus cauſa, procliue erit. Conceſſam ergo in crucis ſtatera ſalutem depreſſione lancis, non ſublatione deſcribunt. Sic dictus Chriſtus ſtatera iuſta, in qua ſe appendi flagitabat Iob, interpretibus S. Gregorio [a] & S. Bernardo [b] ac Ruperto. [c] In ea ſtatera, gentes vt momentum reputatas, hoc eſt electos omnes depreſſos, & iuſti apud DEVM, ponderis habitos, oſtendit S. Bernardus. Sed hoc non ipſorum nudis operibus, ſed iuncto ſimul, & eidem lanci immiſſo calamitatum Chriſti pondere, perfectum: quod pulcherrimè declarauit S. Auguſtinus, [d] eò transferens fabellam

a 11. mor. c 6.
b ſerm de duob. euntib in Emaus.
c l 2. de oper. ſpir. ſc 8 qui eſt de ſapien. l. 1
d tract. 7. in Ioan.

lam quam apud quoſdam ſui temporis Chriſtianos ex Ethnicorum reliquiis fuiſſe ſuperſtitem, memorat. [Qui ſunt illi (inquit)qui hodie celebrant feſtiuitatem ſanguinis, neſcio cuius mulieris? Et quàm ingrati ſunt? Raptum eſt aurum, dicunt,de aure mulieris, & cucurrit ſanguis.Poſitum eſt aurum in trutina,vel in ſtatera, & præponderauit multum de ſanguine. Si pondus ad inclinandum aurum habuit ſanguis mulieris, quale pondus habet ad inclinandum mundum ſanguis Agni, per quem factus eſt mundus? Et quidem ille ſpiritus neſcio quis, vt premeret pondus,placatus eſt ſanguine. Immundi ſpiritus nouerãt venturum Ieſum Chriſtum, audierant ab Angelis, audierant ex Prophetis, & ſperabant eum venturum,&c. Ergo neſcio quid ſimile imitatus eſt quidam ſpiritus, vt ſanguine ſimulachrum ſuum emi vellet, quia nouerat pretioſo ſanguine quandocumque redimendum eſſe genus humanum.Fingunt enim ſpiritus mali vmbras quaſdam honoris ſibimetipſis, vt ſic decipiant eos qui ſequuntur Chriſtum.] In ea fabella ſanguis præponderare dicitur

auro, quod omnium eſt metallorum grauiſſimum: ita vt etiam immiſſum argento viuo in quo maſſa ferrea innatat, demergatur. Noſtris itaque ſceleribus ac malefactis in vna lance, qualibuſcúnque verò bonis operibus in altera, adiuncto Chriſti ſanguine repoſitis, quaſi arena maris hæc grauior apparuit, & depreſſa eſt, ſicque homo iuſti ponderis habitus. Hoc electis omnibus, hoc nominatim S. Latroni, qui altera veluti lanx erat trutinæ Chriſti, iuſto ſimul ac miſericordiſſimo Dei iudicio obtigit, damnata interim reprobi leuitate.

15. Quare ita iudicium Dei iuſtum, in damnando reprobo & pœnitente liberãdo admirandum & collaudandum, eſt, vt ſimul principium liberationis in electo, non prætereamus; (alioqui enim quid S. Latrone futurum erat niſi quod collegâ?) Dei inquam voluntatem bonam in electum, qua prouidit ei ſpirituale ſuperpõdium per Chriſti ſanguinem, vt iuſti ponderis efficeretur. Eò denique deuoluenda eſt oratio, cum de electione & reprobatione ſermo incidit. Sapientiſſimè id illuſtrauit Eccleſiaſticus,[a] dupli-

[a] c. 33. à v. 7.

ci comparatione adhibita: altera dierum feſtorum, qui cùm eiuſdem ſint generis cum profeſtis, celebrantur tamen & feſti ſunt, ob inſtituentis voluntatem. Altera, vaſorum fictilium ex eadem maſſa in honorem vel contumeliam effictorum, prout tulerit artificis beneplacitum. Videſis Petrum Damiani [a] qui ſocius olim fuerat Iuliani Apoſtatæ, & cum eo miniſter Eccleſiæ ex inferioribus: Eóque ad imperium & tartarum perueniente, ipſe ad martyrium & gloriam, iuſto Dei iudicio profecit.

a *ſerm. de S. Donato.*

Concludo cum Auguſtino [b], [Ibi erat Chriſtus, vbi & latrones. Similis pœna, ſed diſſimilis cauſa. Vnus Latro credidit, alius blaſphemauit. Dominus tanquam de tribunali inter ambos iudicauit. Illum qui blaſphemauit, in tartarum damnauit, alium in paradiſo ſecum conſtituit. Quare hoc? quia etſi æqualis pœna, ſed impar erat cauſa. Eligite ergo Martyrum cauſas, ſi vultis peruenire ad martyrum palmas.]

b *ſerm. 50. de Sanctis*

V. Omnia Electis cooperantur in bonum.

16. PRouidentiſſimam Dei in electos ſuos curam, & certantem cum ſapientia charitatem; quibus omnia eis in melius cedere, ac proſperè vertere, author eſt, cum in omnium electorum vniuerſa vita, tum in Latrone maximè licet deprehendere. Quantum enim fuit Diuinæ erga eum prouidentiæ opus, tunc tandem pro noxis eum ſupplicio addicere, cum Chriſtus impleto præſtituto tempore, hoſtia pro nobis factus, altare crucis ſubiit, vbi aſtantem Latronem, ſpectaculi nouitate, & Dei morientis præſentia occultè attractum, exuberantiſſimis cruenti ſacrificij fructibus, primum perfunderet? Quare mors eo tempore ac loco obita, immenſitatis bonorum cauſa fuit.

Suauiſſimam hanc conſiderationem & ad refocillandos in aduerſis ægros animos, per idoneam, optimè ex verbis Apoſtoli eruit Chryſoſtomus,[a] & Latronis exemplo firmat. [Scimus enim (inquit) quòd iis, qui diligunt Deum, omnia ſimul

[a] *hom.* 15. *in ad Rom.*

ſimul adiumento ſunt in bonum. Quùm autem dicit, *omnia*, & ea item quæ moleſta eſſe videntur, dicit: nam vt afflictio, vt inopia, vt carcer, vt fames, vt mors, vt quoduis aliud ingruat; poteſt Deus hæc omnia in contrarium commutare; quandoquidem & hoc immenſæ potentiæ eius eſt, quæ grauia eſſe videntur, ea nobis leuia reddere, & ad auxilium noſtri conuertere. Quapropter non ait, quòd iis, qui Deum diligunt, nulla accedit res, quæ aduerſa ſit, ſed quòd ea adiumento eſt ad bonum. Hoc eſt, Deus malis, aduerſiſque rebus vtitur ad eorum exiſtimationem, probationémque, quibus inſidiæ ſtruuntur: quòd multo maius eſt, quàm ſi prohibeas, aduerſa ne accedant, aut vbi acceſſerint, tollas. Hoc igitur, & in Babylonica fornace præſtitit. Neque enim prohibuit quo minus in illam Sancti inciderent, neque illi cùm incidiſſent, flammam reſtrinxit, ſed ardere ſinens, per hanc ipſam admirabiliores illos effecit: & in ipſis item Apoſtolis, id genus alia miracula modis omnibus edidit. Si enim homines philoſophiæ gnari, natura rerum in contrarium abuti poſ-

ſunt, & qui in paupertate victitant, diteſcentibus opulentiores apparere, & per obſcuritatem lucere: multò magis Deus in iis, qui ipſum diligunt, & hæc, & multò his maiora præſtat. Vna enim ſolùm re opus eſt, vt illum videlicet germano amore proſequare, & omnia alia ſubſequuntur. Quemadmodum ergo his, auxilio ſunt ea etiam, quæ nocumentum afferre videntur: ſic iis qui illum non amant, vel ea nocent, quæ auxilium afferunt. Iudæis ergo damno erant, & ſignorum oſtenſio, & dogmatum rectitudo, & philoſophiæ doctrina: ac propter illam quidem intemperiis Chriſtum agi dictitabant; propter hæc autem antitheum, hoc eſt, Deo aduerſantem eſſe aiebant: ob ſigna porrò edita, & extinguere illum aggreſſi ſunt. Latro verò in crucem ſublatus, clauis affixus, conuitiis affectus, mala infinita tolerans, hinc non ſolùm nocumentum nullum accepit, ſed vel lucrum, maiorem in modum tulit. Vides vt iis qui Deum diligunt, omnia auxilio ſunt in bonum?]

a tomo 5. Græcolat. hom. 15.

Eandem ſententiam latiſſimè verſat alio loco, a concludens ad extremum

[Rectè

[Rectè itaque beatus hic dixit, ſcribens: *diligentibus Deum, omnia cooperari in bonum.* Hanc ſententiam quæſo nos omnes menti noſtrę inſculptam habentes, nunquam indignemur, ſi quando in caſus aliquos aduerſos incurrerimus, dum in hac vita verſamur, aut in calamitates, aut in corporis ægritudines, aut in res alias moleſtas, ſed multam exhibentes moderationem animi, ac philoſophiam, cuiuis tentationi reſiſtamus, cùm nobis exploratum ſit, omni ex parte nos poſſe lucrum reportare, ſi vigiles, & attenti fuerimus, atque ex tentationibus potiùs quàm ex rebus ſecuudis: nec vnquam animo concidamus, cogitantes quantum ſit patientiæ lucrum.]

VII. Scandalum Crucis declinandum.

17. NOn Iudęis dumtaxat ſcandalum eſſe Crucem Chriſti, ſed & pleriſque nomine tenus Chriſtianis, qui nō ſatis memori mente ſeruant illud Chriſti, *Beatus eſt qui non fuerit ſcandalizatus in me*, vtinam non deprehenderemus tam frequentibus ac multiplicibus ex-

perimentis. Hos omnes condemnat Latro Iudice Chryſoſtomo, [a] [Quàm multi (inquit) cruce ipſius omnium noſtrum Domini ſcandalizati ſunt, & nequiores, atque audaciores ſunt facti, cum prætereuntes ipſum irridebant, dicentes. *Qui deſtruit templum, & in triduo illud reædificat, alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere? Si Filius Dei es, deſcende de Cruce, & credemus in te.* Nec tamen iſti excuſatione digni fuerint propter crucem; nam omnes eiuſmodi latro accuſat: ſi quidem ille quoque ſublimi cruci affixum vidit, & non modò ſcandalizatus non eſt, ſed inde quoque maiorem ad philoſophandum occaſionem accepit, omnéſque res humanas tranſcendens, & alis fidei in altum erectus, de rebus futuris philoſophatur: cùm enim patibulo affixum cerneret, verberibus cæſum, contumeliis affectum, felle potatum, ſputis conſperſum, à tanto populo ſubſannatum à iudice damnatum, ad mortem abductum, nullo iſtorum ſcandalizatus eſt: ſed cùm cerneret crucem, & clauos defixos, & tantam fieri ſubſannationem à plebe deprauata, rectâ ipſe viâ

a l aduerſus ſcandalum paſſo. c. 14.

viâ incedebat, dicens. *Memento mei in regno tuo:* & ei qui maledicebat, os occludebat, ſuáque peccata confitebatur, & de reſurrectione philoſophabatur: ídque cùm excitatos mortuos non vidiſſet, non leproſos mundatos, non claudos ſanatos, non mare refrænatum, non dæmones eiectos, non panes multiplicatos, non alia quæ Iudaicus populus ſpectauerat, & cum ſpectaſſet eum cruci affixerat: hic verò cum patibulo affixum conſpexiſſet, & Deum illum confeſſus eſt, & regni meminit, & de rebus futuris philoſophatus eſt. At illi qui miracula facientem conſpexerant, & quos partim verbis, partim operibus ipſis, doctrinæ participes fecerat, non modò nihil inde vtilitatis cœperunt, ſed cùm in crucem illum ſuſtulerint, in extremum ſunt perditionis barathrum deuoluti. Vides vt improbi, & deſides, ne ex rebus quidem vtilibus fructum aliquem percipiant: probi autem, ac vigiles, quibus rebus alij ſcandalizantur, ſummam ex illis vtilitatem decerpant.]

18. Non operuit Latronem confuſio & reuerentia, nec illud opprobrium

exti

extimuit, *cultor crucifixi, adorator malè mortui, venerator occiſi.* Frontoſos & nos ſimiliter eſſe decet, iuxta egregiam D. [a] *in pſalm. 68.* Auguſtini ea in parte doctrinam [a] Intuitus eſt in Chriſto Latro quæ non videbantur, iis quæ patebant & ſenſus feriebant flocci factis. Quod pauci ſeruant, & magna peruerſitate, de præſentis ſæculi ſorte æſtimant futuram alterius vitæ conditionem. Grauiter in Iouiniano id [b] *l 2 c. 14.* carpit S. Hieronymus [b] [Tu peruerſè & lubricè præſentis ſæculi conuerſationem in futurorum exempla proponis; cum vtique hîc iniuſtitia ſit, ibi iuſtitia, donec intremus in ſanctuarium Dei, & intelligamus in nouiſſimis eorum. Non aliter ſanctus, aliter peccator moritur? In eodem mari nauigantibus eadem tranquillitas, & tempeſtas eſt? Non aliter Latro, aliter martyr occiditur? nec alio modo de adulterio, & proſtibulis, alio de caſtis matrimoniis naſcuntur liberi? Certè Dominus, & Latrones, æquali iudicio crucifixi ſunt. Si idem eſt huius ſæculi futurique iudicium: ergo, quia hîc pariter crucifixi ſunt, & in futuro ſimiliter habebuntur.]

VII.

VII. Vno obtrectante, alium innocentiæ præconem prouidet Deus.

19. SI infantes tacuiſſent obloquentibus Chriſti innocentiæ ac ſanctitati Iudæorum maioribus, futurum fuiſſe vt lapides clamarent, non ſuſtinente Deo, vt virtus & ſanctitas ſit vniuerſaliter illaudata, ipſius Chriſti conteſtatione didicimus. Quia ergo Iudæi, in cruce Chriſti innocentiam veluti oppreſſam, omni contumeliæ ac probri genere oneratam traducebant, prouidit DEVS de lapidibus ſuſcitatum, germanum Abrahæ filium innocentiæ Chriſti teſtem: Ita enim Latronem rectè cognominat Arnoldus [a] Bonæ-vallis. [Semper (inquit Chryſoſtomus) [b] anima diuina, zelans veritatem, multa merito ſuo διὰ τὴν ἑαυτῆς ἀξια-πιστίαν reſerat ora, quæ veritati ſuffragentur. Pendebat in Cruce Chriſtus, & duo Latrones, vnus à dextris, & vnus à ſiniſtris, & Iudæi deblaterant, & Principes ſacerdotum blaſphemant: *Ecce Regem Iudæorum:* & rurſus, *ſi Rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de cruce, vt videamus & credamus ei:* & rurſus: *Alios ſaluos fecit, ſeipſum*

[a] *tract. 2. de extremo verbo Christi.*
[b] *orat. de caco.*

pſum non poteſt ſaluum facere. Similiter, & qui cum eo crucifixus erat latro, & ipſe deblaterabat, dicens: *Si Filius Dei es, ſaluum fac temetipſum, & nos.* Alter verò Latronum nihil dicebat, & alios obnoxios, ſuo ſilentio caſtigabat. Poſtquàm igitur Principes Sacerdotum, & Scribæ, qui legem nouerant, immò verò qui ignorabant, qui Prophetarum lectione commoniti Chriſtum debüerant confiteri, confeſſi non erant, inexpectatum aperuit os Deus in cruce, quod veritati patrocinetur. Ac vide quid faciat: vbi primùm Chriſti vocem audiuit, ei patrocinatur, ac deinde coronatur.] Nec præconem dumtaxat prouidet, ſed præconium ſupra probrum cumulat; quod idem Chryſoſtomus alibi expendit in obtrectatione Magdalenæ, cui Deus anniuerſariam imo iugem in Eccleſia celebrationem, aduerſus Iudæ obtrectationem rependit.

VIII. Firmum ſolatium verè pœnitentibus conſtitutum.

20. TAm beneuola Latronis præuentio, tam copioſa Deo parentis redemptio,

demptio, tot támque grauium nominum liberaliſſima diſſolutio, magnam ſecuritatem quibuſuis verè pœnitentibus ingenerat, vt eandem ſibi à Deo miſericordiam ſperent. Inſigunt hoc Patres quàm frequentiſſimè. Eucherius optimè [a] [vt redimeret iniquos, inter iniquos reputatus, inter duos quos dextra læuáque legimus pependiſſe, iuſtum confuſioni, & opprobrio crucis tradidit, vt latronem glorificaret. Sed ſi benè reſpicimus non illi ſoli hoc præſtitum deprehendimus. Nam dùm tam inſignem reum relaxat, dum tanto debitori refundit immanis debiti cautionem, humano generi conſcripſit ſecuritatem: vt conſolatio & ſpes fieret totius populi, abſolutio vnius deſperati, & priuatum donum, in publicum creſceret beneficium. Quare indubitanter credendum eſt, quòd Latroni illi, ad commẽdationem fidei ſuæ, etiam cauſa ſpei noſtræ & vtilitatis acceſſerit. Immenſa enim Dei noſtri bonitas tribuit, quæ etiam generaliter profutura prænoſcit. Et ideò iuxta fiduciam tantæ clementiæ, ſi quis noſtrum crimina ſua probabili conuerſatione damnauerit, &

a *hom de beato Latrone.*

Chriſtum

Chriſtum toto corde crediderit, etiam nunc Latroni in ſemetipſo ingreſſum paradiſi aperuiſſe ſe nouerit.]

a *catech.* 5. Cyrillus Hieroſol.[a] [ſi credideris quia Dominus eſt Ieſus Chriſtus, & quod Deus excitauit ipſum à mortuis, ſaluaberis, & transfereris in paradiſum. Propterea & Latronem eò intròduxit, vt non dubites, num id fieri poſſit. Qui enim Latronem vnâ horâ credentem, in hoc ſancto Golgotha ſeruauit, idem & te credentem ſeruabit.]

b *hom.* 20. *in euãg in ipſo fine.* 21. S. Gregorius[b] [A ſpei certitudine, nulla nos malorum noſtrorum qualitas, nulla quantitas frangat. Præſtat magnam veniæ fiduciam, Latro ille venerabilis, qui non inde venerabilis, vnde latro: Nam latro ex crudelitate, venerabilis ex confeſſione. Cogitate rogo, cogitate quàm ſint incomprehenſibilia in omnipotenti Deo miſericordiæ viſcera. Latro iſte cruentis manibus abſtractus à facie itineris, ſuſpenſus eſt patibulo crucis, ibi confeſſus, ibi ſanatus eſt, ibi audire meruit: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Quid eſt hoc? Quis tantam bonitatẽ Dei dicere, quis æſtimare

ſufficiat?

ſufficiat? De ipſa pœna criminis peruenit ad præmia virtutis. Idcircò autem omnipotens Deus electos ſuos in quibuſdam lapſibus cadere permiſit, vt aliis in culpa iacentibus, ſi toto ad eum corde conſurgant, ſpem veniæ redderet, & eis per lamenta pœnitentiæ, cœleſtem patriam aperiret.] Et alio loco.[a] [Quotidie peccatores ad veniam veniendo, à ſua poteſtate recedunt, quotidie de eius faucibus Redemptoris manu rapiuntur. Vnde benè quoque ad Beatum Iob voce Dominica iterum dicitur: *Aut armilla perforabis maxillam eius?* Armilla vbi ponitur, ambiendo conſtringit. Quid ergo per armillam, niſi circumplectens nos Diuina miſericordia deſignatur? Quæ Leuiathan iſtius maxillam perforat; dum nobis poſt perpetrata, quæ prohibuit, adhuc pœnitentiæ remedium oſtendit. Armillâ Dominus maxillam Leuiathã perforat, quia ipſe ineffabili miſericordiæ ſuæ potentia, ſic malitiæ antiqui hoſtis obuiat, vt aliquando eos etiam quos iam cepit amittat. Et quaſi ab ore illius cadunt, qui poſt perpetratas culpas ad innocentiam redeunt. Quis enim ore il-

[a] hom. 25. ſub finem.

ſunt,& qui in paupertate victitant,diteſcentibus opulentiores apparere, & per obſcuritatem lucere:multò magis Deus in iis,qui ipſum diligunt,& hæc, & multò his maiora præſtat. Vna enim ſolùm re opus eſt, vt illum videlicet germano amore proſequare, & omnia alia ſubſequuntur. Quemadmodum ergo his,auxilio ſunt ea etiam, quæ nocumentum afferre videntur: ſic iis qui illum non amant, vel ea nocent, quæ auxilium afferunt. Iudæis ergo damno erant, & ſignorum oſtenſio,& dogmatum rectitudo, & philoſophiæ doctrina: ac propter illam quidem intemperiis Chriſtum agi dictitabant; propter hæc autem antitheum, hoc eſt, Deo aduerſantem eſſe aiebant: ob ſigna porrò edita, & extinguere illum aggreſſi ſunt. Latro verò in crucem ſublatus,clauis affixus, conuitiis affectus, mala infinita tolerans, hinc non ſolùm nocumentum nullum accepit, ſed vel lucrum, maiorem in modum tulit. Vides vt iis qui Deum diligunt, omnia auxilio ſunt in bonum?]

a tomo 5. Græcolat. hom. 15. Eandem ſententiam latiſſimè verſat alio loco, a concludens ad extremum

[Rectè

[Rectè itaque beatus hic dixit, ſcribens: *diligentibus Deum, omnia cooperari in bonum.* Hanc ſententiam quæſo nos omnes menti noſtrę inſculptam habentes, nunquam indignemur, ſi quando in caſus aliquos aduerſos incurrerimus, dum in hac vita verſamur, aut in calamitates, aut in corporis ægritudines, aut in res alias moleſtas, ſed multam exhibentes moderationem animi, ac philoſophiam; cuiuis tentationi reſiſtamus, cùm nobis exploratum ſit, omni ex parte nos poſſe lucrum reportare, ſi vigiles, & attenti fuerimus, atque ex tentationibus potiùs quàm ex rebus ſecundis: nec vnquam animo concidamus, cogitantes quantum ſit patientiæ lucrum.]

VII. Scandalum Crucis declinandum.

17. NOn Iudęis dumtaxat ſcandalum eſſe Crucem Chriſti, ſed & pleriſque nomine tenus Chriſtianis, qui nõ ſatis memori mente ſeruant illud Chriſti, *Beatuś eſt qui non fuerit ſcandalizatus in me*, vtinam non deprehenderemus tam frequentibus ac multiplicibus ex-

perimentis. Hos omnes condemnat Latro Iudice Chryſoſtomo, [a] [Quàm multi (inquit) cruce ipſius omnium noſtrum Domini ſcandalizati ſunt, & nequiores, atque audaciores ſunt facti, cum prætereuntes ipſum irridebant, dicentes. *Qui deſtruit templum, & in triduo illud reædificat, alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere? Si Filius Dei es, deſcende de Cruce, & credemus in te.* Nec tamen iſti excuſatione digni fuerint propter crucem; nam omnes eiuſmodi latro accuſat: ſi quidem ille quoque ſublimi cruci affixum vidit, & non modò ſcandalizatus non eſt, ſed inde quoque maiorem ad philoſophandum occaſionem accepit, omnéſque res humanas tranſcendens, & alis fidei in altum erectus, de rebus futuris philoſophatur: cùm enim patibulo affixum cerneret, verberibus cæſum, contumeliis affectum, felle potatum, ſputis conſperſum, à tanto populo ſubſannatum à iudice damnatum, ad mortem abductum, nullo iſtorum ſcandalizatus eſt: ſed cùm cerneret crucem, & clauos defixos, & tantam fieri ſubſannationem à plebe deprauata, rectâ ipſe

a I aduerſus ſcandalum paſſo. c. 14.

viâ incedebat, dicens. *Memento mei in regno tuo:* & ei qui maledicebat, os occludebat, ſuáque peccata confitebatur, & de reſurrectione philoſophabatur: ídque cùm excitatos mortuos non vidiſſet, non leproſos mundatos, non claudos ſanatos, non mare refrænatum, non dæmones eiectos, non panes multiplicatos, non alia quæ Iudaicus populus ſpectauerat, & cum ſpectaſſet eum cruci affixerat: hic verò cum patibulo affixum conſpexiſſet, & Deum illum confeſſus eſt, & regni meminit, & de rebus futuris philoſophatus eſt. At illi qui miracula facientem conſpexerant, & quos partim verbis, partim operibus ipſis, doctrinæ participes fecerat, non modò nihil inde vtilitatis cœperunt, ſed cùm in crucem illum ſuſtulerint, in extremum ſunt perditionis barathrum deuoluti. Vides vt improbi, & deſides, ne ex rebus quidem vtilibus fructum aliquem percipiant: probi autem, ac vigiles, quibus rebus alij ſcandalizantur, ſummam ex illis vtilitatem decerpant.]

18. Non operuit Latronem confuſio & reuerentia, nec illud opprobrium

exti

extimuit, *cultor crucifixi, adorator malè mortui, venerator occiſi.* Frontoſos & nos ſimiliter eſſe decet, iuxta egregiam D. a in pſalm. 68. Auguſtini ea in parte doctrinam [a] Intuitus eſt in Chriſto Latro quæ non videbantur, iis quæ patebant & ſenſus feriebant flocci factis. Quod pauci ſeruant, & magna peruerſitate, de præſentis ſæculi ſorte æſtimant futuram alterius vitæ conditionem. Grauiter in Iouiniano id b l 2. c. 14. carpit S. Hieronymus [b] [Tu peruersè & lubricè præſentis ſæculi conuerſationem in futurorum exempla proponis; cum vtique hîc iniuſtitia ſit, ibi iuſtitia, donec intremus in ſanctuarium Dei, & intelligamus in nouiſſimis eorum. Non aliter ſanctus, aliter peccator moritur? In eodem mari nauigantibus eadem tranquillitas, & tempeſtas eſt? Non aliter Latro, aliter martyr occiditur? nec alio modo de adulterio, & proſtibulis, alio de caſtis matrimoniis naſcuntur liberi? Certè Dominus, & Latrones, æquali iudicio crucifixi ſunt. Si idem eſt huius ſæculi futuríque iudicium: ergo, quia hîc pariter crucifixi ſunt, & in futuro ſimiliter habebuntur.]

VII. Vno obtrectante, alium innocentiæ præconem prouidet Deus.

19. SI infantes tacuiſſent obloquentibus Chriſti innocentiæ ac ſanctitati Iudæorum maioribus, futurum fuiſſe vt lapides clamarent, non ſuſtinente Deo, vt virtus & ſanctitas ſit vniuerſaliter illaudata, ipſius Chriſti conteſtatione didicimus. Quia ergo Iudæi, in cruce Chriſti innocentiam veluti oppreſſam, omni contumeliæ ac probri genere oneratam traducebant, prouidit DEVS de lapidibus ſuſcitatum, germanum Abrahæ filium innocentiæ Chriſti teſtem: Ita enim Latronem rectè cognominat Arnoldus [a] Bonæ-vallis. [Semper (inquit Chryſoſtomus) [b] anima diuina, zelans veritatem, multa merito ſuo διὰ τὴν ἑαυτῆς ἀξιοπιστίαν reſerat ora, quæ veritati ſuffragentur. Pendebat in Cruce Chriſtus, & duo Latrones, vnus à dextris, & vnus à ſiniſtris, & Iudæi deblaterant, & Principes ſacerdotum blaſphemant: *Ecce Regem Iudæorum:* & rurſus, *ſi Rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de cruce, vt videamus & credamus ei:* & rurſus: *Alios ſaluos fecit, ſeipſum*

a *tract. 2. de extremo verbo Chriſti.*
b *orat. de caco.*

pſum non poteſt ſaluum facere. Similiter, & qui cum eo crucifixus erat latro, & ipſe deblaterabat, dicens: *Si Filius Dei es, ſaluum fac temetipſum, & nos.* Alter verò Latronum nihil dicebat, & alios obnoxios, ſuo ſilentio caſtigabat. Poſtquàm igitur Principes Sacerdotum, & Scribæ, qui legem nouerant, immò verò qui ignorabant, qui Prophetarum lectione commoniti Chriſtum debüerant confiteri, confeſſi non erant, inexpectatum aperuit os Deus in cruce, quod veritati patrocinetur. Ac vide quid faciat: vbi primùm Chriſti vocem audiuit, ei patrocinatur, ac deinde coronatur.] Nec præconem dumtaxat prouidet, ſed præconium ſupra probrum cumulat; quod idem Chryſoſtomus alibi expendit in obtrectatione Magdalenæ, cui Deus anniuerſariam imo iugem in Eccleſia celebrationem, aduerſus Iudæ obtrectationem rependit.

VIII. Firmum ſolatium verè pœnitentibus conſtitutum.

20. TAm beneuola Latronis præuentio, tam copioſa Deo parentis redemptio,

demptio,tot támque grauium nominum liberaliſſima diſſolutio, magnam ſecuritatem quibuſuis verè pœnitentibus ingenerat, vt eandem ſibi à Deo miſericordiam ſperent. Inſigunt hoc Patres quàm frequentiſſimè.Eucherius optimè [a] [vt redimeret iniquos,inter iniquos reputatus,inter duos quos dextra læuáque legimus pependiſſe, iuſtum confuſioni, & opprobrio crucis tradidit,vt latronem glorificaret. Sed ſi benè reſpicimus non illi ſoli hoc præſtitum deprehendimus. Nam dum tam inſignem reum relaxat, dum tanto debitori refundit immanis debiti cautionem,húmano generi conſcripſit ſecuritatem: vt conſolatio & ſpes fieret totius populi, abſolutio vnius deſperati, & priuatum donum, in publicum creſceret beneficium.]Quare indubitanter credendum eſt, quòd Latroni illi,ad commẽdationem fidei ſuæ, etiam cauſa ſpei noſtræ & vtilitatis acceſſerit. Immenſa enim Dei noſtri bonitas tribuit, quæ etiam generaliter profutura prænoſcit. Et ideò iuxta fiduciam tantæ clementiæ, ſi quis noſtrum crimina ſua probabili conuerſatione damnauerit, & Chriſtum

a *hom de beato Latrone.*

ſufficiat? De ipſa pœna criminis peruenit ad præmia virtutis. Idcircò autem omnipotens Deus electos ſuos in quibuſdam lapſibus cadere permiſit, vt aliis in culpa iacentibus, ſi toto ad eum corde conſurgant, ſpem veniæ redderet, & eis per lamenta pœnitentiæ, cœleſtem patriam aperiret.] Et alio loco.[a] [Quotidie peccatores ad veniam veniendo, à ſua poteſtate recedunt, quotidie de eius faucibus Redemptoris manu rapiuntur. Vnde benè quoque ad Beatum Iob voce Dominica iterum dicitur: *Aut armilla perforabis maxillam eius?* Armilla vbi ponitur, ambiendo conſtringit. Quid ergo per armillam, niſi circumplectens nos Diuina miſericordia deſignatur? Quæ Leuiathan iſtius maxillam perforat; dum nobis poſt perpetrata, quæ prohibuit, adhuc pœnitentiæ remedium oſtendit. Armillâ Dominus maxillam Leuiathã perforat, quia ipſe ineffabili miſericordiæ ſuæ potentia, ſic malitiæ antiqui hoſtis obuiat, vt aliquando eos etiam quos iam cepit amittat. Et quaſi ab ore illius cadunt, qui poſt perpetratas culpas ad innocentiam redeunt. Quis enim ore il-

[a] *hom. 25. ſub finem.*

& tamen ſi raptus fuerit, non deſperet: quia ſi peccatum perfectè lugeat, adhuc foramen in eius maxilla inuenit per quod euadat. Adeſt teſtis diuinæ miſericordiæ, hæc ipſa de qua loquimur Maria &c. Quid itaque fratres, quid in hac re debemus aſpicere, niſi immenſam miſericordiam conditoris noſtri? qui nobis velut in ſigno, ad exemplum pœnitentiæ poſuit eos, quos per pœnitentiam viuere poſt lapſum fecit. Perpendo enim Petrum, conſidero Latronem aſpicio Zachæum, intueor Mariam, & nihil aliud in his video, niſi ante oculos noſtros poſita ſpei, & pœnitentiæ exempla. Fortaſſè enim in fide lapſus eſt aliquis; aſpiciat Petrum, qui amarè fleuit, quod timidè negauerat. Alius contra proximum ſuum in malitia crudelitatis exarſit: aſpiciat Latronem, qui & in ipſo mortis articulo, ad vitæ præmia pœnitendo peruenit. Alius auaritiæ æſtibus anhelans, aliena diripuit: aſpiciat Zachæum, qui ſi quid alicui abſtulit, quadruplum reddidit. Alius libidinis igne ſuccenſus, carnis munditiam perdidit: aſpiciat Mariam, quæ in ſe amorem carnis, igne Diuini

amoris excoxit. Ecce Omnipotens Deus, vbique oculis noſtris, quos imitari debeamus, obiicit: vbique exempla ſuæ miſericordiæ opponit.]

a hom 2. in pſal. 50. 22. S. Chryſoſtomus [a] [O grandis miſericordia Domini. Cùm omnis mundus concluſus in peccatis eſſet, venit Creator vniuerſitatis, & principia peccantium euacuauit, vt nullus poſtmodum deſperaret de ſua ſalute: ſi impius es, cogita publicanum: ſi immundus es, attende meretricem: ſi homicida es, perſpice Latronem: ſi iniquus es, cogita blaſphemum.] Prudentius.[b]

b hymno 10. cathemer.

Sequimur tua dicta Redemptor,
Quibus atra morte triumphans
Tua per veſtigia mandas
Socium Crucis ire Latronem.
Patet ecce fidelibus, ampli
Via lucida iam Paradiſi;
Licet, & nemus illud adire
Homini, quod ademerat anguis.

c in Celſi pueri panegyr. 23. S. Paulinus.[c]

In cruce pendet homo, Deus, è cruce crimina donat
Et moriens vitam criminis interimit:
Próque reis habitus, peiórque latrone putatus, *Quem*

Quem Iudæa pio præpoſuit Domino,
Credenti donat regnum cæleſte Latroni,
Clauſus adhuc terris, iam paradiſum aperit.
Nos igitur firmare animos, attollere mentem,
Ignauóſque decet trudere corde metus.]
Et infrà.
Mœror abi, diſcede pauor, fuge culpa: Ruit mors,
Vita reſurrexit, Chriſtus in aſtra vocat.
Morte mea functus, mihi mortuus, & mihi victor,
Vt mors peccati, ſit mihi vita Dei.
Denique ſeruatum iam de cruce, duxit aperto
Limite Latronem, quà paradiſus adeſt.
Munere quo ſignum dedit & peccata piare,
Et nemoris vetiti vincere ſepta fide.
Talibus exemplis, tanto ſponſore ſalutis
Erectos, lætis vertere mæſta decet.
Pellamus querulos ingrato corde dolores,
Et redeant terſis lumina pura oculis.

24. Petrus Chryſologus [a] [Niſi me ſolaretur Beati Pauli ſubita & inopinata conuerſio, vix crederem, tam facilè vos

a *ſerm. 61. initio.*

de terrena labe in cœleſtem poſſe gloriam commutari. Illum námque de perſecutore mox Apoſtolum præſtitit repentina confeſſio,& Eccleſiæ dedit inſignem magiſtrum,quem furentem Chriſtiani nominis inuenerat vaſtatorem. Nec minùs animat me illius ſpadonis exemplum, quem fides antè rapuit ad gratiam, quàm currus ad Indiam, domúmque reuocaret. Accedit etiam illud Latronis mirabile documentum, qui nunc rapuit Paradiſum quando latrocinij ſui pœnas eſt appenſus vt ſolueret]

a orat. de crucis adorat. fere in fine. Theophilactus [a] [Etiam Latro ad crucem aduenit; conſueuit enim, & latronibus benefacere. At Regem omnium, & tuum crucifixum confitere, & conſtitue, & audies iucundiſſimam illam vocem: hodie mecum eris in paradiſo. O benignitatem, ô gratiam. Quot annorum piacula, vna pœnitentiæ & confeſſionis vox expiauit? Quis de ſe ſpem abiiciet, cùm Latronem videt ſalutem adeptum, & in paradiſum, cum eo qui vocauerat, quaſi vi ingreſſum eſſe?]

b l 10. meditat. in 8. in fere fine. 25. S. Anſelmus [b] Peccator ſum, ô miſericordiſſime Ieſu. Miſerere mei, qui

non

non veniſti vocare iuſtos, ſed peccatores. Fons patens Domui Dauid, appare, & effundere, & ablue me. Patens enim es omnibus ſitientibus te, & omnes omnium verè pœnitentium ſordes abluis: reddẽs eis, ô dulciſſime Ieſu, bonum pro malo, donum pro iniquitate, meritum pro delicto, pro facinore iuſtitiam, & gratiam pro culpa. Expertus eſt hoc Rex Dauid, qui pœnitens à nuntio tuo audiuit, *Dominus tranſtulit peccatum tuum à te, non morieris.* In te námque lotus eſt à lachrymis pœnitentiæ, & mundatus eſt à maculis grauis culpæ. Tua ſiquidem in eo munditia crimen lauit adulterij, & pietas crudelitatem extorſit homicidij. In te purgatus eſt ille princeps Apoſtolorum, qui amarè fleuit, quod timidè negauit. In te etiam illa famoſa peccatrix, ô fons puriſſime, & dulciſſime dealbata, tanta meruit familiaritate donari, vt ipſis Apoſtolis nouam tuæ reſurrectionis gloriam, & prior videret, & eis eam annunciaret. In te quoque ille mundatus eſt, qui iuxta te in cruce pendens, dũm & ſe digna factis recepiſſe recognouit, & te in tuo regno ſui habere memoriam petiit,

ſtatim à te audire meruit, *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo.* Et quot in te pie Ieſu quotidie illuſtrantur, & abluuntur, de tenebris ad lucem, & de ſordibus ad munditiam? ſuſcipe ita me, diu exulantem à te.]

[a] *ſerm. 25 in Cant.* S. Bernardus [a] [Quam excuſationem habet qui in odore horum vnguentorum non currit, niſi ad quem fortè odor minimè peruenit? ſed enim in omnem terram exiuit odor vitæ, quoniam miſericordia Domini plena eſt terra, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Ergo qui vitalem hanc ſparſam vbique fragrantiam non ſentit, & ob hoc non currit; aut mortuus eſt, aut putridus. Fragrãtia fama eſt, præuenit opinionis odor, excitans ad currendum, perducit ad vnctionis experimentum, ad brauium viſionis. Vox vna lætantium omnium peruenientium: ſicut audiuimus, ſic vidimus in ciuitate Domini virtutum. Omnino propter manſuetudinem, quæ in te prædicatur, currimus poſt te Domine Ieſu, audientes quòd non ſpernas pauperem: peccatorem non horreas. Non horruiſti confitentem latronem, non lachrymantem

tem peccatricem, non Chananæam ſupplicantem, non deprehenſam in adulterio, non ſedentem in telonio, non ſupplicantem publicanum, non negantem diſcipulum, non perſecutorem diſcipulorum, non ipſos crucifixores tuos. In odore horum currimus.]

26. Vides quantoperè Patres, ex Latronis facto ratum haberi velint, certam cuiuis eſſe ſalutis ſpē. Et ſiue Deum ſpectemus qui æquè ſemper potens eſt ac beneuolus, ſiue perſonæ conditionem, qua vix tetrior proferri poteſt cùm Latro profertur, conſtitutum omnibus eſſe firmum ſolatium, & maximam ſecuritatis cauſam, vt diſpari ſe ſorte non fore perſuaſum habeant, ſi conuertantur ad cor. Verùm quia hanc ſecuritatem quatere poſſent nonnulla; nimirum ſcelerum magnitudo, pœnitentiæ tarditas, eiuſdémve breuitas; aut impotentia multorum bonorum operum exterius exercendorum, placet has muſcas ſuauitatem vnguenti exterminantes abigere & ex propoſito Latronis facto ſeorſim demonſtrare, quàm nulla ex illis capitibus, cauſa ſubminiſtretur ſecuritate exciden-

di, & præcipitandi in deſperationem, quam *extremum diaboli gaudium*, meritò vocauit Antiochus.[a]

a hom 17.

IX Nemini deſperandum ob ſcelera ingentia.

[Nemo eſt qui poſſit excludi, quando receptus eſt Latro] ait S. Ambroſius,[b] ſubſannãs inde Satanam, qui per lectiſſimum nequitiæ organum, tanto ludibrio factus ſit obnoxius, interpoſita Chriſti gratia.

b in pſal. 39.

S. Ephrem,[c] Deum inducit verè pœnitentes ſic alloquentem [venite ad me omnes qui onerati eſtis, & excutite, & proiicite à vobis onus peccatorũ. Nemo enim ad me confugiens, permanet oneratus: ſed malam vitæ conſuetudinem abiicit, & dediſcit artem, quam malè à diabolo didicerat, diſcítque à me artem bonam. Magi ad me accedẽtes, arte magica abiecta, Theologiam, & notitiam de Deo adepti ſunt. Publicani relictis teloniis ſuis, Eccleſias conſtruxerunt, perſecutores, alios deſiſtentes perſequi, perſecutiones ab aliis ſibi illatas ſuſceperũt.

c tomo 1. tract. de variis inferni tormentis ad finem.

Mere

Meretrices fornicationem deteſtantes, continentiæ, atque pudicitiæ amatrices euaſerunt. Latro omiſſis homicidiis, latrocinandíque arte depoſita, veram ac ſinceram fidem aſſumpſit, & paradiſi inhabitator factus eſt. Venite ergo & vos ad me, quoniam venientem ad me, nequaquam eiiciam foras. Audiſtis, fratres chariſſimi, ſpem optimam, promiſſionéſque perdulces, ac voces ſaluatoris animarum noſtrarum. Quis tam pium erga liberos vidit patrem? Quis tam bonum vidit medicum. Venite igitur, adoremus, & procidamus ante ipſum, confitentes noſtra peccata. Gloria ipſius bonitati. Gloria benignitati eius. Gloria ipſius longanimitati. Gloria ipſius nobiſcum dignationi, atque indulgentiæ. Gloria commiſerationibus eius. Gloria eius regno. Gloria, honor, & adoratio ſit ſancto eius nomini in ſæcula ſæculorum. Iterum dico, & dicere non ceſſabo: ne pigreſcamus peccatores, ne ſimus ignaui, ne cunctemur, neque ceſſemus clamare, cum lachrymis ad Dominum, noctes atque dies. Quoniam miſericors eſt, & mentiri neſcit, vindicátque per omnia, claman

clamãtes ad ſe, noctes, ac dies. Ipſe enim eſt pœnitentium Deus, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus.]

b l. 2. de ſymbo ad catech. c. 6.

27. S. Auguſtinus[a] [Chriſtus pro impiis mortuus eſt, mox ſacculum carnis ſuæ in crucis ligno perſoluit, & pretium noſtrum exactori reddidit. Ibi ſtatim illum Latronem fecit confeſſorem, vt per eum impiorum reſtauraret ruinam. Videte redemptum, quem diabolus poſſederat homicidam. Videte Dominum virtutum, & in ipſa morte miracula facientem. Tunc Latro confitebatur, quando Petrus turbabatur: tunc iſte agnouit, quando ille negauit. Sed nunquid quia Dominus acquiſiuit Latronem, Petrum perdidit negatorem? Abſit, abſit. Agebat myſterium qui fundebat pretium: in Petro demonſtrans, non in ſe quemquam iuſtum debere præſumere: in Latrone, nullum impium conuerſum poſſe perire. Timeat bonus, ne pereat per ſuperbiam: non deſperet malus de multa malicia. Colligantur præſumentes, colligantur deſperantes. Magnum pretium pro nobis datum eſſe cognoſcimus qui Chriſti ſanguine redempti ſumus.]

S. Chryſo

28. S. Chryſoſtomus, [a] [Nemo dilectiſſimi de ſua ſalute deſperet: Non eſt enim improbitas malum à natura nobis inſitum. Libero arbitrio, & libertate decorati ſumus. Publicanus es? potes fieri Euangeliſta. Blaſphemus es? potes Apoſtolus fieri. Latro es? potes deprædari paradiſum. Magus es? potes Dominum adorare. Non eſt vitium vllum quod non pœnitentia reſoluatur. Idcircò Dominus, nequitiæ delegit faſtigia, vt nullus ad funem confugere debeat: noli mihi dicere: Perij, quid mihi reſtat? noli dicere, peccaui, quid faciam? medicum habes, qui morbum poteſt vincere: medicum habes qui ſanat omnem langorem: medicũ habes, qui nutu ſolo curat: medicũ habes, qui voluntate corrigit, qui poteſt, & vult ſanare. Cùm nõ eſſes, te produxit: cùm iam ſis, & peruerſus ſis, multò magis corrigere poterit. Non audiſti quomodò quondam puluerem de terra ſumpſerit; & hominem finxerit? quomodò terram conuertit in carnem? quomodò neruos condidit? quomodò oſſa? quomodo pellem? quomodò venas? quomodò naſum? quomodò oculos? quomodò palpebras? quomodò ſupercilia? quo-

[a] *ſerm de Chananæa t. 6 Græcol*

modò linguam? quomodò pectus? quomodò manus? quomodò pedes? quomodò cætera omnia? Terra erat ſubiecta, vna ſubſtantia: & intrauit ars, atque varium opificium produxit. Nunquid modum potes exponere, quo creatus es? ſic neque modum potes effari, quo peccata tolluntur. Si enim incidens in ſpinas ignis, eas abſumit, multò magis voluntas Diuina delicta noſtra conſumit, radicitùs euellit, & peccatorem ei qui non peccauit, ſimilem reddit. Noli quærere modum: ne curioſius, quî fiat inquiras, ſed miraculo crede. Multa & magna peccaui, inquis. Et quis eſt à peccato immunis? At mea grauia ſunt, & quorumuis hominum peccata ſuperant. Hoc tibi ſufficit ad ſacrificium.]

b hom. 10. de pœnitentia.

Et [a] alibi ex eo animat peccatorem quantolibet peccatorum pondere prægrauatum, quod [Latro poſt tantum malitiæ, vbi de ſpe lapſus non eſt, ante omnes paradiſum ingreditur.]' Alia item exempla ad id confirmandum conſtipat. Quare luculenter [b] Theodorum alloquens, concludit. [Caue dicas, iis tantùm veniæ locum concedi, qui modicè

b priore paraneſi, ad finem.

delin

deliquerunt : Nam finge ſi lubet, aliquem vniuerſa malitia redundantem,& patrarit omnia, quæ à regno excludunt, is vt demus non ſit,extra fidem,ſed fidelis aliquando fuerit, acceptúſque Deo, poſtea verò factus ſcortator, adulter, mollis, pædico,fur,ebrius, calumniator, aliáque id genus flagitia,ſedulò committat, equidem illi non ero deſperandi auctor, neque ſi perſeuerauerit ad extremam vſque ſenectam,cum infandis illis, maximíſque vitiis.]

Idem alio loco optimè [a] [Fraudator non permanſit raptor, ſed Euangeliſta factus eſt. Dico & priorem conuerſationem, dico & poſteriorem immutationis virtutem,vt perdiſcas quanta ſit conuerſationis vtilitas, vt & tu non deſperes de tua ſalute. Doctores enim, & tunc cùm eſſent peccatores, manifeſti erant, & nunc blaſphemus, principium malignitatum;(quid enim eſt aliud telonæũ,niſi legitima rapacitas,violenta fiducia,iuſtitiæ legem habens patrocinante rapinâ? latro deprehenſus confunditur iſte rapiens, fiducialiter agit:) ſed hic talis & tantus publicanus, ac ſubito euangeliſta

a hom. 13. ex variis in Matth. locis quæ eſt de S. Matthæi conuerſione.

apparuit.

apparuit. Sed forſitan addiſcere cupis, quemadmodum, & qua arte. *Tranſiens*, inquit, *Ieſus vidit Matthæum ſedentem in telonio, & dixit ei: ſequere me.* O virtus ſermonis. Quaſi quidem intrò vt hamus, & captiuum militem fecit, & ex luto aurum operatus eſt. Venit vncinus, & ſtatim exurgens ſecutus eſt eum. In profundo malignitatis erat, & vſque ad verticem virtutis aſcendit, vt nobis oſtenderet, neminem debere deſperare ſalutem, quia naturalis malignitas non eſt. Liberi quippe arbitrij nos creauit Deus, vt voluntate noſtra, cum adiutorio Dei quod volumus, faciamus. Si publicanus es, potes fieri Euangeliſta; ſi blaſphemus es, potes fieri Apoſtolus: ſi latro es, poteris paradiſi colonus effici: ſi magus es, poteris Dominum adorare. Nec eſt vlla malitia, quę pœnitentia non ſoluatur. Et ideò tanquam principia malignitatum elegit Chriſtus, vt nemo vſque in finem ſemetipſum deſpiciat.]

29. Eucherius, imò potiùs Maximus, [a] [Nullus ſe à communi lætitia, peccatorum conſcientia ſubtrahat: nullus à publicis votis delictorum ſarcina reuocetur.

[a] *hom. 4. de Paſch.*

tur. Quamuis enim peccator ſit, hac die de indulgentia non debet deſperare: Eſt enim prærogatiua non parua. Si enim Latro paradiſum meruit, cur non mereatur veniam Chriſtianus? & ſi illi Dominus cum crucifigitur, miſeretur, multo magis huic miſerebitur, cum reſurgit. Et ſi paſſionis humilitas tantum præſtitit confitẽti, reſurrectionis gloria quantum tribuet deprecanti? largior enim ad præſtandum ſolet eſſe (ſicut ipſi ſcitis) læta victoria, quàm addicta captiuitas.]

S. Auguſtinus, [a] [Nunquid quia Dominis acquiſiuit Latronem, Petrum perdidit negatorem? Abſit, abſit. Agebat myſterium, qui fundebat pretium. In Petro demonſtrans; non in ſe, quenquam iuſtum debere præſumere. In Latrone, nullum impium conuerſum poſſe perire. Timeat bonus, ne pereat per ſuperbiam; non deſperet malus de multa malitia. Corrigantur præſumentes, corrigantur deſperantes: magnum pretium pro nobis datum eſſe cognoſcimus, quia ſanguine Chriſti redempti ſumus.]

a lib. 2. de ſymbolo c. 6.

S. Gregorius [b] [Tribulationi cordis noſtri, remedium miſerationis diuinæ

b in pſal. 6. pœnitit.

occurrit; & contra diffidentiæ malum, firmiſſimæ ſpei adhibet conſolationem, promiſſionum diuinarum certa nobis proponens exempla, quibus peccãtium ſalutem ſe malle aſſerit quàm perditionem. Quorũdam quoque correctionem ad animum reducens, quos etſi à ſtatu rectitudinis error ſubruit, conditoris tamen gratia in melius reformauit. Ecce grauium delictorum mole obrutus, & demeritorum qualitate diffiſus, aſpicio Zachæum, intueor Mariam, conſidero Petrum, perpendo Latronem, in quibus miſerationis diuinæ ſplendor apparuit, atque per eos ſpem veniæ peccantibus dedit. Hæ ſunt inæſtimabilis miſerationis Dei diuitiæ, humano quidem generi à ſæculis abſconditæ, nouiſſimis verò temporibus per mediatorem Dei, & hominum declaratæ. Quæ pro ſui immenſitate adeò incomprehenſibiles ſunt, vt in explanatione earum manus torpeat, fatiſcant ingenia, eloquentiæ conticeſcant. Superant enim ſenſum, ſermonem tranſcendunt, intellectum excedunt.]

a cap. 80. 30. Concilium VVormatienſe [a] ſub Ludouico Rege anno 868. celebratum, ad

ad quæſitum, an eſſet orandum pro ſuſpendioſis, & Miſſæ pro eis celebrandæ, & cadauera Eccleſiis inferēda, reſpōdet. [Si omnibus de peccatis ſuis puram confeſſionem agentibus, & dignè pœnitentibus communio in fine ſecundùm canonicū iuſſum danda eſt, cur non etiam eis, qui pro ſuis peccatis pœnam extremam perſoluunt? Scriptum eſt enim: *Non vindicat Deus bis in idipſum.* Nam Dominus ait. *In quocumque die conuerſus fuerit peccator, peccata eius non reputabuntur ei.* Et iterum: *Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat.* Salutem ergo homini adimit, quiſquis mortis tempore pœnitentiam denegat: & deſperat de miſericordia Dei, qui eam ad ſubueniendum morienti, ſufficere vel in momento non credit poſſe. Latro ergo perdidiſſet in cruce præmium ad Chriſti dexteram pendens, ſi illum vnius horæ pœnitentia non iuuiſſet Nam cū eſſet in pœna, pœnituit: & per vnius ſermonis profeſſionem, habitaculum paradiſi, Deo promittente, promeruit. Vera ergo ad Deum conuerſio in vltimis poſitorum, mente potius eſt æſtimanda quàm

tempore, Propheta hoc aliter aſſerente: *Cum cōuerſus ingemueris, tunc ſaluus eris.*]

a *l. 10. meditat in 7. ſub finem.* S. Anſelmus [a] alloquens Chriſtum [Cum reſpicio ad mala opera quæ operatus ſum, ſi me iudicare vis ſecundùm quod merui, certus ſum de perditione mea. Cùm verò reſpicio ad mortẽ tuam, quam pro redemptione peccatorum paſſus es, non deſpero de miſericordia tua. Latro verò ille qui pro ſuis ſceleribus tecum crucifixus eſt, vſque ad ipſius animæ ſingultum ſemper in peccatis fuit, ſed tamen in ipſa hora ſuæ expirationis, quia ſua mala confeſſus eſt, & culpam clamauit, miſericordiam inuenit, & tecum ipſo die in paradiſo fuit: cernens ergo te pro redemptione peccatorum eſſe mortuum, manus tuas & pedes clauis confixos, latus tuum lanceâ militis apertum, vndam ſanguinis & aquæ de eodem tuo latere currentem, deſperare debeo? Vnum tantummodò eſt quod vis, ſine quo nullus peccator poteſt ſaluari; ſcilicet vt de malis noſtris pœniteamus, & in quantum poſſumus, emendare curemus. Hoc ſi fecerimus, ſecuri ſumus: quia ſi nos ſic faciẽtes inuenerit dies

vltimus

vltimus, (quandoquidem & exemplum latronis qui ſic in vltima hora meruit ſaluari habemus:) confidentes de ineffabili pietate Domini noſtri Ieſu Chriſti, accuſationem inimici, aut parum, aut nihil omnino timere poſſumus. Habentes ergo ante oculos noſtros pretium noſtrę redemptionis, mortem videlicet & ſanguinem Redemptoris noſtri, qui in remiſſionem effuſus eſt pro peccatis noſtris: habentes etiam exemplum Latronis, & multorum qui multis, & magnis peccatis erant inuoluti, quos ipſe fons pietatis Chriſtus miſericorditer abſoluit, non deſperemus, ſed curramus ſecuri de remiſſione peccatorum ad ipſum fontem pietatis: in quo iam tot, & tam magnos peccatores ablutos, & videmus, & agnoſcimus, & certi ſimus nos ſimiliter abluendos ab eodem fonte miſericordiæ, ſi abſtineamus à malitiis, & à peccatis noſtris, & in quantum poſſumus, curemus deinceps bona operari.]

31. Petrus Cellēſis[a] enumeratis variis peccatorum ordinibus, per Chriſtum curatis, addit. [A quacunque detinetur infirmitate, liberetur omnis accedens &

a l. de panibus c. 19. in fine

credens. In ora veſtimenti Latro poſitus, vnguentum quod à capite in barbam barbam Aaron defluebat, tangat, & de ipſis mortis faucibus ſalubriter reſpiret.]

X. Nulla pænitentia ſera nimis.

Hoc ex Latronis ſorte confirmat frequẽter S. Hieronymus, vt cum ait[a] [nunquam eſt ſera conuerſio. Vox hæc primùm dedicata eſt in Latrone. Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo. Alibi[b] [Chriſtus in paradiſum de cruce Latronem intulit, & ne quis aliquando ſeram conuerſionem putaret, fecit homicidij pœnam, martyrium. Rurſus alibi.[c] [Nunquam eſt ſera conuerſio, Latro de cruce tranſiuit in paradiſum.] In his vt ſæpè alibi, videtur ęmulatus S. Cyprianum, cuius illa ſunt præclara.[d] [Quando iſtinc exceſſum fuerit, nullus iam pœnitentiæ locus eſt, nullus ſatisfactionis effectus, hic vita aut amittitur, aut tenetur; hîc ſaluti æternæ cultu Dei, & fructu fidei prouidetur. Nec quiſquam aut peccatis retardetur, aut annis, quo minus veniat

a *epiſt.* 25. *initio.*
b *epiſt.* 58.
c *epiſt.* 7.
d *ad Demetrianũ in fine.*

niat ad conſequendam ſalutem. In iſto adhuc mundo manenti, pœnitentia nulla ſera eſt. Patet ad indulgentiam Dei aditus,& quærentibus,atque intelligentibus veritatem,facilis acceſſus eſt. Tu ſub ipſo licèt exitu, & vitæ temporalis occaſu, pro delictis roges: & Deum qui vnus & verus eſt, confeſſione & fide agnitionis eius implores: venia confitenti datur: & credenti indulgentia ſalutáris de diuina pietate conceditur, & ad immortalitatem ſub ipſa morte tranſitur.] Apertè ad Latronem ſanctum alludit.

32. Apud eundem, luculenter de more author libri de operi. cardinalibus nominatim appetens crudelitatem Nouati & Nouariorum. [In eodem articulo tēporis cū iam anima feſtinet ad exitum & egrediens ad labia expirantis emerſerit, pœnitentiam Clementiſſimi Dei benignitas non aſpernatur, nec ſerum eſt, quod verum, nec irremiſſibile, quod voluntarium: & quæcunque neceſſitas cogat ad pœnitudinem, vel quantitas criminis, nec breuitas temporis, nec horæ extremitas, nec vitæ enormitas, ſi vera contritio, ſi pura fuerit voluptatum mu- *a ſerm. de cœna Domini.*

tatio, excludit à venia: ſed in amplitudine ſinus ſui mater charitas, prodigos ſuſcipit reuertentes & velit nolit Nouatus hæreticus, omni tēp ore gratia Dei recipit pœnitentes. Ipſe Dominus noſter derelictorũ perſonā gerens in cruce, ſe queritur derelictum: & ne deſperarēt etiam in vltimis conſtituti, feſtinans in adiutoriũ illicò adeſt, & re in arcto poſita non differt beneficium ſed repētè indulgentiæ celeris documentum eiuſdem ſtatuit & exemplum, Latroni inquiens, *hodie mecum eris in paradiſo.*]

a *Baro an no 32. num. 29.*

Cæleſtinus Papa[a] ſcribens ad Clerum & populum Conſtantinopolitanum poſt Neſtorij deiectionem [Ad exprobrandum hunc (*Neſtorium*) ille ſufficit, quem in cruce cum Chriſto poſt ſcelera tanta pendentem, ſupplicij beneficium, fecit Dominum confiteri. Sui ab eo memoriam poſcit in regno. Hoc breui ſermone diluit quicquid admiſit, criminibus temporum, temporis pũcto ſubueniens. Nec moratur præmium confitentem. Statim eius remuneratio & viciſſitudo reſpondit, qui libenter excepit hora ad ſe quacunque conuerſum. Mecum (inquit

quit) eris in paradiſo, promittit ei futuram ſocietatem qui ſecum præſens iam pateretur. Ad iuſtitiam corde credulitas ad ſalutem facta eſt ei ore confeſſio.]

Non diſſimiliter Chryſoſtomus[a] [Etiãſi omni ſe æuo vixiſſe meminiſſes, poſtmodùm autem in vltimo ſenectutis curriculo æquè vt nunc lapſum viderem; ne tunc quidem huiuſmodi in te deſperationem probarem. Sed erige, obſecro, mentem Euangelici Latronis exemplo iuſtificati in cruce, & in ipſa morte ſaluati Ante oculos collocabo eos etiã, qui vndecimâ hora aggreſſi ſunt opus, ſed ad totius mercedẽ diei, peruenis meruerũt.]

a *paræn. poſter ad Theodorũ.*

33. S. item Eulogius[b] [Quid Latroni Euangelico obſtitit, quod fraterno cruore illitis manibus crucem aſcendit? Aut qualibus inter ipſa mortis diſpendia miraculis coruſcauit, qui, (vt ita dixerim,) totius vitæ ſuæ metam latrociniis, rapinis, prędíſque exegit? & tamen ſub vnius confeſſione momenti, tanto ſcelere non tantùm eruitur, verùm etiam dignus comitatui Redemptoris, primi paradiſi poſſeſſor habetur dicente Domino, *hodie mecum eris in paradiſo.*]

b *in apologetico SS. Martyrũ.*

a l.2 de Eucha.c. 3. Algerus [a] [niſi ipſe Sacerdos qui cœlos penetrauit, fieret nobis via ad ſeipſum, cæli ianua nobis clauſa foret in æternum: quę ideò poſt paſſionem Chriſti reſerata eſt credentibus, quia idem qui eſt Sacerdos, ſacrificium factus vnitur ſibi commorientibus: & dum vnum fiunt cum ipſo, vbi ipſe eſt ipſi ſunt in ipſo. Vnde etiam ad magnam ſpem iuſtis & peccatoribus, in paſſione Chriſti, eadem die Latro, eadem die Iuſtus, eadem die cum Chriſto in paradiſum eſt aſſumptus, prę omnibus iuſtis primus: vt non ſolùm conſtaret eadem die paradiſi ianuam hominibus reſeratam, ſed & cōſtaret Dei gratiam non articulo temporis aſtringi, non peccatorum quantitate vinci: cui ad æternæ vitæ præmia ſtatim conferenda, ſuffecit vix vnius horæ pœnitentia poſt tot flagitia. Quis ergo dubitet Chriſti paſſionem, verè omnium peccatorum eſſe remedium, quæ tam ſerò, tam citò, quaſi omnium peccatorum primitias iuſtificauit, & ſaluauit ſceleratiſſimum?]

a lib.2. Apum cap 2.n.8. Ex hoc exemplo Cantiprat. [a] infert, nemini negandam conuerſionem tametſi

metſi

metſi eam ſerò admodum petat, [cum Chriſtus norma iuris omnimodi, ſerò pœnitentem in cruce Latronem, ad paradiſi ianuas comitem introduxit.] Multa præterea in hanc ſententiam ex ſcripturis & Patribus, tacitis de more nominibus collegit Rabanus: [a] ex quibus omnibus, ſed præſertim ex Latronis exemplo, liquet maxillam Leuiathan eſſe perforatam, & eos quoque qui iam intra eam mandendi premuntur, poſſe elabi, vt piè in hanc ſententiam philoſophantur S. Gregorius, [b] & Petrus Damianus. [c]

a l. de pœnitentia à c 3 tomo 6.

b 33. mor. c. 14.

c. ſerm 2. de S. Vitale, initio.

XI. Vera pœnitentia, longa duratione non eget.

34. Non defuerunt Scholaſtici, quibus videretur veram pœnitentiam criminum abſterſiuam & gratiæ conciliatiuam, duratione aliqua certa & diuinitùs taxata indigere: non modò ſi ſermo ſit de præuia ex parte intellectus deliberatione, quam certum eſt humano & ordinario modo non perfici in momento, ſed etiam agendo de voluntatis auerſione à culpa & conuerſione in Deum.

Nam

Nam in eo actu, certam aliquam moram poſtulant, vt ſit probæ notæ, & gratiam peccatori conciliet. Quæ ſententia ſi vera eſſet, reuocari in dubium poſſet, an Latronis ſancti pœnitentia gratiam ei aduexerit: cum tam ſerò conuerſus ſit, & tam breui pœnitentia præmiſſa, gratiam ſit adeptus. Nam quamuis à pœnitentia prima, & conuerſione, ad mortem, non omnino modica mora interfluxerit; tamen prima eius pœnitentia & conuerſio, promptiſſima fuit, & adiunctam illicò habuit gratiæ ſanctificantis immiſſionem, quam dicendum eſſet non vi illius pœnitentiæ & conuerſionis tanquam diſpoſitionis, ſed purè ex diuina liberalitate conceſſam fuiſſe Latroni, vt regno Dei aptus fieret, quam aptitudinem ab eo primæ pœnitentiæ momentò ſortitus eſt. Aliis verò peccatoribus ſanctum Latronem æmulantibus ſubduceretur ſecuritas illa moralis & firmum ſolatium quod propoſuimus. Quid ſi enim pœnitentia quam elicuerunt. tempori diuinitùs taxato nondum correſpondit, & defectu Diuinæ liberalitatis extraordinariæ, qualem pro Latrone agnoſcere co-

 gimur,

gimur, adhuc iaceant in ſordibus peccatorum? Aduerſus hoc placitum, alibi Theologice actum eſt, & monſtratum, attenta lege ordinaria & ſecluſis quibuſuis priuilegiis, pœnitentiam eſſentialiter perfectam, quantumcumque breuem, aut etiam momentaneam, eſſe diſpoſitionem vltimam ad peccati abſterſionem. Verus enim ac totalis receſſus à peccato, & acceſſus ad Deum à quo pręceſſerat auerſio, continetur eo quem dixi actu quantulacunque ſit eius duratio, vt probatiores ſcholaſtici rectè ſtatuũt, & optimè Gabriel [a] ac Andreas Vega.[b] Nunc dimiſſis tricis ſcholaſticis, profero Patres, præſertim Latronis factum expendentes, & ex eo eruentes quantacumque ſit pœnitentiæ breuitas, dummodò eſſentialiter ſit vera pœnitentia, nihil ei deeſſe tanquam vltimæ diſpoſitioni ad emũdandum & ſanctificandum peccatorem, vnde ea quàm hîc peccatoribus ingenerare ſatagimus moralis ſecuritas, & ſancta in Deum confidentia effloreſcet, cui placitum propoſitum cladem inferebat. Scripturas verò ſi quis in hanc rem deſiderat, adeat plurimas conſtipantem

a *in* 4. *d.* 14. *q.* 1 *litera* r.
b *l.* 3. *in Conc. c.* 23.

ſtipantem Fulgentium.[a]

35. Iulius Papa [b] [Vera confeſſio in vltimo tempore eſſe poteſt: quia Deus non ſolùm temporis, ſed etiam cordis inſpector eſt : ſicut Latro vnius momenti pœnitentiâ meruit eſſe in paradiſo , in hora vltima confeſſionis.]

Cœleſtinus [c] [Perdidiſſet Latro in cruce præmium ad Chriſti dexteram pendens, ſi illum vnius horæ pœnitentia non iuuiſſet. Cùm eſſet in pœna pœnituit, & per vnius ſermonis profeſſionem, habitaculum paradiſi Deo promittente promeruit. Vera ergo ad Deum conuerſio in vltimis poſitorum, mente potiùs eſt æſtimanda quàm tempore, Propheta hoc totaliter aſſerente, *Cum conuerſus ingemueris, tunc ſaluus eris.*]

Auguſtinus [d] [Non te diſtulit niſi vt corrigeres te, quandoquidem Latroni in cruce pendenti, ſe mutare permiſit.] Et alibi[e] [Pœnitētia vera non annorum numero cenſetur, ſed amaritudine animi. Vnde Beatus Petrus mox à Domino indulgentiam recepit, quia amariſſimè fleuit trinæ negationis culpam. Pœnitentia quamuis ſit exigui temporis, ſi intima cordis

a epiſt ad Venātiam cap. 7.

b *adductus c ſi presbyter 26 q. 1.*

c *epiſt. 2. ad Epiſc. Galliæ, & refertur ibidem c. agnouimus.*

d *ſer. 109. de temp.*

e *ſerm 66. de temp.*

cordis amaritudine agitur, non deſpicitur apud iudicem iuſtum Deum, qui cordis ſecreta conſiderat. Non enim longitudinem temporis tantùm requirit Deus, quantùm affectum ſynceritatis pœnitentis penſat.]

36. Chryſoſtomus in hac parte immenſus eſt. Seligo pauca [a] præclarum illud non quinque dumtaxat diebus ſed vno momento licèt præteritam omnem vitam commutare. Quid inquam Latrone & homicida ſceleſtius? Nonne hoc ſummum malitiæ genus eſt? verùm ad ipſum virtutis apicem quamprimùm euaſit, & in ipſum aſſumptus eſt paradiſum, nec dierum, nec dimidiæ quidem horæ, ſed breuis tantùm momenti indiguit, eadem & nos ratione repentè mutari poſſumus, & ex luteis aurei fieri.] Alibi [b] poſt deſcriptam Manaſſis iuſtificationem [Cæterùm (inquit) Deus non ſolùm per ea quæ in hunc facta ſunt, ſed per verba prophetæ eliminauit cogitationẽ deſperationis. *Hodie*, inquit, *ſi vocẽ eius audieritis ne obſirmetis corda veſtra ſicut in exacerbatione.* In hunc modum hodie nobis per omnem vitam dicendum

a *proleg. in Ioan.*

b *in priore ad Theodorum paren.*

dum eſt, & ſi libet ad ſenectam vſque. Non enim ad temporis rationem, ſed iuxta affectum animæ, ſolet diiudicari pœnitentia. Niniuitæ non multis diebus precati, vt peccatum eorum deleret Deus: tempus exiguum potuit, vniuerſam eorum abolere iniquitatem. Et Latro haud longo tempore, ingreſſum paradiſi impetrauit, iuxta illud quacunque quis hora ſe deiiciens, vel vnum dixerit verbum, &c. In eo momento totius vitæ peccata ſimul abſterſit, atque ante Apoſtolos officij grati præmium ſuſcepit. Videmus etiam Martyres, non ita multis annis, imò paucis diebus, adeóque non raró intra dieculam, ſplendidas cõſecutos coronas.] Rurſus alibi [a] [Sicut eſt in aqua baptizari facile, ſic etiam facile animam pœnitere. Non habuit opus tempore Latro, martyres in momento coronati ſunt.] Ibidem [b] [non tempore multo opus eſt ſaluare ſe volenti. Latro enim in momento ſaluatus eſt, fidem adeptus & incorruptum regni theſaurum lucratus eſt SS. Martyres vna hora iuſtificati ſunt: illi ſanguinem dederunt tu pro ſanguine deduc lachrymas.] Item alibi

a homil. de pœnit. continent & virginis t. 1 Græcol.
b ſub fin.

alibi [a] [multa peccauimus, ſcio quidem, omnes enim pœnis obnoxij ſumus. At venia nobis negata non eſt, nec à pœnitentia excidimus, adhuc enim ſtamus in ſcammate, & in pœnitentiæ certaminibus verſamur: atque adeò licèt ad ipſum exitum vitæ perueneris, nec tum quidem à pœnitentia te arbitreris excidiſſe, neque de tua ſalute deſperes, ſed Latronis tibi veniat in mentem, qui in Cruce libertate donatus eſt. Quid enim breuiùs illa hora in qua coronatus eſt? Attamen hæc etiam illi ad ſalutem ſuffecit.] Pulchrè denique alio loco. Docet [b] in agro mentis ſecus quàm in terreno agro, meſſem ſpiritus adiungi ſerenti, ac culturæ, & eodem momento quauis anni tempeſtate ſeri ac meti pro voluntate poſſe.

a homil. de diabolo tentat t 1. Graecol.

b t 2. Graecol. homil. de paralytico.

Optimè Chryſologus [c] [pœnitentes ergo reuertamur fratres, & ne de arcto temporis pertimeſcamus: quia auctor tẽporis neſcit arctari: Probat hoc Euãgelicus Latro, qui in cruce, & in hora mortis, rapuit veniam, inuaſit vitam, effregit paradiſum penetrauit ad regnum. Et nos fratres, qui de voluntate meritum non quæſiuimus, acquiramus vel de ne-

c ſer. 167.

ceſſitate virtutem. Ne iudicemur, iudices noſtri ſimus: pœnitentiam debemus nobis, vt poſſimus nobis auferre ſententiam.]

37. Claudat agmen Arnoldus Abbas.[a] Sic enim S. Petrum Eccleſiæ ac cæli clauigerum in cauſa pœnitentium compellat. [Reſurge & diſce ignōſcere: neque annumeres peccata vel multiplices tempora. Non arctatur. Numero, non clauditur fine, nullas omnino habet metas diuina clementia: ſit qui inuocet, erit qui exaudiet: ſit qui pœniteat, non deerit qui indulgeat. Non huic pœnitenti multorum annorum ieiunia imponuntur: non nudipedalibus, vel ſacco afficitur: ſimul & confitetur, & iuſtificatur, & glorificatur. Vide horam, nota perſonam. Vltima hora; peccatrix perſona; multa antiquáque peccata illicò abolet gratia; nec proceſſu moráque temporis, indulgentia limat corrodítque culpæ rubiginem: Sed vbi repētè, facto cœlitus ſono, Spiritus ſanctus illabitur, quidquid immdauerat peccati tabe, ſiccatur: nec ſupereſt vllum fœditatis veſtigium vulneri, quod miſericordiæ abluit lauacrū.]

a tr. 2. de vltimis verbis Christi.

XII.

XII. Momentum bonæ voluntatis, licèt externis operibus deſtitutæ.

Omnia compleuit ait Cæſarius [a] [qui quod potuit fecit, quia voluntas perfecta faciendi, reputatur pro opere facti,] voluntatem languidam, qua piger vult & non vult, perexigui eſſe pretij, conſtat. At robuſta voluntas ac ex ſe efficax, quantumuis per impotentiam prępediatur nec poſſit exteriùs bonorum operum ferax eſſe, acceptiſſima eſt Deo, ídque in Latrone fuit manifeſtum, quem S. Cyrillus Hieroſol. [b] rectè conſiderat, non opera, ſed nudam voluntatem bonam adhibuiſſe.

a hom. 18.

b Catech. 13.

38. In eandem ſententiam author operis de viſitatione infirmorum malè creditus D. Auguſtinus [c] [Latronis illius (inquit) in Euangelio memoria, quare nobis tam venerabiliter recenſita eſt? quibus eleemoſynis, quibúſve operibus vel orationibus, reſpondiſti mi Ieſu benigniſſime, dulciſſime, miſericordiſſime, quaſi ſub iureiurando, *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo:* niſi fidei ſuæ orationíque breuiſſimæ, *Memento mei*

c l. 1. in fine.

Domine dum veneris in regnum tuum.]

a hom.1. in pſal 50. Chryſoſtomus [a] [Quomodò Latro ſaluatus eſt? quippe qui omnem vitam ſuam cruentam habuit homicidiis, perſecutionibus, direptionibus, mille obrutus malis, & non pœnituit dum adhuc eſſet in terra? ab hominibus quidem pro ſuo ſcelere condemnatur à Deo autem per bonam confeſſionem coronatur. Vnius diei vitæ ſpatium non erat: Dominus in cruce clauis affixus pendebat: Iamiámque moriturus, non deſperauit ſalutem ſuam, & certè ſocio eius renitente. Sed hic confeſſus eſt Dominum, pœnitens facti ſui, & paradiſi ianuam meruit aperire. O Latronis admiranda fides, in cruce poſitus vim fecit, & intrauit regna cælorum. Sed quemadmodum, inquis, ſaluatus eſt, diſcere cupio. Audi verba Latronis: *Memento* (inquit) *mei Domine cum veneris in regnum tuum.* Et tantum præualuit ſermo, prȩualuit confeſſio, adiuuãte miſericordia Dei. Et quia ex animo pœnituit, & confeſſus eſt Deum eſſe Chriſtum, paradiſi meruit eſſe colonus.] Hoc ipſo exẽplo, pater miſericordiarum ſolari & animare dignatus eſt miſerum pecca

peccatorem qui copiam Confeſſarij non habens, eò quod eius idioma nemo perciperet, cogebatur expers ſacramentalis cenfeſſionis degere. Roganti itaque pro eo S. Birgittæ, reſpondit Chriſtus in hæc verba. [Ille plorat quod non habet auditorem confeſſionis ſuæ. Dic ei, quod ſufficit voluntas. Nam quid profuit Latroni in cruce? Nonne voluntas bona? Aut quid aperuit cœlum, niſi voluntas volendi bona, & odiendi mala? Quid verò facit infernum, niſi voluntas mala, & affectus inordinatus? Nunquid non Lucifer bonus creatus fuit? Aut ego ipſa bonitas & virtus, creaui malum aliquid? Nequaquam. Sed poſtquàm Lucifer abuſus eſt voluntate, & mouit eam inordinatè, factus eſt ipſe inordinatus, & ex voluntate mala, malus. Propterea iſte pauper ſtet ſtabilis & non retrocedat. Et cùm ad patriam ſuam redierit, quærat & audiat ſalubria animę ſuæ à ſapientibus, & voluntatem ſuam ſubmittat, & obediat magis conſilio Iuſtorum, quàm ſuæ voluntati. Sin autem interim morietur in via, erit ei ſicut dixi Latroni, *hodie mecum eris in paradiſo.*] Exſcripſit hunc locũ Bloſius.[b]

a lib. 6 reuelat. cap. 115.

b in monili ſpirituali c. 5.

39. Abſit tamen vt exercitationi bonorum operum per pœnitẽtem, quicquam hinc debeat decedere, cum facultas ſuppetit. Sanè olim Eccleſia, etiam in ea pœnitentia quæ baptiſmum adultorum lethali aliquâ labe ſordentium præcedere debet, non modicam adhibebat ſeueritatem: vſque adeò vt candidatos, vino, carnibus, vxorum vſu, abſtinere, & alia pœnitentiæ opera vſurpare iuberet, vt conſtat ex Cyrillo, [a] Nazianzeno, [b] Auguſtino. [c] Vt taceam recentiores in eo argumento fusè verſatos, Ioſephum Vicecomitem, [d] & Albaſpineum. [e] Et tamen conſtat, in baptiſmo quam mitiſſimè agi cum infantibus, ſiue candidatis. Itaque monebat eo ipſo Eccleſia, quàm non ſint negligendæ pœnales illæ actiones, quas multo magis poſt Baptiſmum per renatos neceſſe eſt adhiberi, cum deliquerunt, ſi facultas adhibendi ſuppetat, nec impotentia excuſet.

a catech. 1.
b orat 40 c 2 & 4 de ſymbolo vtrobique c.1.
d l 3. de bapt à c.3 ad 13
e 1. obſeru. c.1.

Hoc temperamento adhibito, accipienda & mollienda ſunt illa alioqui dura apud Fauſtum [f] [capitalis inimica perſuaſione mentitur, qui maculas longa ætate contractas, ſubitis, etiam inutilibus

f epiſt. 1. ad quæſtionem 1.

abolendas

abolendas gemitibus arbitratur: quo tempore confeſſio eſſe poteſt, ſatisfactio eſſe non poteſt. Nam quia Deus non irridetur, ipſe ſe decepit, qui mortem multis temporibus vixit, & ad quærendam vitam, iam ſemiuiuus adſurgit, vt tunc officioſus appareat, quando dominicæ ſeruituti, omnia corporis & animæ ſubtrahuntur officia. Circa exequendam interioris hominis ſanitatem non ſolùm accipiendi voluntas, ſed agendi expectatur vtilitas. Ita enim legimus: *ſi* (inquit) *peccator pænitentiam egerit pro peccatis ſuis.* (egerit, memorauit, non ſolùm dixit, acceperit) *In ſua* (inquit) *Iuſtitia quam operatus eſt, viuet.* Aduertis quod huiuſmodi medicina, ſicut ore poſcenda, ita corpore conſummanda eſt? Inſultare Deo videtur, qui illo tempore ad medium noluit venire, quo potuit, & illo tunc incipit velle, quo non poteſt. Opus itaque eſt, vt quàm peccando fuit abrupta & vegeta ad malum mentis intentio, tanta ſit in vulnerum curatione deuotio.]

40. Non aliter Auguſtinus eodem ſenſu accipiendus; [a]ſerióque admonens: [a] *ſerm. 57. de temp.*

ne quis, [illud ſeruet vt tunc pœnitentiam petat, quando iam agere non poſſit. Inutilis eſt enim dilectiſſimi, iſta perſuaſio. Parum eſt peccatorem pœnitere, niſi pœnitentiã peregerit. Ad emendandæ enim crimina, vox pœnitentis ſola non ſufficit. Nam in ſatisfactione ingentium peccatorum, non verba tantùm, ſed opera quærũntur. Datur quidem etiam in extremis pœnitentia, quia non poteſt denegari, ſed authores tamen eſſe non poſſumus, quòd qui ſic perierit mereatur abſolui. Quomodò enim agit pœnitentiam lapſus? quomodò agit pœnitentiam in extremis vitæ finibus conſtitutus? Quomodo pœnitentiam agere poſſit, qui nulla iam pro ſe opera ſatisfactionis operari poteſt? & ideò pœnitentia quæ ab infirmis petitur infirma eſt, pœnitentia quæ à moriente tantùm petitur, timeo ne & ipſa moriatur.]

XIII. De nullius ſalute deſperandum.

Quandoquidem vt hactenus monſtratum eſt, pœnitentiam veram, atque adeò inuectionem gratiæ per eam, non ſcele

ſcelerum magnitudo, non ſuſceptæ pœnitentiæ tarditas, aut breuitas; non externarum ſatisfactionum defectus eneruat, id quod Latronis exemplum perſpicuè euincit, concludēdum videtur cum S. Gregorio,[a] quãtumcumque quis conſenuerit in ſceleribus, & quantacumque admiſerit, incertum ſemper eſſe finem eius: & qui propè ad extremam vſque vitam deterrimus eſt, poſſe ſubitò honeſtari diuinitùs, & cum ſanctitate excedere, ac proinde de nullius ſalute, quandiu viuit, eſſe deſperandum. Eum enim Iobi locum verſans S. Gregorius, *Indica mihi in qua via habitet lux; & tenebrarum quis locus ſit*; lucem interpretatus ſanctitatem tenebras autem iniquitatem, perinde fuiſſe ait, ac ſi Iobo dictum fuiſſet. [Si plenã te habere ſcientiam ſuſpicaris, dic vel in cuius corde ea quæ nũc deeſt innocentia veniat, vel in cuius corde ea quæ nunc eſt malitia perſeueret. In qua via habitet lux, id eſt cuius mentem veniens iuſtitia impleat, & tenebrarum quis locus ſit, id eſt, in quo iniquitas cæca perduret, vt ducas vnum quodque ad terminos ſuos, id eſt, vt diiudices, ſi vel is

[a] 29 *mor. c.* 9. & 11.

qui nunc iniquus cernitur, in iniquitate vitam finiat, vel is, qui iuſtus cernitur, extremitatem vitæ ſuæ, cum iuſtitiæ perfectione concludat, & intelligas ſemitas domus eius, id eſt conſideres, atque diſcernas, vel cui bona actio perſeuerans æternam manſionem præſtet in regno, vel quē vſque ad terminum ſuum actio praua conſtringens in æternum damnet ſuppliciū. Domus quippe pro manſione. Semita igitur ad domum ducit, quia actio ad manſionem pertrahit. Sed quis hominum iſta diſcuſſus dicat? quis iſta ſaltem imperterritus audiat? Multos enim videmus quotidie qui iuſtitiæ luce reſplendent, & tamen ad finem ſuum nequitiæ obſcuritate tenebrantur: & multos cernimus peccatorum tenebris obuolutos, & tamen iuxtà vitæ ſuæ terminum repentè reddi iuſtitiæ luci liberos. Multos enim nouimus, ſemel inuentam viam iuſtitiæ, illibatè vſque ad mortem tenuiſſe, & pleróſque conſpeximus vſque ad exitum cæpta ſemel crimina ſine ceſſatione cumulaſſe. Quis verò inter iſta occultorum iudiciorum nubila, mentis ſuæ radium mittat, vt

aliqua conſideratione diſcernat, vel quis perduret in malo, vel quis perſeueret in bono, vel quis ab infimis conuertatur ad ſumma, vel quis à ſummis reuertitur ad infima? Latent hæc ſenſus hominum, nec quidquam de cuiuſlibet fine cognoſcitur, quia diuinorum iudiciorum abyſſus, humanæ mentis oculo nullatenus penetratur. Videmus namque quod illa aduerſa Deo gentilitas, iuſtitiæ luce perfuſa eſt; & Iudæa dudum dilecta, perfidiæ eſt nocte cæcata. Scimus etiam quòd Latro de patibulo tranſiuit ad regnum. Iudas de Apoſtolatus gloria eſt lapſus in Tartarum. Rurſúmque quia aliquādo ſortes quæ cæperint non mutantur, & Latronem alium nouimus perueniſſe ad ſupplicium, & Apoſtoli ſcimus percepiſſe propoſitum quod deſiderauerat regnum. Quis ergo diſcutiat *in qua via hab.tet lux; & tenebrarum quis locus ſit, vt ducat vnumquodque ad teminos ſuos, & intelligat ſemitas domus eius?*]

41. Sancti plerumque hoc exemplo admiſſi in gratiam Latronis, animant peccatores ad pœnitentiam, ſupponentes

tes de nullius ſalute deſperandum eſſe: quando etiam Latro, cùm cecidiſſet & tandiu proſtratus iacuiſſet, adiecit vt reſurgeret.

[a] paræn. 42. in fine. 42. S. Ephrem, [a] poſt longam cohortationem ad reſipiſcendum ita orare monet. [Peccaui in cœlum, & coram te Domine Deus omnipotens, & non ſum amplius dignus vocari filius tuus, neque ſurſum aſpectũ tollere, & cernere altitudinẽ cœlorum prę multitudine iniquitatum mearũ, neque nomen tuum nuncupare labiis mei peccatoris. Nam cœlo & terra indignum me reddidi: quia te optimum Dominum exacerbaui. Precor obteſtórque Domine, ne me à facie tua abiicias, neque recedas à me, ne miſer peream. Niſi enim me tua gratia protexiſſet, iam ego periiſſem, & eſſem inſtar pulueris ante faciem venti, & quaſi nunquam in hac vita apparuiſſem. Nam ex quo viam tuam dereliqui, nullus ſic mihi bonus occurrit dies. Qui enim in peccatis melior viſus eſt dies, acerbiſſimorum extitit acerbiſſimus. Verùm deinceps ſpero fore, vt gratia tua quæ me confortat, conſulat ſaluti meę. Núncque ad

ad te ſupplex recurro, obſecrans, vt me à Iuſtitiæ aberrantem via, ſuſcipias. Effunde in me miſerationum tuarum multitudinem ſicut in filium olim effudiſti prodigum, quia vitam meam dedecoraui, diſſipatis diuitiis gratiæ tuæ. Miſerere mei Deus, & ne vitę memineris meę, quę ad extremã redacta eſt vilitatẽ. Miſerere mei ſicut olim peccatricis & publicani es miſertus. Miſerere mei, ſicut commiſeratione ductus es Latronis. Nam is in terra cum eſſet, ab omnibus reprobatus eſt. At tu eum ſuſcepiſti, & deliciarum paradiſi incolam feciſti? Quare & meam inutilis tui ſerui ſuſcipe pœnitentiam. Nam & ego à cunctis ſpretus ſum, atque reiectus. Adueniſti enim Domine, non vt iuſtos, ſed peccatores vocares ad pœnitentiam.]

S. Eucherius [a] ex hoc exemplo confirmat, neminem tametſi criminoſum, arcendum eſſe Eccleſiæ azylo cùm Chriſtus cœlũ Latroni patere voluerit. Cum enim multis pro Eccleſiæ immunitate pugnaſſet, concludit. [Sed fortè aliquis dicat: locus ſanctus eſt, criminoſo patere non debet. Non ita eſt: hæc animi intractabi

[a] *homil. 7. de natali Eccleſ in aule St[illegible] dita.*

pſit non cognouerit veritatem inſpirante Deo, qui occultè & mirabiliter ſolet in ſuorum cordibus operari, vt eum ſic iudicaret tanquam in ipſo errore defunctum? Nam vel ſi probaretur, quod vſque in die mortis ſuæ aliquid de Incarnatione Chriſti neſcierit, tamen cum non eſſet ab eius Eccleſia ſeparatus vnde, (ſicut dixi) certum Synodus haberet, quod in ipſa hora qua efflaturus erat extremum, magna & inueſtigabilis miſericordia Dei, quæ Latroni non ignorata ſcelera dimiſit in Cruce, non etiam ipſi dedit pro tantis eius in Eccleſia laboribus & certaminibus aduerſus hæreticos, vt ab ignorantia ſua reſipiſceret, & errore damnato Latronem ſequeretur, in paradiſo ſtatim & ipſe cum Chriſto futurus, qui nunc dicitur de Neſtoriano dogmate ante Neſtorium fuiſſe damnandus? Quantos enim hæreticos quantos Iudæos atque gentiles, idonea teſtificatione didicimus, in ipſo limine mortis fuiſſe conuerſos?]

XIV.

rumpatur. Hæc omnia in annos maturitatis differri oportet. Non ſumus meliores quàm patres noſtri, ad ſolatium viri creata eſt fœmina. Viro & fœminæ dictum eſt; *Creſcite & multiplicamini, & replete terram.* Nec virtus tua virtus eſt lapidis, nec caro tua ęnea eſt. Delicta iuuentutis & ignorantias Deus non attendit. Somnus, & ludus, & ſollicitudinum depoſitio, amiciſſima ſunt naturæ. Bonum cuſtodit caſtrum, qui ſeruat cum diligētia corpus ſuum. Temerarium eſt, ſe citra neceſſitatem affligere. Religio in iuuenibus, rarò commendabiles ſortitur euentus. Ætas prouectior, ſatis redimet lubricum iuuentutis, ſatis tempeſtiua eſt pœnitentia, quæ anticipat diem mortis. Latro in cruce pœnitet. Nemo ſerò pœnituit, quem mors inuenit pœnitentem.]

Egregiè item in eandem ſententiam, Hildebertus Cœnoman.[a] Sic præter cætera inducens muſſitantem poſt tergum pruriginem voluptatum, & ſuccutientem voluptarij veſtem carneam, hortantémque vt potiatur bonis, donec maturior ætas carnis reſtinguat incendia. [Eo

[a] *epiſt.* 41.

tempore conſultiùs incipies, quod modò periculosè profiteris. Neminem ſerò pœnitet, quem mors inuenit pœnitentem. In extremo vitæ, Latro dum paradiſum meruit, exemplum reliquit. Operarios qui circa vndecimam horam venerant, pares illis in præmio legiſti, qui portauerant pondus diei & æſtus.] Subiicit Hildebertus, Adelam Comitiſſam recens ad Deum conuerſam commonens. [Hæc & his ſimilia, ſacris obſiſtunt initiis; hæc ſementem virtutis extinguũt, & ſuffocant ante partum. Tales Syrenæ amariſſimè dulces. Talia cœli volucres, animæ cantitant inchoanti: Si Syrenes audieris, à portu recedes in voraginem lõgiùs abſtracta voluptatum. Si volucres te demulcent, fruſtrà ſeminas, quia quod ſeminas à volucribus comedetur. Aduersùs tam peſtilentes cantus (ſi ſapis) obſurdeſces: & ne eos exaudias, aſpidis exemplo, mentis aures obturabis.]

44. Muniunt frequentèr aduerſus hunc ſalutis arietem, noſtram infirmitatem, Patres. Eucherius.[a] Ne fortè chariſſimi aliquem nimis ſecurum faciat, aut remiſſum, tam noua felicitas credulitatis,

a *homil. de Latrone & Auguſtin. 120. de temp.*

ne fortè dicat aliquis in corde ſuo, non me vſque adeò conturbet & crucis rea conſcientia, non me vſque adeò contriſtet culpabilis vita, video ſub momento, video ſub exiguo ſpatio, Latroni crimina ſua donata, & mihi reſoluta mente concipiuntur: primùm conſiderandum in Latrone illo, non ſolùm credulitatis compendium, ſed deuotio, ſed temporis illius ſub quo hæc agebantur occaſio, quo iuſtorum legitur titubaſſe perfectio. Deinde autem mihi fidẽ Latronis oſtende, & tunc tibi Latronis beatitudinem pollicere. Immittit diabolus ſecuritatem, vt inferat perditionem. Neque dinumerare poſſim, quãtos hęc inanis ſpei vmbra deceperit. Deterreant quæſo nos ab hac perſuaſione, innumerabiles populi, ſub tali ſecuritate nudi & vacui bonis, & malis pleni, ex hac luce prærepti. Quotidie expaueſcenda eſt tranſitus noſtri ac commigrationis incerta hora, quæ & modò vel inſperata vel ſubita ſunt, in æternum remediis caritura ſunt. Præueniendus eſt dies qui præuenire conſueuit. Ipſe ſe ſeducit, & de morte ſua ludit, qui hoc cogitat, poteſt mihi extremi temporis indulgentia ſubuenire. No

eſt hoc,quia primùm,periculoſiſſima eſt in vltimum diem promiſſa ſecuritas; deinde ſtultiſſimum eſt vt cauſa quæ de neceſſitatibus agitur æternis inutilitatibus vitæ deficientis committatur extremis. Odibile eſt apud Deum, quando homo ſub fiducia pœnitentiæ, in ſenectutem reſeruatæ liberiùs peccat. Credite chariſſimi, difficile eſt vt callida diſſimulatio,ordinandę conſummationis obtinere digna ſit facultatem. Apud illum cordis interpretem, ars non admittetur ad ſalutem. Ille autem de quo locuti ſumus Beatus Latro, beatus inquam, non iam iuxta viam inſidias tēdens, ſed viam ipſam in Chriſto tenens,ac vitæ prædam ſubitò rapiens, immutato genere, & noua ſpolia de morte propria reportans,ille nec ſalutis tempora ſciens diſtulit, nec remedia ſtatus ſui in momenta vltima infelici fraude poſuit, nec redemptionis ſuæ ſpem, in deſperationis nouiſſimum reſeruauit, nec Religionem ante, nec Chriſtum ſciuit. Quid ſi ſciſſet, fuiſſet forſitan inter Apoſtolos non poſtremus in numero, qui prior factus eſt in regno. Ergo etiam ex hoc in extremo placuit Deo,quia ad conſequendam fidem,non

fuit extrema illa hora,ſed prima.]

45. Chryſoſtomus [a] cum primò Theodorum monachum lapſum erexiſſet ad bonam ſpem, propoſito exemplo Latronis in ipſa morte adepti ſalutem, veritus declinationem in alterum abruptum, ſubdit: [Vt ſatis durum videtur, ac barbarum, his qui deuoluti fuerint ad profundum imi gurgitis cœnũ,ſi tamẽ caſus prioris crimina emendẽt, ſalutare correctis remedium denegare:ita rurſus haud tutum eſt, hac ſpe hominem ad vitia nutriri,vt dicat:emendatio poſt iſta ſuccurrit: Nũc interim voluptatibus vitæ iſtius fruar, poſtea autem per exigui temporis caſtitatem mercedes trãſactorum quoque adipiſcar annorum. Memini namque ſæpè dixiſſe, his, qui in ſtudiis tibi ſæcularibus poſito, tam pernicioſa ſuadebant, etiamſi in iſto, aiebam, breui temporis ſpatio, bonum terminum vitæ minimè fuero conſecutus: quemadmodum ad illum ibis, qui dixit: *Nolo differas conuerti ad Deum, neque diem ex die protrahas: neſcis enim quid pariat ſuperuentura dies?* Huius animi,huiúſque conſilij recipe ac recordare obſecrationem, &

[a] poſteriore ad Theodorum lapſum paren.

tes de nullius ſalute deſperandum eſſe: quando etiam Latro, cùm cecidiſſet & tandiu proſtratus iacuiſſet, adiecit vt reſurgeret.

a peren. 42. in fine. 42. S. Ephrem, [a] poſt longam cohortationem ad reſipiſcendum ita orare monet. [Peccaui in cœlum, & coram te Domine Deus omnipotens, & non ſum amplius dignus vocari filius tuus, neque ſurſum aſpectũ tollere, & cernere altitudinẽ cœlorum prę multitudine iniquitatum mearũ, neque nomen tuum nuncupare labiis mei peccatoris. Nam cœlo & terra indignum me reddidi: quia te optimum Dominum exacerbaui. Precor obteſtórque Domine, ne me à facie tua abiicias, neque recedas à me, ne miſer peream. Niſi enim me tua gratia protexiſſet, iam ego periiſſem, & eſſem inſtar pulueris ante faciem venti, & quaſi nunquam in hac vita apparuiſſem. Nam ex quo viam tuam dereliqui, nullus ſic mihi bonus occurrit dies. Qui enim in peccatis melior viſus eſt dies, acerbiſſimorum extitit acerbiſſimus. Verùm deinceps ſpero fore, vt gratia tua quæ me confortat, conſulat ſaluti meę. Núncque ad

ad te ſupplex recurro, obſecrans, vt me à Iuſtitiæ aberrantem via, ſuſcipias. Effunde in me miſerationum tuarum multitudinem ſicut in filium olim effudiſti prodigum, quia vitam meam dedecoraui, diſſipatis diuitiis gratiæ tuæ. Miſerere mei Deus, & ne vitę memineris meę, quę ad extremã redacta eſt vilitatẽ. Miſerere mei ſicut olim peccatricis & publicani es miſertus. Miſerere mei, ſicut commiſeratione ductus es Latronis. Nam is in terra cum eſſet, ab omnibus reprobatus eſt. At tu eum ſuſcepiſti, & deliciarum paradiſi incolam feciſti? Quare & meam inutilis tui ſerui ſuſcipe pœnitentiam. Nam & ego à cunctis ſpretus ſum, atque reiectus. Adueniſti enim Domine, non vt iuſtos, ſed peccatores vocares ad pœnitentiam.]

S. Eucherius [a] ex hoc exemplo confirmat, neminem tametſi criminoſum, arcendum eſſe Eccleſiæ azylo cùm Chriſtus cœlũ Latroni patere voluerit. Cum enim multis pro Eccleſiæ immunitate pugnaſſet, concludit. [Sed fortè aliquis dicat: locus ſanctus eſt, criminoſo patere non debet. Non ita eſt: hæc animi intractabi

a homil. 7. de natali Eccleſ. in aule Stadit.

pſit non cognouerit veritatem inſpirante Deo, qui occultè & mirabiliter ſolet in ſuorum cordibus operari, vt eum ſic iudicaret tanquam in ipſo errore defunctum? Nam vel ſi probaretur, quod vſque in die mortis ſuæ aliquid de Incarnatione Chriſti neſcierit, tamen cum non eſſet ab eius Eccleſia ſeparatus vnde, (ſicut dixi) certum Synodus haberet, quod in ipſa hora qua efflaturus erat extremum, magna & inueſtigabilis miſericordia Dei, quæ Latroni non ignorata ſcelera dimiſit in Cruce, non etiam ipſi dedit pro tantis eius in Eccleſia laboribus & certaminibus aduerſus hæreticos, vt ab ignorantia ſua reſipiſceret, & errore damnato Latronem ſequeretur, in paradiſo ſtatim & ipſe cum Chriſto futurus, qui nunc dicitur de Neſtoriano dogmate ante Neſtorium fuiſſe damnandus? Quantos enim hæreticos quantos Iudæos atque gentiles, idonea teſtificatione didicimus, in ipſo limine mortis fuiſſe conuerſos?]

XIV.

rumpatur. Hæc omnia in annos maturitatis differri oportet. Non ſumus meliores quàm patres noſtri, ad ſolatium viri creata eſt fœmina. Viro & fœminæ dictum eſt; *Creſcite & multiplicamini, & replete terram.* Nec virtus tua virtus eſt lapidis, nec caro tua ęnea eſt. Delicta iuuentutis & ignorantias Deus non attendit. Somnus, & ludus, & ſollicitudinum depoſitio, amiciſſima ſunt naturæ. Bonum cuſtodit caſtrum, qui ſeruat cum diligētia corpus ſuum. Temerarium eſt, ſe citra neceſſitatem affligere. Religio in iuuenibus, rarò commendabiles ſortitur euentus. Ætas prouectior, ſatis redimet lubricum iuuentutis, ſatis tempeſtiua eſt pœnitentia, quæ anticipat diem mortis. Latro in cruce pœnitet. Nemo ſerò pœnituit, quem mors inuenit pœnitentem.]

Egregiè item in eandem ſententiam, Hildebertus Cœnoman.[a] Sic præter cætera inducens muſſitantem poſt tergum pruriginem voluptatum, & ſuccutientem voluptarij veſtem carneam, hortantémque vt potiatur bonis, donec maturior ætas carnis reſtinguat incendia. [Eo

[a] *epiſt.* 41.

tempore conſultiùs incipies, quod modò periculosè profiteris. Neminem ſerò pœnitet, quem mors inuenit pœnitentem. In extremo vitæ, Latro dum paradiſum meruit, exemplum reliquit. Operarios qui circa vndecimam horam venerant, pares illis in præmio legiſti, qui portauerant pondus diei & æſtus.] Subiicit Hildebertus, Adelam Comitiſſam recens ad Deum conuerſam commonens.[Hæc & his ſimilia, ſacris obſiſtunt initiis; hæc ſementem virtutis extinguũt, & ſuffocant ante partum. Tales Syrenæ amariſſimè dulces. Talia cœli volucres, animæ cantitant inchoanti: Si Syrenes audieris, à portu recedes in voraginem lõgiùs abſtracta voluptatum. Si volucres te demulcent, fruſtrà ſeminas, quia quod ſeminas à volucribus comedetur. Aduersùs tam peſtilentes cantus (ſi ſapis) obſurdeſces: & ne eos exaudias, aſpidis exemplo, mentis aures obturabis.]

44. Muniunt frequenter aduerſus hunc ſalutis arietem, noſtram infirmitatem, Patres. Eucherius.[a] Ne fortè chariſſimi aliquem nimis ſecurum faciat, aut remiſſum, tàm noua felicitas credulitatis, ne

[a] *homil. de Latrone & Auguſtin.* 120. *de temp.*

ne fortè dicat aliquis in corde ſuo, non me vſque adeò conturbet & crucis rea conſcientia, non me vſque adeò contriſtet culpabilis vita, video ſub momento, video ſub exiguo ſpatio, Latroni crimina ſua donata, & mihi reſoluta mente concipiuntur: primùm conſiderandum in Latrone illo, non ſolùm credulitatis compendium, ſed deuotio, ſed temporis illius ſub quo hæc agebantur occaſio, quo iuſtorum legitur titubaſſe perfectio. Deinde autem mihi fidē Latronis oſtende, & tunc tibi Latronis beatitudinem pollicere. Immittit diabolus ſecuritatem, vt inferat perditionem. Neque dinumerare poſſim, quātos hęc inanis ſpei vmbra deceperit. Deterreant quæſo nos ab hac perſuaſione, innumerabiles populi, ſub tali ſecuritate nudi & vacui bonis, & malis pleni, ex hac luce prærepti. Quotidie expaueſcenda eſt tranſitus noſtri ac commigrationis incerta hora, quæ & modò vel inſperata vel ſubita ſunt, in æternum remediis caritura ſunt. Præueniendus eſt dies qui præuenire conſueuit. Ipſe ſe ſeducit, & de morte ſua ludit, qui hoc cogitat, poteſt mihi extremi temporis indulgentia ſubuenire. No

eſt hoc,quia primùm,periculoſiſſima eſt in vltimum diem promiſſa ſecuritas; deinde ſtultiſſimum eſt vt cauſa quæ de neceſſitatibus agitur æternis inutilitatibus vitæ deficientis committatur extremis. Odibile eſt apud Deum, quando homo ſub fiducia pœnitentiæ, in ſenectutem reſeruatæ liberiùs peccat. Credite chariſſimi, difficile eſt vt callida diſſimulatio,ordinandę conſummationis obtinere digna ſit facultatem. Apud illum cordis interpretem, ars non admittetur ad ſalutem. Ille autem de quo locuti ſumus Beatus Latro, beatus inquam, non iam iuxta viam inſidias tẽdens, ſed viam ipſam in Chriſto tenens,ac vitæ prædam ſubitò rapiens, immutato genere, & noua ſpolia de morte propria reportans,ille nec ſalutis tempora ſciens diſtulit, nec remedia ſtatus ſui in momenta vltima infelici fraude poſuit, nec redemptionis ſuæ ſpem, in deſperationis nouiſſimum reſeruauit, nec Religionem ante, nec Chriſtum ſciuit. Quid ſi ſciſſet, fuiſſet forſitan inter Apoſtolos non poſtremus in numero, qui prior factus eſt in regno. Ergo etiam ex hoc in extremo placuit Deo,quia ad conſequendam fidem,non

fuit extrema illa hora, ſed prima.]

45. Chryſoſtomus [a] cum primò Theodorum monachum lapſum erexiſſet ad bonam ſpem, propoſito exemplo Latronis in ipſa morte adepti ſalutem, veritus declinationem in alterum abruptum, ſubdit. [Vt ſatis durum videtur, ac barbarum, his qui deuoluti fuerint ad profundum imi gurgitis cœnũ, ſi tamẽ caſus prioris crimina emendẽt, ſalutare correctis remedium denegare: ita rurſus haud tutum eſt, hac ſpe hominem ad vitia nutriri, vt dicat: emendatio poſt iſta ſuccurrit: Nũc interim voluptatibus vitæ iſtius fruar, poſtea autem per exigui temporis caſtitatem mercedes trãſactorum quoque adipiſcar annorum. Memini namque ſæpè dixiſſe, his, qui in ſtudiis tibi ſæcularibus poſito, tam pernicioſa ſuadebant, etiamſi in iſto, aiebam, breui temporis ſpatio, bonum terminum vitæ minimè fuero conſecutus: quemadmodum ad illum ibis, qui dixit: *Nolo differas conuerti ad Deum, neque diem ex die protrahas: neſcis enim quid pariat ſuperuentura dies?* Huius animi, huiúſque conſilij recipe ac recordare obſecrationem, &

a *poſteriore ad Theodorum lapſum paræn.*

conſtringe vinculis furem. Hoc enim nomine exceſſum de hoc ſæculo noſtrum Chriſtus appellat, quòd ignorantibus veniat, & neſcientibus nobis repentinus aſſiſtat.]

a ſerm. 38. ex paruis.

Pulcherrimè S. Bernardus. [a] [*Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea accelerauerunt.* Quid diſſimulant homines in vita ſua agere pœnitentiã, & extrema de confeſſione præſumunt? Quomodo ſub vnius horæ articulo, reuocari poſſe æſtimant; omnia animæ membra, cuius concupiſcentiæ & deſideria per totum mundum ſparſa ſunt, & vbique terrarum velut quodam viſco tenentur? Non dico (ait Dominus) quin & talium ſaluem aliquos, potens ſum enim in momento omnia reuocare; ſed non congregabo conuenticula eorum de ſanguinibus: Id eſt qui in ſanguine perſeuerant, donec multiplicatis infirmitatibus deſiſtant à peccatis antequàm deſerant ea, non magna talium conuenticula congregabo. Si benè memini, in toto canone ſcripturarum, vnum Latronem inuenio ſic ſaluatum. Noli ergo huic tam periculoſæ expectationi credere temetipſum. Et quidem

dem ſpiritus non modò vbi vult ſed quando vult ſpirat, nec ei difficile eſt, ſubitò perfectam dare contritionem cordis, quam vix multo tempore alij conſequuntur, ſed vnde ſcis, quod Deus tibi ita ſubuenire velit, quem tu interim ſic repellis? Benignus quidem eſt Spiritus ſapientiæ, ſed non liberabit maledictum à labiis ſuis. Audi quis ille ſit, maledictus qui peccat in ſpe.]

Quando hic error eſt pernitioſiſſimus, & de diſpendio agitur cui nullum eſt æquale, quæ alij præterea nonnulli aduerſus eum intacto licèt latrone diſſeruerunt, iuuerit legere: præſertim verò Saluianum.[a] Alcuinum[b] qui ex variis Auguſtini locis multa congeſſit, atque Cæſarium.[c]

a *lib. 1. ad Eccleſ. ſub finem.*
b *lib. de virtut. & vit. c. 14.*
c *hom. 13. & 14.*

XV. Socius Crucis Chriſti erit & gloriæ.

46. Extremum hoc morale documentum & extrema laborum ac dolorum ſancti Latronis clauſula, ſuppeditat S. Bernardus[d] tractans enim duplicem Chriſti ſpeciem Iſaïæ obiectam, nempe

d *ſer. 1. de verbis Eſaia, Calend. Nouemb.*

humilis Chriſti ac velut leproſi, & eiuſdem in ſolio excelſo & eleuato conſidentis. [Tu quoque (inquit) ſi deſideras videre ſublimem, humilem priùs Ieſum videre curato. Intuere priùs exaltatum in deſerto ſerpentem, ſi videre deſideras Regem in ſolio reſidentem. Iſta te humiliet viſio, vt illa exaltet humiliatum. Reprimat & ſanet iſta timorem tuum, vt illa repleat & ſatiet deſideriũ tuum. Exanimatum vides? non ſit otioſa viſio, quia exaltatum otioſè videre non poteris. Similis eris illi, cùm videris eum ſicuti eſt: eſto & nunc ſimilis ei, videns eum ſicut propter te factus eſt: ſi enim ne in humilitate quidem ſimilitudinem eius abnuis, certa tibi ſublimitatis quoque ſimilitudo debetur. Nunquã ille ſocium tribulationis, à communione glorię patietur arceri. Denique vſque adeò non dedignatur paſſionis ſuæ conſortem in regnum mittere ſecum, vt in cruce confitens Latro eadem die cum eo fuerit in Paradiſo. Hinc eſt quod ait etiam ad Apoſtolos: *Vos eſtis qui permanſiſtis mecum in tribulationibus meis, & ego diſpono vobis Regnum.* Quia ergo, ſi compatimur & conregnabimus

bimus, ſit interim meditatio noſtra fratres, Chriſtus, & hic crucifixus; ipſum ponamus ſignaculum ſuper cor, ſignaculum ſuper brachium noſtrum. Ipſum amplectamur brachiis quibuſdam vicariæ dilectionis, ipſum ſequamur ſtudio piæ conuerſationis. Hoc enim iter quo oſtendatur & nobis ipſe qui eſt ſalutare Dei.]

Suffragatur Idiota [a] [Tribulatio reddit hominem ſecurum iudicij, quia non conſurget duplex tribulatio. Oſtendit præterea ſalutem æternam: quia ſi compatimur, & conregnabimus. Quia ſi tu Domine Ieſu Chriſte Latronem te in cruce confitentem audiſti, & eidem dixiſti: *Hodie mecum eris in Paradiſo*, ſocium tribulationis, à communione tua non patieris repelli.]

[a] *in contempla. de vera patient. c. 4.*

47. S. Maximus [b] vtrique his verbis præiuerat. [Videamus quis ipſe Latro ſit, qui in cruce Domino conſtituto, non ſolùm peccatorum ſuorum veniam conſequitur, ſed etiam paradiſi amœnitate donatur, vt qui propter ſcelera damnatus fuerat ad pœnam, propter fidem transferretur in gloriam, fieretque illi

[b] *homil. 1. de Latrone.*

crux quam pertulit non tam ſupplicij damnatio, quàm ſalutis occaſio. In Cruce enim poſitus Chriſtum Dominum noſtrum credidit crucifixum. Et ideò qui conſortio paſſionis vtitur, conſortio paradiſi condonatur. Beatus enim Latro dum ſupplicium patitur, regnum cœleſte conſequitur. Ecce reus dicitur, ſicut cui damnari ad tempus expediuit. Non enim perueniret ad gloriam, ſi non contraditus eſſet ad pœnam.]

a ſerm. de cruce eſt apud Ambroſium ſerm. 55.

3. Pulcherrimè alibi idem S. Maximus [a] propoſita Vlyſſis liberatione à veneficæ illecebris per religationem ad lignum, aptans id ad vniuerſum genus humanum, negat cuiquam patere ſalutem, niſi religato ad crucem, & cuiuis ad eam religato obuenturam docet, exemplo Latronis. [Ex quo Chriſtus Dominus religatus in cruce eſt, ex eo nos mundi illecebroſa diſcrimina velut clauſa aure tranſimus. Nec pernicioſo enim ſæculi detinemur auditu, nec curſum melioris vitæ deflectimus in ſcopulos voluptatis. Crucis enim Arbor non ſolùm religatum ſibi hominem, patriæ repræſentat, ſed etiam ſocios circa ſe poſitos virtutis

ſuæ

ſuæ vmbra cuſtodit. Quod autem crux ad patriam poſt multos errores redire nos faciat, Dominus declarat dicens Latroni in cruce poſito: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Qui vtique Latro diu oberrans & naufragus, aliter ad patriam paradiſi, de qua primus homo exierat, redire non poterat, niſi fuiſſet arbori religatus. Arbor enim quędam in naui, eſt Crux in Eccleſia, quæ inter tot ſæculi blanda, & pernicioſa naufragia, incolumis ſola ſeruatur.]

48. Author epiſtolæ de vera circumciſione.[a] [Laborum itaque arduos montes, & difficultatem propemodum muros, quibus cœleſtia ab humanis velut prouinciæ cuiuſdam limitibus ſeparant, diuina inuitatrix munificentia liberalitáſq; deplanat. Et ſicut tubis ſacerdotalibus muros illius Hiericho, ita prophetarum vocibus turrim noſtri interitus elidet, ſi modò contra ſpem in ſpe credentes, & quodam concitatorum luminum videndi ſaliente tranſpectu, in fraudem præſentium caducorum promiſſa, tanquam manibus iam apprehenſa miremur, & hac circuncıſi natura, in aliámque

a in fine habetur tomo 9. Hieronymi.

que naturam tranſpoſiti mente illa & animo teneamus, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparauit Dominus his qui diligunt eum: de quorum numero non eſt, niſi qui per demonſtratam ſuperiùs circumciſionem velut cùm Domino confixus in cruce, ſemper peccatis ſuis paſſione eſt dignus. Ille verò Dominum noſtrum dignum tali paſſione non credens, dixerit: *Domine memor eſto mei cùm veneris in regnum tuum.* Quem, dum adhuc loquitur ipſe Dominus promptus interpellantis auditor, conſolari (vt conſueuit,) pro ſua pietate dignabitur, dicendo: forti animo eſto: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo.*]

149. Ad huius ſalutaris omnem ægritudinem depellentis fruitionem, eiúſque poſteriores gloriaſ, vtinam per crucis iter (ſalebroſum licèt atque auium,) detur pertingere: ad illud inquam ſerenum, quod nullæ temerant nubes, [Vbi paradiſus eſt iucunditatis, vbi Adam qui incidit in Latrones neſcit iã vulnera ſua flere, vbi & Latro ipſe regni cœleſtis conſortio gratulatur, vbi nullæ nubes,

 nulla

nulla tonitrua, nullę coruſcationes, nulla ventorum procella, neque tenebræ, neq; veſper, neque æſtas, neque hyems vices variabunt temporum. Non frigus, non grando, non pluuiæ, non Solis iſtius erit vſus, aut Lunæ, neque ſtellarum globi, ſed ſola Dei fulgebit claritas. Vt S. Ambroſius ſcitè de more philoſophatur.[a]

Da hoc Chriſte bonitati tuæ,[b]
Ergo qui non vis moriendi creſcere cauſas,
Nec peccatorum crudelia funera quæris.
Sed mage conuerſi vt viuant: blando excipe vultu
Quos confeſſa tibi gemitus pia pectora fundunt.
Vt quondam tecum paſſa ſub tempore carnis,
Proximus immani pendens de ſtipite Latro,
Quem non culpa tibi ſimilem, ſed pœna tenebat,
Cōfeſſi veniā ſupplex eſt criminis vſus.
Ille etenim non vt membris, ita corde ligato,
Etſi confixas clauis extendere palmas
Non potuit, liber mentem cum voce tetendit,

Sic

a *l. de bono mortu c.* 12.

b *Alcimus Auiſus l.* 5. *carm. in Geneſ.*

Sícque reus ſcelerum cùm digna piacula pendit,
Martyrium de morte rapit, cui fine ſagaci
Prouida cura fuit tales non perdere pœnas,
Præripuítque aditum moriens, cælóque leuandus
Ardua ſublimi tenuit compendia ſaltu.
Porrige ſic nobis celſam pater inclyte dextram,
Nos quoque perpetuæ conſortes effice vitæ.
Atque prophanati deceptis fraude Latronis
Vt tibi compaſſo miſerans ſuccurre Latroni;
Inuida quos hoſtis paradiſo depulit ira,
Fortior antiquæ reddat tua gratia ſedi.]

50. Et iuua nos, cui opella hæc noſtra bono animo nauata eſt, ſancte Chriſti ſanctorum primicerie, aduocate Dei tui, particeps tribulationis ac regni. [a] [O felix Latro quantum tua confeſſio valuit, quantum Deo fides tua extitit grata! Sine ferro ſine cruciatibus, & abſque labore pœni

a *Laur. Iuſt in l. de triumph. Chriſt. ago c. 18.*

pœnitentiæ, populorum arripuiſti regna: ad vndecimam horam in vinea vocatus es, & mercedem prior accepiſti. Præceſſiſti non meritis, ſed beatitudinis fruitione, antiquos Patres, diſcipulos (videlicet) & Apoſtolos. In te miſerationis ſuæ affluentiā Saluator exhibuit. Exemplo tui deſperatorum eruditur vita, delinquentium roboratur animus, erigitur ſpes, exhilaratur affectus, & antiquæ conſuetudini malæ, renouatio ſuadetur. Profectus quippe tuus, aliorum militauit ſaluti. Vtinam mihi daretur tua ô Latro ſequi veſtigia. O ſi Mediatoris promererer audire vocem dicentis, *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Dies profectò lætitiæ, dies exultationis, dies, (inquam) tripudij & gratiarum actionis mihi eſſet. Nempe totus feſtiuus, totus hilaris in Domini mei gaudium introirem. Quod ſi non hodie, ſaltem in die exitus mei de corpore, ſaltem vel poſt annorum curricula, in paradiſum Dei ingredi dignus efficiar.]

FINIS.

INDEX RERVM
ET VERBORVM,
PRIMÆ PARTIS
OPERIS DE BONO
Latrone.

A.

AAron medius inter viuos & mortuos. 702.
Aaronis virga, index diuinæ liberalitatis. 747
Abſolutionis formæ, quis ſenſus. 133
Abyſſus, mens humana. 97
Acclamationes Sanctorum ad Latronem. 691.
Actus morales an ad iuſtific. neceſſarij. 371
Adam typus Latronis. 689. & ſeqq.
Adami & Chriſti parallella. 588
Adriani Iunij error. 61
AEgidij Minoritæ colloquium mutum. 350
Allegoriæ. 687
de S. Latrone plurimæ. 688. & ſeqq.
Alloquia ſancta boni Latronis. 344. & 353

Amen,quæ vox,& eius notiones. 424.& ſeqq.
Ammiani calumnia in Chriſtianos. 549
Anima Latronis quàm citò in Limbo. 596
Anima S.Latronis illicò beata. 561
refutati circa hoc Græci. 562
non tranſiit per Purgatorium. 569.& 570
Anni malæ vitæ non numerati. 12.
Apes myſticæ,Patres. 726
Apis ſuper apes Chriſtus. 727
Apopompæus. 703
Apologia pro Chriſto per Latronem. 348
Aqua,vterus fidelium. 507
Ardelio Mimus,conuertitur. 141.
Attritio & contritio,componuntur. 380
Auri & ſanguinis fabella. 757
Axillifragium cruciariorum. 531

B.

B*Abylas Mimus,conuerſus.* 144
Baptiſmus,Punicis ſalus. 506
matrix Chriſtianorum. 507
Baptiſmus Latronis admittendus. 508.& ſeqq.
Baptiſmi obligatio quando cœpta. à 514.& 515
votum eius,quodnam. 517
Baptiſmo adiunctæ pœnitentiæ. 808

Baſi

Baſilidis ſatellitis, conuerſio. 139
Beatitudo Latronis ante omnes alios quæ. à 583. & *ſeqq.*
Bebianus pænitens. 684
Biblis, Martyr Lugdunenſis. 141
Birgittæ precibus conuerſus nequam. 156
Blaſphemus latro, quotuplex. 72
Bolmicar cruciarius. 527
Bulla indulgentiæ Chriſti. 572

C.

Caluariæ rupis ſciſſura. 60
Camillus Chriſti ſacrificantis. 633
Carcerarij curatores conuerſi. 150. 151
Caſsiani error de conuerſione Latronis. 84
an poſsit excuſari. 92
alius de vocationibus coactitiis. 172
Caſtitatis coniugalis clarum exemplum. 665
Catharinæ Senenſis orationes. 680
Cautio conſcripta humano generi. 769
Charitas Dei & proximi, vna virtus. 340
Charitas S. Latronis in Deum. 342
Charitas eiuſdem in Collegam. 360
Charitatis fætus, correctio. 361
Chriſtus in cruce Iudex. 722. & 723

eſt apis ſuper apes. 727

Chriſtus vbique medius. 24.52.

cur inter Latrones fixus cruci. 26

quoties flagellatus. 35

an planè nudus pependit. 38.39.

ſignatus nube Hebræis præuia. 54

typus veritatis inter errores mediæ. 57

eius dolor acerbior dolore Latronum. 67.

quantæ contumeliæ. 68

eſt via ad vitam. 216

variè meruit gratiam variis. 220

crucifixus, ſpectauit occaſum 225

facies eius ſplendens in pueritia, 247

in morte fortitudo. 256.& ſeqq.

eius paſſio, verè actio. 260

fuit homo antonomaſticè 263

eſt iuſtitia, ſanctificatio, & redemptio. 390.

confixi intuitio, clades ſuperbiæ. 415

Chriſtus vbi ſe eſſe dixerit. 449

Chriſti liberalitas. 469

Chriſti potentia in Cruce, 736

beneficentia. 744

Chriſti ſacrificium. 633.& 634

eius camillus ſeu miniſter. ibid.

Chriſti aduocatus, Latro. 640

Chriſti & Adami ſimiles diſſimilitudines. 591.

Chryſoſtomus defenſus. 190.104.& 199.

Cir

Circumciſio an paruulos iuſtificaret. 494
Claui an funes in cruciariorum nece. 43
Columna nubis, Chriſti typus. 54
Confeſſario carentis ſolatium. 807
Confeßionis noſtræ typus in Latrone. 382
alij eiuſdem veteres typi. 383
Confirmatio in gratia, quid. 519
Coniugium caſtitas eximia, 665
Connexio Iudæ & S. Latronis. 2
Conuerſio nemini neganda. 797
Conuerſio glorioſior innocentia. 360
Conuerſio ſubita peccatoris quàm mira. 83
Conuerſionum ſubitarum exempla. 105
Contritio & attritio conferuntur. 380
Cor docile Salomonis, quid. 394
Corpore Latronis mortui quid factum. 603
Correctio, actus charitatis. 361
Correctionis idea. 368
Coſmopœia myſtica in paßione. 260
Cras coruinum, reiectum. 818
Creatio myſtica quæ. 213
Cruciarij priùs flagellati. 34
& nudati vt crucifigerentur, 35
an figerentur ſupini. 49
Crucifixio, cuius rei ſymbolum. 38. 47
an clauis facta. 42. & ſeqq.
Crurifragij vſus & modus. 528

cur in Latrones vſurpatum. 531.& 534
quàm citò. 536
cur non in Chriſtum. 532
quàm piè à S.Latrone exceptum. 540
an idcircò martyr. 541.& ſeqq.
Crux, cathedra. 264
Crux, ſedes Chriſti, ſponſalis. 421
Crux Chriſti, ſtatera. 755.& 756
Crux S.Latronis, vbi ſeruata. 607
an adoranda. 612
Crux Latronum cuiuſmodi. 31
Crucis vmbra quàm vtilis. 234
Crucis ſupplicium quàm acerbum, 65
item quàm probroſum. 66
Crucis potentia. 740
Cryſtallus myſtica, quæ. 99

D.

DAuid Latro. 652
Deipara in primo ſuo inſtanti, libera. 179
Deiparæ cultus vtiliſſimus. 675
Deiparæ cordis dulcedines. 349
Deiparæ preces pro S.Latrone. 223
an eum conuerterint. 240
Deliberatio in conuerſionibus ſubitis. 176
Deſcenſus animæ Chriſti, qualis. 59

Deſperandum de nullo. 810
Deſperationem arcet S, Latro. 780
Deſperationis exemplaria. 335
Deus cauſa primaria conuerſionis. 212
Deus vnde excitetur ad cooperandum. 192
Deus, ratio ſubſtantialis. 370
Dei tarditas in plectendo. 730
Diaboli de S. Latrone querelæ. 474
Dilatio malorum tantùm apud Deum. 443
Diſmas nomen S. Latronis. 12
Diſpóſitiones Latronis ad gratiam. 477
& aliorum ſanctorum ex primo momento. 491
Doctrina optima, ſimilis naturæ. 250

E.

ECcleſiæ aſilum. 815
Elogia in S. Latronem. 613. *& ſeqq.*
Elphegus quomodò Martyr. 549
Euchariſtia, Punicis, vita. 506
Exceptores qui, olim. 148
Excæcatio ſeruorum Dei. 184

F.

FIdes S. Latronis eximia. 282. *& ſeqq*
Fidei Apoſtolorum & Latronis collatio. 287. *& ſeqq.*

Fides quomodò iuſtificet. 301
non eſt tribuendum fidei ſpeciali. 304
Fidei præuium iudicium duplex. 270
Fidei oculi. 272
Fides, nubes lucida. 273
quomodò concipiatur in nobis. 275. & *ſeqq.*
Flagellatio cruciariorum. 34
quàm varia. 35
Fortitudo Chriſti in morte. 256. & *ſeqq.*
Franciſcus qualis erga Latrones. 678
Fures an in crucifixione. 46
Futura in Scriptura per præteritum. 436

G.

GEneſij Mimi conuerſio. 142
Geneſij exceptoris conuerſio. 146
Gloria Dei, gratia. 213
Goliath typus diaboli. 414
Gratia prædicationis quanti ſit. 275
Gratiæ augmentum, quotuplex. 496
Gratiæ neceſſitas ad conuerſionem. 86
Gratiæ Latronis quantitas. 489

H.

HAeretici ſignati in Latrone blaſphemo. 711
Henricus Francus, conuerſus. 154

Henrici

Henrici Angli pœnitentia. 681
Hilarius Diaconus autor qq. vet. Teſt. 187
Hirci duo quid ſignarent. 703. & 752
Hodie, *imago æternitatis.* 442
Hodie *in Chriſti promiſſo, quid notet.* 434
Homo, hoc ſecundùm hoc: umbra. 237
Homo, antonomaſticè olim, quis. 262
Hora crucifixionis Chriſti, quæ. 161
quomodò tertia. 232
Humilitas orationis condimentum. 398
Humilitas virtus Chriſti. 412
amatur à Chriſtum amantibus. ibid.
eſt Deo acceptior martyrio. 413
eius elogia. ibid.
omnibus conuenit. 416
externa, ſæpè fallax. 418

I.

Iacobi Apoſtoli delator, conuerſus. 140
Ignis pro omnibus, iuxta aliquos. 565
quomodò intelligendi. 578
Impatientia iniuſtorum in malis. 81
Impatientum typus, latro reprobus. 718
Impij, mutabiles per gratiam. 103
Indulgentia plenaria per Chriſtum. 571
Ioannis Apoſtoli alumnus. 647

Iob, adamas fortitudinis. 262
Iob flos patientiæ. 734
Iobij monachi, Semipelagianiſmus. 171
Ioca, an nomen Latronis reprobi. 14
Ionathas latro. 655
Iudæi & Gentiles expreſſi in Latronibus. 707
Iudæorum frequentia in Caluaria. 408
quot perierint in clade Hieroſol. 409
Iudicium duplex fidei prauium. 269
Iudiciorum temerariorum vbertas. 6
Iudicia de aliis cauenda. 818
Iudicia Dei, abyſſus. 750. & ſeqq.
Iuſtificatio, dicta creatio. 213
Iuſtitiæ obiectum, quodnam. 375
Iuſtitiæ partes ſubiectiuæ & potentialis. 376
Iuſtus vnus, orbe toto potior. 431

L.

L*Atro quid preſſe.* 10
S. Latro proditor diaboli. 3
S. Latro an fuerit Iudæus. 14
an ante Crucem Chriſti crediderit. 17. & ſeqq.
eius ſcelera. 18. 19. 20
quàm diuturna. 21
deductus cum Chriſto ad furcam. 30
geſtauit crucem ſuam. 31

flagellatus.34.& vbi. 35
fixus poſt Chriſtum. 40
an in cruce iacente, 48
ad quod Chriſti latus. 59
quantus eius cruciatus. 64.& ſeqq.
eius conciones. 619
an Chriſtum primò blaſphemarit. 72
quàm breui tempore,conuerſus. 160
quantum in ea conuerſione miraculum. 166
eius vocatio quàm opportuna. 168
eius meritum,nobiliſſimum. 218
an conuerſus viſis prodigiis mortis Chriſti. 254
Latronis ſancti fides. 269,& ſeqq.
ſpes. 307.& ſeqq.
charitas. 340.& ſeqq.
virtutes infuſæ morales. 369
diſpoſitiones eius ad gratiam. 477.& ſeqq.
Latronis oratio quàm perfecta. 393.& ſeqq.
Latronis S.anima ſeparata. 564
corpus mortuum. 603
reſurrexiſſe eſt probabile. 605
cruce eius quid factum. 607
Latronis ſancti,encomiaſtæ. 617
Latrones Chriſto confixi,quot. 51
Latrones conuerſi. 645.& ſeqq.
Leuiathan maxilla forata. 781.& 797
Lex cur præcipiat ſingulariter. 433

Liber

Liber de operib. Cardin. cuiuſnam. 544
Lignum vitæ, cuius typus. 688
Ludouici Regis Sancti mirum factum. 350

M.

MAgdalena ex Chriſti affatu ignea. 503
Magdalena Apoſtolorum Apoſtola. 105
eius conuerſio expenſa. ibid. & ſeqq.
fuit muſca in medio fluminum. 108
Maledicentia, probos quoque inficit. 72
Mali cur non ſtatim euellantur. 734
Mala cooperantur in bonum. 761
Manus elatæ orantium, quorſum. 398
Matha, an nomen S. Latronis. 14
Matthæi conuerſio, plena miraculis. 108
collatus Phiſoni fluuio. 112
potuit vocationi reſiſtere. 294
Maxillæ Leuiathan foratio. 327
Maxillæ Leuiathan perforatio. 781. & 797
Mediator quomodò Chriſtus. 217. 218
Martini Turon. magnanimitas. 649
Martyrem S. Latronem qui dixerint. 543
refelluntur. 554. *quomodo audiendi.* 558
Martyres charitatis. 551
Martyrium verum, quæ poſcat. 547
motiuum eius mixtum, an idoneum. 556

Mere

Meretrix Phœniſſa, conuerſa. 152
alia recentior. 158
Meriti modus, duplex. 518
Methodij illuſtre martyrium. 55
Mimorum plurium conuerſio ſubita. 142
Miſſæ pro ſuſpendioſis. 789
Mola ſuperior & inferior, quæ. 32
Moſes Aethiops, latro. 657
Motiuum virtutum infuſarum. 370
Motiua extrinſeca fidei. 280
pleræque Latroni defuere. 281
Motiua conuerſionis S. Latronis. 245. & ſeqq.
Mutius latro. 649

N.

NAſus in fronte, ſymbolum crucis. 236
Neceſſitas cur non inijciatur nobis. 186
Nemeſius inter latrones fixus. 54
Nomina varia S. Latronis. 12. & 13
Noua creatura, quæ. 213
Nouatianorum crudelitas. 793
Nuditas patibulariorum quanta. 37
Numerus pro numero in Scripturis. 73

O.

Obtrectatori præconem addit Deus. 767
Obuerſio Chriſti in cruce. 225
in Aſcenſione. 226
Odium peccati ex Dei amore. 357
Odium peccati ex virtute iuſtitia. 359.
Operum bonorum cura. 808.
Oratio adipalis. 399.
Orantis lingua, plectrum. 400
Oratio vbique poteſt fundi. ibid.
Orationis decora. 392
ad quæ dirigenda. 393

P.

Paphnutius martyr inter latrones. 55
Paradiſus Latroni promiſſus quis. 453. & ſeq.
Paſcha in conuerſione peccatoris. 379
Paſsio Chriſti, veriùs actio. 260
Paſsio Chriſti, myſterium clamoris. 348
Paſſio Chriſti ipſa humilitas. 415
Patientia Dei in peccatores. 728. & ſeqq.
Patientia via ciuitatis habitaculi. 405
eſt petra fundens riuos olei. 406
Pauli conuerſio quàm mira. 119. & ſeqq.
cur ſe abortiuum dixerit. 123
peccatorum inde fiducia. 127

Paulus an iuſtificatus ante baptiſmum. 128
abſque neceſſitate conuerſus. 193.203
Peccator, obtenebratur. 181
Peccatores animati exemplo S. Latronis. 784
Peccatores, latronis imagines. 696. & 700
Pedum fixio in cruciariis quî facta. 50
Pelles Salomonis, quæ. 294
Perdix imago Satanæ. 742
Perſeuerantiæ donum quid. 518
Perſona ſanctior plus meretur. 504
Petri & Latronis antitheſes. 636. & 637
Pharaonis miniſtrorum typi latrones. 721
Philemon Choraules conuerſus. 149
Pietatis tuba. 743
Pionius martyr, fixus inter Latrones. 55
Pilati conſilium in Chriſti cum latronibus damnatione. 29
eius nequitia. ibid.
Pœnas differt Deus, non bona. 443
Pœnitendi facilitas. 802
Pœnitentes & impœnitentes adumbrati. 715
Pœnitentis facinus inſigne. 661. & 673
Pœnitentis lachrymæ, quanti. 669
Pœnitentum ſolatium Latro. 768
Pœnitentia breuis, bona. 799
Pœnitentia, nunquam ſera. 792
Pœnitentia Henrici Angli. 681

Pœnitentiæ actus varij. 377
an qui ex iuſtitiæ motiuo, iuſtificet. 377
Populi duo, expreſſi in latronibus. 707. & ſeqq.
Porphyrius Mimus, conuerſus. 141
Potamienæ virginis martyrium. 138
Potentia Chriſti in cruce. 736, & ſeqq.
Præſeruatio ab omni veniali, quid. 521
Primitiæ Sanctorum, S. Latro. 582
Promiſſa ſua tranſcendit Deus. 747
Propoſitum pœnitentis quale eſſe debeat. 381
Prudentia infuſa, duplex. 373
quæ in Chriſto fuerit. ibid.
quomodò ad fidem ſe habeat. 374
Publicanorum iniquitas. 109
Purgatorij expers S. Latro. 570. & ſeqq.
Purgatorij impugnatio per Caluinum. 581
Pythagoræi cur alta voce orarent. 393

Q.

Q*Vantitas beatitudinis S. Latronis.* 595
Quantitas gratiæ Latronis primæ. 489

R.

R*Eligio vertex virtutum moralium.* 391
Reuiuiſcentia gratiæ Latronis. 495

Sabba

S.

SAbbatho, quæ licerent. 534
Sabbathum magnum, quod. 535
Sacramenta vetera, exſucca. 494
Sacrificium Chriſti. 633. & 634
Salomonis oratio improuida. 394
Salus cuiuſuis, ſperanda. 810
Sancti, olim peſſimi. 8
Sancti inter latrones ſuſpenſi. 54
Sanguinis pondus, fabuloſum. 757
Sapientiæ donum in S. Latrone. 347
Satisfactiones cur tollant Sectarij. 581
Satisfactionis opera commendata. 808
Scandalum crucis declinandum. 763
Scarabæus myſticus. 631
Scripturæ apices, pleni myſterio. 367
Scripturæ non omnia produnt. 351
Sebaſtenus carcerarius, conuerſus. 149
Semita myſtica, quæ. 812
Sina deorſum cæcus, non ſurſum. 184
Spes S. Latronis excellens. 332
Spes germen fidei. 338
Spes, fidei ſanguis. 339
Sphynges in ſacris quorſum olim. 324
Splendor in facie Chriſti pueri. 243

Subitæ conuerſiones recenſentur. 105
an neceſſariò momentaneæ. 180
Supplicij exceptio quomodò iuſta. 389
Supplicia Latronum, cita. 21
Suſpendioſi an Miſſarum capaces. 789

T.

Tabella damnationis prælata. 53
Tabernacula Cedar, quæ. 101
Tacitus mendaciorum loquaciſſimus. 409
Tenebræ intellectuales peccantium. 181
Teſtamentum Chriſti. 422
Theodora Theophili vxor, piiſſima. 56
Theodori Mopſueſteni excuſatio per Fac. 819
Theophili Iconoclaſtæ furor. 55
Theſauri niuis, qui myſticè. 99
Theſſalica perſuaſio, adigens. 190
Timor ad iuſtificationem ſpectans, quis. 310
Timor multiplex, & quis Theologicus. 313
Timor filialis. 315
Timor eximius S. Latronis. 329
Timor cum ſpe iungendus. 323. & ſeqq.
Titulus in Latronum cruce an fuerit. 32
an adhiberi in ſuppliciis ſoleret. 33
Tribunal Chriſti, crux. 721
Tonitru diuinum in peccatores. 209

Triduum

ci comparatione adhibita:altera dierum feſtorum, qui cùm eiuſdem ſint generis cum profeſtis, celebrantur tamen & feſti ſunt, ob inſtituentis voluntatem. Altera vaſorum fictilium ex eadem maſſa in honorem vel contumeliam effictorum,prout tulerit artificis beneplacitum. Videſis Petrum Damiani in laudatione S.Donati,[a] qui ſocius olim fuerat Iuliani Apoſtatæ, & cum eo miniſter Eccleſiæ ex inferioribus: Eóque ad imperium & tartarum perueniéte, ipſe ad martyrium & gloriam iuſto Dei iudicio profecit.

[a] *ſerm de S. Donato.*

Concludo cum Auguſtino.[b] [Ibi erat Chriſtus,vbi & latrones. Similis pœna, ſed diſſimilis cauſa.Vnus Latro credidit, alius blaſphemauit. Dominus tanquam de tribunali inter ambos iudicauit.Illum qui blaſphemauit, in tartarum damnauit, alium in paradiſo ſecum conſtituit. Quare hoc? quia etſi æqualis pœna, ſed impar erat cauſa.Eligite ergo Martyrum cauſas, ſi vultis peruenire ad martyrum palmas.]

[b] *ſerm. 50. de Sanctis.*

Iob, adamas fortitudinis. 262
Iob flos patientiæ. 734
Iobij monachi, Semipelagianiſmus. 171
Ioca, an nomen Latronis reprobi. 14
Ionathas latro. 655
Iudæi & Gentiles expreſſi in Latronibus. 707
Iudæorum frequentia in Caluaria. 408
quot perierint in clade Hieroſol. 409
Iudicium duplex fidei prauium. 269
Iudiciorum temerariorum vbertas. 6
Iudicia de aliis cauenda. 818
Iudicia Dei, abyſſus. 750. *& ſeqq.*
Iuſtificatio, dicta creatio. 213
Iuſtitiæ obiectum, quodnam. 375
Iuſtitiæ partes ſubiectiuæ & potentialis. 376
Iuſtus vnus, orbe toto potior. 431

L. I

L*Atro quid preſſe.* 10
S. Latro proditor diaboli. 3
S. Latro an fuerit Iudæus. 14
an ante Crucem Christi crediderit. 17. *& ſeqq.*
eius ſcelera. 18. 19. 20
quàm diuturna. 21
deductus cum Chriſto ad furcam. 30
geſtauit crucem ſuam. 31

ſlagellatus. 34. & vbi. 35
fixus poſt Chriſtum. 40
an in cruce iacente, 48
ad quod Chriſti latus. 59
quantus eius cruciatus. 64. & ſeqq.
eius conciones. 619
an Chriſtum primò blaſphemarit. 72
quàm breui tempore, conuerſus. 160
quantum in ea conuerſione miraculum. 166
eius vocatio quàm opportuna. 168
eius meritum, nobiliſsimum. 218
an conuerſus viſis prodigiis mortis Chriſti. 254
Latronis ſancti fides. 269, & ſeqq.
ſpes. 307. & ſeqq.
charitas. 340. & ſeqq.
virtutes infuſæ morales. 369
diſpoſitiones eius ad gratiam. 477. & ſeqq.
Latronis oratio quàm perfecta. 393. & ſeqq.
Latronis S. anima ſeparata. 564
corpus mortuum. 603
reſurrexiſſe eſt probabile. 605
cruce eius quid factum. 607
Latronis ſancti, encomiaſtæ. 617
Latrones Chriſto confixi, quot. 51
Latrones conuerſi. 645. & ſeqq.
Leuiathan maxilla forata. 781. & 797
Lex cur præcipiat ſingulariter. 433

Liber

Liber de operib. Cardin. cuiuſnam. 544
Lignum vitæ, cuius typus. 688
Ludouici Regis Sancti mirum factum 350

M.

MAgdalena ex Chriſti affatu ignea. 503
Magdalena Apoſtolorum Apoſtola. 105
eius conuerſio expenſa. ibid. & ſeqq.
fuit muſca in medio fluminum. 108
Maledicentia, probos quoque inficit. 72
Mali cur non ſtatim euellantur. 734
Mala cooperantur in bonum. 761
Manus elatæ orantium, quorſum. 398
Matha, an nomen S. Latronis. 14
Matthæi conuerſio, plena miraculis. 108
collatus Phiſoni fluuio. 112
potuit vocationi reſiſtere. 204
Maxillæ Leuiathan foratio. 327
Maxillæ Leuiathan perforatio. 781. & 797
Mediator quomodo Chriſtus. 217. 218
Martini Turon. magnanimitas. 649
Martyrem S. Latronem qui dixerint. 543
refelluntur. 554. *quomodo audiendi.* 558
Martyres charitatis. 551
Martyrium verum, quæ poſcat. 547
motiuum eius mixtum, an idoneum. 556

Mere

Meretrix Phœniſſa, conuerſa. 152
alia recentior. 158
Meriti modus, duplex. 218
Methodij illuſtre martyrium. 55
Mimorum plurium conuerſio ſubita. 142
Miſſæ pro ſuſpendioſis. 789
Mola ſuperior & inferior, quæ. 32
Moſes Aethiops, latro. 657
Motiuum virtutum infuſarum. 370
Motiua extrinſeca fidei. 280
pleræque Latroni defuere. 281
Motiua conuerſionis S. Latronis. 245. & ſeqq.
Mutius latro. 649

N.

NAſus in fronte, ſymbolum crucis. 236
Neceſſitas cur non inijciatur nobis. 186
Nemeſius inter latrones fixus. 54
Nomina varia S. Latronis. 12. & 13
Noua creatura, quæ. 213
Nouatianorum crudelitas. 793
Nuditas patibulariorum quanta. 37
Numerus pro numero in Scripturis. 73

O.

OBtrectatori præconem addit Deus. 767
Obuerſio Chriſti in cruce. 225
in Aſcenſione. 226
Odium peccati ex Dei amore. 357
Odium peccati ex virtute iuſtitiæ. 359.
Operum bonorum cura. 808.
Oratio adipalis. 399.
Orántis lingua, plectrum. 400
Oratio vbique poteſt fundi. ibid.
Orationis decora. 392
ad quæ dirigenda. 393.

P.

PAphnutius martyr inter latrones. 55
Paradiſus Latroni promiſſus quis. 453. & ſeq.
Paſcha in conuerſione peccatoris. 379
Paſsio Chriſti, veriùs actio. 260
Paſsio Chriſti, myſterium clamoris. 348
Paſſio Chriſti ipſa humilitas. 415
Patientia Dei in peccatores. 728. & ſeqq.
Patientia via ciuitatis habitaculi. 405
eſt petra fundens riuos olei. 406
Pauli conuerſio quàm mira. 119. & ſeqq.
cur ſe abortiuum dixerit. 123
peccatorum inde fiducia. 127

Paulus

Paulus an iuſtificatus ante baptiſmum. 128
abſque neceſſitate conuerſus. 193.203
Peccator, obtenebratur. 181
Peccatores animati exemplo S. Latronis. 784
Peccatores, latronis imagines. 696. & 700
Pedum fixio in cruciariis quî facta. 50
Pelles Salomonis, quæ. 294
Perdix imago Satanæ. 742
Perſeuerantiæ donum quid. 518
Perſona ſanctior plus meretur. 504
Petri & Latronis antitheſes. 636. & 637
Pharaonis miniſtrorum typi latrones. 721
Philemon Choraules conuerſus. 149
Pietatis tuba. 743
Pionius martyr, fixus inter Latrones. 55
Pilati conſilium in Chriſti cum latronibus damnatione. 29
eius nequitia. ibid.
Pœnas differt Deus, non bona. 443
Pœnitendi facilitas. 802
Pœnitentes & impœnitentes adumbrati. 715
Pœnitentis facinus inſigne. 661. & 673
Pœnitentis lachryma, quanti. 669
Pœnitentum ſolatium Latro. 768
Pœnitentia breuis, bona. 799
Pœnitentia, nunquam ſera. 792
Pœnitentia Henrici Angli. 681

Pœnitentiæ actus varij. 377
an qui ex iuſtitiæ motiuo, iuſtificet. 377
Populi duo, expreſſi in latronibus. 707. & ſeqq.
Porphyrius Mimus, conuerſus. 141
Potamienæ virginis martyrium. 138
Potentia Chriſti in cruce. 736, & ſeqq.
Præſeruatio ab omni veniali, quid. 521
Primitiæ Sanctorum, S. Latro. 582
Promiſſa ſua tranſcendit Deus. 747
Propoſitum pœnitentis quale eſſe debeat. 381
Prudentia infuſa, duplex. 373
quæ in Chriſto fuerit. ibid.
quomodò ad fidem ſe habeat. 374
Publicanorum iniquitas. 109
Purgatorij expers S. Latro. 570. & ſeqq.
Purgatorij impugnatio per Caluinum. 581
Pythagoræi cur alta voce orarent. 393

Q.

Q*Vantitas beatitudinis S. Latronis.* 595
Quantitas gratiæ Latronis primæ. 489

R.

R*Eligio vertex virtutum moralium.* 391
Reniuiſcentia gratiæ Latronis. 495

Sabba

S.

Sabbatho, quæ licerent. 534
Sabbathum magnum, quod. 535
Sacramenta vetera, exſucca. 494
Sacrificium Chriſti. 633. & 634
Salomonis oratio improuida. 394
Salus cuiuſuis, ſperanda. 810
Sancti, olim peſſimi. 8
Sancti inter latrones ſuſpenſi. 54
Sanguinis pondus, fabuloſum. 757
Sapientiæ donum in S. Latrone. 347
Satisfactiones cur tollant Sectarij. 581
Satisfactionis opera commendata. 808
Scandalum crucis declinandum. 763
Scarabæus myſticus. 631
Scripturæ apices, pleni myſterio. 367
Scripturæ non omnia produnt. 351
Sebaſtenus carcerarius, conuerſus. 149
Semita myſtica, quæ. 812
Sina deorſum cæcus, non ſurſum. 184
Spes S. Latronis excellens. 332
Spes germen fidei. 338
Spes, fidei ſanguis. 339
Sphynges in ſacris quorſum olim. 324
Splendor in facie Chriſti pueri. 245

ci comparatione adhibita:altera dierum feſtorum, qui cùm eiuſdem ſint generis cum profeſtis, celebrantur tamen & feſti ſunt, ob inſtituentis voluntatem. Altera vaſorum fictilium ex eadem maſſa in honorem vel contumeliam effictorum, prout tulerit artificis beneplacitum. Videſis Petrum Damiani in laudatione S. Donati,[a] qui ſocius olim fuerat Iuliani Apoſtatæ, & cum eo miniſter Eccleſiæ ex inferioribus: Eóque ad imperium & tartarum perueniēte, ipſe ad martyrium & gloriam iuſto Dei iudicio profecit. *a ſerm. de S. Donato.*

Concludo cum Auguſtino.[b] [Ibi erat Chriſtus, vbi & latrones. Similis pœna, ſed diſſimilis cauſa. Vnus Latro credidit, alius blaſphemauit. Dominus tanquam de tribunali inter ambos iudicauit. Illum qui blaſphemauit, in tartarum damnauit, alium in paradiſo ſecum conſtituit. Quare hoc? quia etſi æqualis pœna, ſed impar erat cauſa. Eligite ergo Martyrum cauſas, ſi vultis peruenire ad martyrum palmas.] *b ſerm 50. de Sanctis.*

viâ incedebat, dicens. *Memento mei in regno tuo:* & ei qui maledicebat, os occludebat, ſuáque peccata confitebatur, & de reſurrectione philoſophabatur: ídque cùm excitatos mortuos non vidiſſet, non leproſos mundatos, non claudos ſanatos, non mare refrænatum, non dæmones eiectos, non panes multiplicatos, non alia quæ Iudaicus populus ſpectauerat, & cũ ſpectaſſet eum cruci affixerat: hic verò cùm patibulo affixum conſpexiſſet, & Deum illum confeſſus eſt, & regni meminit, & de rebus futuris philoſophatus eſt. At qui illi miracula facientem conſpexerant, & quos partim verbis, partim operibus ipſis, doctrinæ participes fecerat, non modò nihil inde vtilitatis cœperunt, ſed cùm in crucem illum ſuſtulerint, in extremum ſunt perditionis barathrum deuoluti. Vides vt improbi, & deſides, ne ex rebus quidem vtilibus fructum aliquem percipiant: probi autem, ac vigiles, quibus rebus alij ſcandalizantur, ſummam ex illis vtilitatem decerpant.]

18. Non operuit Latronem confuſio & reuerentia, nec illud opprobrium

exti-

extimuit, *cultor crucifixi, adorator malè mortui, venerator occiſi.* Frontoſos & nos ſimiliter, eſſe decet, iuxta egregiam D.
a in pſalm. 68. Auguſtini ea in parte doctrinam.[a] Intuitus eſt in Chriſto Latro quæ non videbantur, iis quæ patebant & ſenſus feriebant flocci factis. Quod pauci ſeruant, & magna peruerſitate, de præſentis ſæculi ſorte æſtimant futuram alterius vitæ conditionem. Grauiter in Iouiniano id
b l.2.c.14. carpit S. Hieronymus. [b] [Tu perversè & lubricè præſentis ſæculi conuerſationem in futurorum exempla proponis; cùm vtique hîc iniuſtitia ſit, ibi iuſtitia, donec intremus in ſanctuarium Dei, & intelligamus in nouiſſimis eorum. Non aliter ſanctus, aliter peccator moritur; In eodem mari nauigantibus eadem tranquillitas, & tempeſtas eſt; Non aliter Latro, aliter martyr occiditur? nec alio modo de adulterio, & proſtibulis, alio de caſtis matrimoniis naſcuntur liberi; Certè Dominus, & Latrones, æquali iudicio crucifixi ſunt. Si idem eſt huius ſæculi, futuríque iudicium: ergo, quia hîc pariter crucifixi ſunt, & in futuro ſimiliter habebuntur.]

VII

V.

VErbum abbreuiatum quid. 95
Vermis Chriſtus. 261
Verſio & conuerſio, comparantur. 28
Via ſancta, Chriſtus. 216
Violenta, breuia. 186
Virtutes morales, duplices. 260
infuſarum motiuum. ibid.
an differant à donis. 370
Virtutum moralium quaternarius. 375
Vmbra Chriſti fixi quò verteretur. 227
an Latronem conuerterit attactu. 228
quàm ſalubris. 222
homo vmbra. 227
Vmbræ legis nouæ. 687
Vmbræ Petri miraculum. [illegible]
Vocatio quælibet, repudiabilis. 106
Volitio fidei præuia, duplex. 274
Voluntas pordeſt citra opera. 805
Voluntatis actus in iuſtificatione, quis. 308
Votum baptiſmi, quale. 517
Vchon ſemper cauſalis pericula. 25

FINIS.

LVGDVNI,

Ex Typographia IOANNIS BRV
Granatenſis Vaſconis, Ad inſigne
trium glandium in vico
Xenodochij.